a

NAZIONALE
8
21 — I
22
VITT. EMANUELE
ROMA

by Google

I f 13

Digitized by Google

40. A. 135.

Digitized by Google

VERA VTRIVSQ; ECCLESIÆ CONCORDIA.

CIRCA PROCESSIONEM SPIRITVS SANCTI
Tractatus Secundus.

Chriſtianiſſimo Francorum, & Nauarræ Regi
LVDOVICO XIII. Iuſto ex Agnomine
Ac Sereniſſimo Principi Veneto
FRANCISCO ERIZZO
Dicatus.

AVCTORE
IO: BAPTISTA CATVMSYRITO
Rhegyno Italogræco Deutereo olim; mox Canonico, & Vicario Generali
CRASSETANO in Hetruria.
SVPERIORVM PERMISSV, ET PRIVILEGIO.



VENETIIS, M. DC. XXXIII.
Ex Typographia Franciſci Baba.

Digitized by Google

Digitized by Google

CHRISTIANISS.^ME ^ AC IVSTISS.^ME REX.

CHRISTIANISSIMI Regis Prænomen Sanctiſſimum, ac IVSTI Agnomen Glorioſiſſimum, candidaq; Maieſtatis Veſtræ lilia, quæ Fidei Catholicæ puritatem præ ſe ferunt; iure quodam ſuo, libri huius Protectionem ſibi vendicare videntur, Rex IVSTISSIME. Cùm enim agendum ſit de impuritate, ac fœditate, ſeu adulteratione puriſſimi textus Concilij Florentini, ac de falſa hæreticali nota, qua gratis inuſta fuit Græcorũ doctrina circa fontalem Proceſſionem Spiritus Sancti à ſolo Patre per Filium; ad hoc vt ius ſuum vnicuique tribuatur; & Veritas oppreſſa extollatur; ac ſatis erecta falſitas deprimatur, & eliminetur; ipſeq; deprauatus textus Florentinæ Synodi, in priſtinum ſuum ſtatum, ac candorem, & puritatem ex Iuſtitia reſtituatur: ad quem recurrendum erat, niſi ad CHRISTIANISSIMVM REGEM FRANCORVM? Vel quis adeundus erat, niſi puriſſima Galliæ lilia, pro abſtergenda omni impuritate textus Florentini? Pro iniuſtitia tandem hæreticalis Cenſuræ, gratis, & falsò doctrinæ SS. Patrum Græcorum adſcriptæ, quis rogandus erat niſi IVSTISSIMVS ille Rex LVDOVICVS XIII. cui meritò vnanimi Totius Vrbis, & Orbis conſenſu Agnomen IVSTI attributum fuit? Paradoxum opus hoc videbitur fortaſſe, Rex Inuictiſſime. Fateor. at verum, at certum, & infallibile, Viuit Deus; propriũq. caput depono in manibus Iuſtiſſimæ Maieſtatis Veſtræ, ac Sereniſſimi Principis Veneti FRANCISCI ERIZZO in defectum probationis. Et licet ſatis infimo dicendi ſtylo, ac currenti calamo de more exaratum opus, remoto omni fuco offeram Maieſtati Veſtræ: memor ſum tamen aureæ illius ſententiæ, apud Plutarchum, ὐ γὰρ ἧττον βασιλικὸν τε, καὶ φιλανθρωπικὸν, τὸ μεγάλα διδόναι, ἢ τὸ μικρὰ λαμβάνειν *Non enim minus Regium, minuſq; humanũ eſt, magna tradere; quàm minima læta fronte excipere.* In hoc autem tam arduo, laborioſoque facinore, quod præſtantiſſimum quemq; ac quàm Maximum Italiæ Theologum hucuſq; deterruit in reuelatione adulterini eiuſmodi textus Florẽtini ab Aduerſarijs gratis & falsò, (pace eorũ) armata quaſi manu in eorũ Notis, ac Commentarijs defenſi & ſuſtentati, humillimè ad pedes Maieſtatis Veſtræ ac Sereniſſimi Principis Veneti genuflexus rogo, vt poſt maturum examen Celeberrimæ Scholæ Pariſienſis, (cui me ſubmitto) dignetur CHRISTIANISSIMA Maieſtas Veſtra, cauſæ huius grauitatem, quam maximam, ac neceſſitatem Apoſtolicæ Sedi, ac Sanctiſſimo Domino VRBANO OCTAVO, (cuius pedes deuotiſſimè complector, ac deoſculor) amantiſſimè commendare, vt me benignè in omnibus audire dignetur, tanquam humillimum Maieſtatis Veſtræ Oratorem, ac Sereniſſimi Principis Veneti FRANCISCI ERIZZO deuotiſſimum ſeruum, enixè rogantem à Deo Optimo Maximo vt Maieſtatem Veſtram, Toti Eccleſiæ Catholicæ ſeruet incolumem, Inuictiſſimamq. ac de ſuis hoſtibus glorioſiſſimè triumphantem, &c.

Ioannes Baptiſta Catumſyritus, Italogræcus Rhegynus, humillimè ad pedes proſtratus Orator.

Digitized by Google

Approbatio Patris Magiſtri Marci Ferro, Veneti Dominicani, Reuiſoris librorum Sancti officij, ex commiſſione Reuerendiſſimi Patris Magiſtri Clementis de Iſeo Inquiſitoris Generalis.

FIdem facio ego Frater Marcus Ferro Venetus, Magiſter & Prior in hoc Veneto Conuentu SS. Ioannis & Pauli, ſpecialiter Reuiſor electus ex commiſſione Reuerendiſſimi Patris Magiſtri Clementis de Iſeo, Inquiſitoris Generalis; me obſeruaſſe Tractatum hunc ſecundum excellentiſſimi Doctoris Ioannis Baptiſtæ Catumſyriti, Italogræci Rhegyni de Proceſſione Spiritus ſancti nihilque in eo me vidiſſe contra Fidem Catholicam, neq; contra Principes, neq; contra bonos mores. Immo omnia conſona doctrinæ orthodoxæ, & euangelicæ. Vnde ſatis celebro, & laudo eundem Doctorem Italogræcum, tanquam Angelum veræ pacis & Concordiæ; ipſumque prædico digniſſimum ſpeciali gratia, & fauore omnium REGVM, ac Principium Chriſtianorum, apud Sedem Apoſtolicam, & Sanctiſſimum VRBANVM OCTAVVM, & ſignanter Protectione Chriſtianiſſimæ Maieſtatis Regis Galliæ LVDOVICI XIII. ac Sereniſſimi Principis Veneti FRANCISCI ERIZZO, ac Illuſtriſſimi & Reuerendiſſimi FRANCISCI VITELLII, Legati Apoſtolici, & Archiepiſcopi Theſſalonicenſis. In quorum Fidem hæc tacto pectore, de more Religioſorum atteſtor, ex eodem Conuentu Sanctorum Ioannis & Pauli hodie 1. Ianuarij 1633. Ita eſt Frater Marcus Ferro Venetus Magiſter & Prior, ac Reuiſor, vt ſupra.

Atteſtatio Fratris Franciſci de Catharo Scotiſta, Generalis Lectoris Sacræ Theologiæ, in publico Auditorio Veneto Sancti Franciſci de Vinea, & Reuiſoris Ordinarij librorum Sancti Officij, ex commiſſione Reuerendiſſimi Patris Inquiſitoris Generalis, Magiſtri Clementis de Iſeo Dominicani.

EGo infraſcriptus Frater Franciſcus à Catharo Scotiſta, Publicus & Primarius, ac Generalis Lector Sacræ Theologiæ, in hoc Auditorio Veneto Sancti Franciſci de Vinea; Fidem facio me legiſſe Tractatum hunc ſecundũ excellentiſſimi Doctoris Italogræci Rhegyni Ioannis Baptiſtæ Catumſyriti, circa Proceſſionem Spiritus ſancti, ex commiſſione Reuerendiſſimi Patris Clementis de Iſeo, Magiſtri & Inquiſitoris Generalis: nihilque me in eo obſeruaſſe contra Fidem Catholicam, neque contra Principes, neque contra bonos mores. Sed potius miram conſonantiam, ac Summam Concordantiam Vtriuſq; Eccleſiæ. Ita vt verificetur doctrina Subtiliſſimi Doctoris noſtri Scoti 1. d. 11. q 1 § *Inter Græcos & Latinos nulla ſubeſt realis, ſed ſolum verbalis contrarietas, circa Proceſſionem Spiritus ſancti &c.* In quo atteſtor eundem Doctorem Italogræcum demonſtraſſe ſe digniſſimum ſumma beneuolentia, & Protectione omnium Regum & Principum Chriſtianorum, apud Sedem Apoſtolicam, & Sanctiſſimum VRBANVM OCTAVVM, ſpecialiter vero Chriſtianiſſimæ Maieſtatis REGIS GALLIÆ LVDOVICI XIII. ac Sereniſſimi Principis Veneti FRANCISCI ERIZZO, ac Illuſtriſſimi & Reuerendiſſimi FRANCISCI VITELLII, Legati Apoſtolici, & Archiepiſcopi Theſſalonicenſis. Quod omne tacto pectore de more Religioſorum atteſtor hodie 20. Ianuarij 1633. ex noſtro Conuentu Veneto Sancti Franciſci de Vinea.

Ego Frater Franciſcus de Catharo qui ſupra manu propria, &c.

Licentia Reuerendiſſimi Patris Inquiſitoris Generalis Veneti Magiſtri Clementis de Iſeo Dominicani.

Die 24. Ianuarij 1633.

STante atteſtatione admodum Reuerendi Patris Magiſtri Marci Ferro, & Patris Lectoris de Catharo de qualitate libri intitulati *Vera Vtriuſque Eccleſiæ Concordia, circa Proceſſionem Spiritus ſancti* ab excellentiſſimo Doctore Ioanne Baptiſta Catumſyrito Italogræco Rhegyno conſcripti, ego Frater Clemens de Iſeo Inquiſitor Generalis Venetus concedo licentiam pro parte, quæ ſpectat ad Sanctum officium vt typis mandetur, &c.

Ita eſt Frater Clemens Inquiſitor, qui ſupra, &c.

Digitized by Google

VERA
VTRIVSQVE ECCLESIÆ
Concordia circa Proceſſionem Spiritus Sancti
Tractatus Secundus dicatus
Chriſtianiſſimo Francorum, & Nauarræ Regi
LVDOVICO XIII.
AC EMINENTISSIMO PRINCIPI
GERMANO S.R.E. CARD. DE RICHELIEV,
Duci & Pari Franciæ, Gallicanæ Militiæ, terra mariq. Præfecto Generaliſſ.

Sub cenſura celeberrimæ, nulliq. ſecundæ, Scolæ Sorbonenſis.

Auctore IO. BAPTISTA CATVMSYRITO Italogræco Rhegyno S.T.D.

CAPVT PRIMVM.

Synopſis totius Quæſtionis paucis perſtricta, ſed fuſius infra probanda, quòd inter Græcos, & Latinos circa Proceſſionem Spiritus Sancti; nulla ſit vera, & realis contradictio, neque contrarietas, niſi ſolùm verbalis, ſeu vocalis, vt expreſsè teſtatur Scotus in prim. diſt. 11. q. 1. ſiue cum Latinis dicatur Spiritus Sanctus procedere à Patre, & à Filio; ſiue cum Græcis dicatur Spiritus Sanctus fontaliter procedere à Patre, ſeu à ſolo Patre per Filium, ex Concilio Florentino,

Placet hic, Candide Lector, paucis totam quæſtionem perſtringere, ad animi ambiguitatem, omnemq; moleſtiam tollendam, ne vſq; in finem Tractatus, anceps mens expectet tanti nodi, ac difficultatis grauiſſimæ diſſolutionem: quæ totam ferè Eccleſiam Catholicam diu vexauit, non penetrando ſenſum SS. Patrum Grecorum, à quibus prauè intellectis, aliqui etiam Græci, ne dum Latini deuiant, dum neq; admittunt Spiritum Sanctũ procedere à Filio, neq; per Filium, quòd lacrymis potius, quam atramento ſcribendum ac referendùm eſſet.

Probandum eſt itaq; ex S.Th. 1. p. q. 36. veram eſſe doctrinam Subtiliſſimi Doctoris Scoti in primam d. 11. q. 1. §. *In iſta quæſtione proceſſionis Spiritus Sancti dicuntur Græci diſcordare a Latinis, vt videntur auctoritates Damaſceni ſonare. Sed ſi forte duo Sapientes, vnus Græcus, alter Latinus, vterq; verus amator veritatis, & non propriæ dictionis, de hac viſa contrarietate diſquirerent; pateret vtique ipſam contrarietatem non eſſe veraciter realem; ſicuti vocalis eſt. Alioquin vel ipſi Græci, vel nos Latini ſumus vere Hæretici. Veriſſimile igitur eſt, quod non ſubeſt dictis contrarijs diſcors ſententia. Multipliciter .n. hoc dicitur eſſe huius, vel ab hoc, ſeu ex illo. Qua multiplicitate forte intellecta, & diſtincta, pateret vtiq, quòd contrariorũ verborum non ſit diſcors ſententia, &c.* Quid clarius, quidue rectius dici poteſt? ecce admirabilem diſtinctionem Subtiliſſimi Doctoris Scoti, circa multiplicem, æquiuocamq; ſignificationem genitiui caſus, quam multi non aduertunt.

Synopſis totius queſtionis.

Vnde non ſequitur ex Scoto ly *Spiritus Sanctus eſt ſpiritus Veritatis, ſeu ſpiritus Chriſti Filij, ergo procedit à Filio.* Quia ex Scoto multipliciter aliquid dicitur eſſe huius. Quare S. Th. p. p. quæ. 38. art. ad primum. §. *Hoc eſſe huius ait multipliciter dicitur. Vno modo per identitatem; & ſic Spiritus Sanctus eſt ſui ipſius, & dat ſeipſum. Alio modo dicitur eſſe alicuius poſſeſſiuè, à quo realiter diſtinguitur, vt creatum donum Dei. Tertio modo res dicitur eſſe alicuius per originem & ſic Filius dicitur eſſe Patris, & Spiritus Sanctus per originem dicitur eſſe Patris, & Filij,* ſignificat etiam formaliter. vt Virtus Chriſti, anima Chriſti, ſeu diuinitas eius, vt quæſt. 41. art. 2. corp. §. *Ablatiuus dupliciter ſignificat, primo concomitantiam tantum & ſic dicitur Pater genuiſſe Filium voluntate concomitanter, quia vult generare. Alio modo ablatiuus ſignificat habitudinem principij, & ſic Deus produxit creaturas voluntate, non autem genuit Filium voluntate, ſed natura diuina, in genere principij formalis: effectus enim ſeu productio aſſimilatur formæ per quam formaliter agit Deus, ſiue ad intra formaliter per naturam Diuinam, ſiue ad extra efficienter vt quo, per voluntatem.* Hæc ex S. Thoma. Adde quod penultimo ſignificat originem immediatam, & primam ſimpliciter, ſeu fontalem, & ingenitam, ac Authoritatiuam emanationem. Quo ſenſu Spiritus Sanctus eſt Spiritus Patris, & non Filij, ſeu eſt Spiritus ſolius Patris, quia a ſolo Patre procedit fontaliter, & immediatè ſeu authoritatiuè, tanquam ab Alpha, & Omega perſonali, ſeu a ſimpliciter primo principio perſonali, non de principio. In quo ſenſu erroneum eſt ſentire, & docere, quod Spiritus Sanctus procedit a Filio; cum vt ſic a ſolo Patre procedat. Significat vltimo genitiuus ille (Spiritus Chriſti), ſeu Spiritus Veritatis, mediatam originem, ſeu principiationem genitamq; cauſalitatem, dempta ſemper omni imperfectione. Quando enim productus terminus eſt à pluribus perſonis, tunc eſt ordo inter illas; ſecus vbi non eſt ordo, ibi neq; eſt primum, neq; principium; ſed eſt cõfuſio ex S. Th. p. p. q 42. art. 3. Vnde alio, id eſt diſtincto modo Spiritus ſanctus producitur à prima perſona, & alio, ſeu diſtincto modo à ſecunda, itaut alietas, ſeu diſtinctio non cadat ſupra ipſam productionem, ſed ſupra ordinem originis illarum Perſonarum, & ſupra modum eſſendi à ſe, vel ab alio, ac modum operandi à ſe, vel ab alio; & vt ſic alio modo Spiritus ſanctus procedit a Patre, nimirum fontaliter, tanquam a primo ſimpliciter principio perſonali, authoritatiuo, & immediato, quod non poſſit reſolui in aliam priorem perſonam, ſeu Authorem. Et hoc ſenſu SS. Patres Græci rectè negant Spiritum ſanctum procedere à Filio. Item alio, ſeu diſtincto modo Spiritus ſanctus procedit à Filio, quo modo nõ poteſt procedere à Patre, quia à Filio procedit mediata, genitaque principiatione, & fontalitate reſolubili in mediatam ſignificationem illius præpoſitionis (*Per*) ita vt Spiritus ſancti proceſſio à Filio propriè, & ſtrictè ſit proceſſio *Per Filium*, quia ly *à Filio*, non poteſt ſignificare immediatam, ingenitamq; fontalitatem, quæ eſt à ſolo Patre, tanquam ab Alpha, & Omega perſonale totius Trinitatis, quod ex S. Tho. p. p. q. 39. art. 8. probabimus eſſe de fide ex primo Ioannis *Omnia per ipſum facta ſunt*. Omnia (inquam) non repugnãtia, facta ſunt intelligibilia per Verbum, ſeu repræſentabilia, ac producibilia à Patre, & ad Patrem per Filium referibilia: quia ex Auguſtino 7. de Trini. c. 4. *eo Filius quo Verbum*. Ly autem *Per ipſum*: quod denotet principium, fuſius probat Albertus Magnus in ſuo compendio Theologiæ lib. 1. ca. 8. §. *Illa propoſitio; Pater, & Filius diligunt ſe eſſentialiter Spiritus ſancto, id eſt, per Spiritum ſanctum falſa eſt. Spiritus enim ſanctus denotatur eſſe principium in Trinitate per ly (Per) quod eſt impoſsibile. Eſt enim regula quod hæc dictio (Per) ſemper dicit rationem principij, reſpectu alicuius poſiti in loquutione. vt quando dicimus, Patrem operari creaturas per Filium; ibi enim in Filio denotatur ratio principij, reſpectu termini producti, &c.* Hæc eadem confirmat S. Thomas p. p. q. 37. art. 1 ad tertium, & q. 39. art 8.

Confirmatur 1. quia alio, id eſt, diſtincto modo Spiritus ſanctus refertur ad Filium & alio modo ad Patrem; nam ad Patrem refertur tanquam ad fontale, & perſonale Alpha, & Omega Trinitatis, ſeu fontale principium *Quod* non de principio, ſeu ingenitum, & authenticum, ſeu authoritatiuum principium. E contra vero ad

Filium

Digitized by Google

Filium refertur, tanquam ad mediatum, genitumq; ſeu principiatum principium perſonale *Per quod*. Vnde Spiritus ſanctus diſtincto modo refertur ad Patrem, & ad Filium, etiam in ratione perſonalis principij ſpiratiui: Quantum enim differt prima Perſona Diuina à ſecunda, tantundem differt Paternum principium *Quod* perſonaliter ſpiratiuum à Filiali ſpiratiuo principiato perſonali *Per quod*. Nam hoc non eſt ſimpliciter principium (ſecus eſsent duo principia perſonaliter diuerſa, ſicut Pater, & Filius ſunt duæ Perſonæ diuerſæ) ſed ſimpliciter Filius eſt medium, ſeu mediatum principium; Medium (inquam) reſpectu Patris Authoris, & fontis; principium vero perſonale, nō eſsentiale, reſpectu termini cuiuſcunque, & quomodocumq; producti, tam ad intra, quàm ad extra. Item Filius eſt principium concomitanter tantum, non autem ſimpliciter neceſsarium ipſi Patri ad ſpirandum, vt ex Scoto, & Caiet. infra conſtabit. Si enim per impoſſibile prius eſset productus Spiritus ſanctus, quàm Filius; ſufficiens principium eſset Pater ad ſpirandum.

Synopſis totius quæſtionis.

Confirmatur 2. quia Pater, & Filius non poſsunt eſse vnum, idemq; principium perſonale, neq; ad intra, neq; ad extra, ſine hæreſi Sabelliana, vt Græci contendebant, in Concilio Florentino ſeſsione 22. Licèt autem Pater, & Filius ſint vnum, idemq; principium eſsentiale ad extra creatiuum, ac per accidens ſubſiſtens in tribus perſonis, reſpectu creationis: tale tamen principium per accidens ſubſiſtens in duobus ſuppoſitis, non poteſt eſse productiuū ad intra, quia realiter diſtingueretur à re producta; & ſic perſona producta non eſset Deus ille eſsentialis, per ſe productiuus, Ergo principiū eſsentiale ad extra tantùm poteſt eſse productiuum, non ad intra; vbi actiones ſunt ſuppoſitorum per ſe, & ſecundum quod ipſum. vt fuſius ſuo loco infra. neq; valet paritas, ſeu falſiſſima illa paritas, Fauētini, quod ſicut ad extra Deus creans per accidens ſubſiſtit in tribus: ita Deus ſpirans, ad intra per accidens ſubſiſtit in duabus perſonis, quia ſpirant vt vnū eſsentiale principium, quod eſt falſum, vt infra.

Filius eſt mediatum principium. Sed medium, reſpectu Patris, cui ſubordinatur ſine imperfectione. Principium vero, reſpectu Spiritus Sancti.

Confirmatur 3. quia per vtramq; Eccleſiam de fide eſt, quod ſolus Pater (excludendo Filium & Spiritum ſanctum) eſt immediatum principium perſonale *Quod* ſeu perſonale Alpha, & Omega, Alpha omnis productionis perſonalis; & Omega omnis reſolutionis ſiue ad intra, ſiue ad extra. Ideo enim Filius ſpirat, ſeu creat, quia prius origine naturali Pater creat, ſeu ſpirat, non autem è contra. Ideo autem Pater eſt principium, quia non eſt principiatus, ſeu quia non eſt à principio, ſeu quia non eſt ab alio quæ eſt cauſa præciſa. In cauſis aūt præciſis, ſicuti ſe habet affirmatio ad affirmationē; ita ſe habet negatio ad negationē: vnde à contrario ſenſu quia Filius eſt ab alio, ſeū eſt principiatus, ſeū eſt à principio; ideo nō eſt principiū actiuū in Trinitate, ſed potius eſt principium paſſiuum, ideſt principiatum principium. Non eſt itaq; ſimpliciter principiū, immediatum, & ingenitum, ſeu primum negatiuè, & Anarchicon, quod eſt de ratione principij ſimpliciter, ſed eſt ſecundum quid, ideſt mediatum, genitumq; principiatum principium ac mediata, genitaq; communicata fontalitas, quæ reſpectu Patris ſemper habet rationem medij, ſeu mediati ſuppoſiti non autem primi, neque principij. Secus darentur duo principia perſonalia, ſeū duplex principium perſonale *Quod*, correlatiua ſpecie differens, non ſine hæreſi fauente Manichæis, ex S. Th. p. p q. 33. art. 4. ad quartum §. *In omnibus deueniendum eſt ad vnum tantum primum principium, &c.* Sed Pater & Filius non poſſunt eſſe vnum, idemque primum principium ad intra, quia hoc eſſe debet perſonale, non eſſentiale, vt fuſius infra.

Confirmatur 4. quia darentur duo Dei, ſi daretur duplex principium perſonale *Quod* ſeu *A quo* alius. Nullus .n. alius ordo eſt inter Diuinas Perſonas ex S. Th. p. p. q. 33. ad quartū, niſi ordo & principiū *A quo alius* & ordo eius qui eſt *Ab alio*. At ſi daretur duplex principium perſonale *A quo alius* tunc eſſent duo Dei, ex S. Th loco cit. Vbi concludit quod in omnibus deueniendum eſt ad vnum tantum principium primum, immediatum, & vlterius non reſſolubile in aliud principium perſonale.

Confirmatur 5. quia non eſt tribuendum Filio, quod derogat dignitati, & aucto-

Digitized by Google

Synopſis totius queſtionis.

ritati Patris. At ſicut derogat Patri aſſerere, quod Filius ſit idem perſonale principium *Quod* creatiuum cum Patre: ſic derogat ſentire, & docere, quod Filius ſit idem perſonale principium *Quod* ſpiratiuum cum Patre. Præter quamquod Sabellianam hæreſim id ſapit. Sicut enim de fide eſt, quod Pater, & Filius ſunt vnus, idemq; eſſentialiter Deus, non tamen æquè immediate, quod eſt hæreticum, ſed cum ordine diſtinctionis originis genitæ, & ingenitæ. ſic Pater & Filius ſunt quidem vnus idemque creator Deus ad extra, non tamen æquè immediate Deus, ſine ordine originis. Et ſicut de fide eſt ad intra, quod Pater, & Filius ſunt vnus idemq; ſpirator Deus eſſentialis, ſed cũ ordine diſparis, diſtinctæq; originis, quatenus Pater principialiter ſpirat amorem eſſentialẽ vt *Quod* ſed per Filium, & per Spiritum ſanctum qui oẽs à Patre habent, quod amore eſſentiali diligant Deum, ſeu Diuinam eſſentiam, & creaturas: ſic de fide eſt, quod Pater, & Filius ſint vnus, idemq; notionaliter ſpirator Deus, ſed cum ordine diſtinctionis Perſonarum, ac diſtincti perſonalis principij ſpiratiui, vt *Quod* in Patre, & vt *Per quod* in Filio, ſed cõcomitanter ex Scoto in 1. diſt. 11, & Caiet. p. p. q. 36. art. 4. Æquiuocatio autem magna eſt, à Principio eſſentialis amoris, (quod principium eſt Deus, ſeu Diuina eſſentia ſecundum quod ipſum) inferre principium notionalis amoris hypoſtatici, quod perſonale, & vnum eſſe debet, & non poteſt adſcribi duabus perſonis Patris, & Filij, ſine hæreſi Sabelliana; vt fuſius infra.

Nota magnã æquiuocationẽ.

CAPVT 2.

Confirmatur 6. quia cum dupliciter dicatur Deus, (perſonaliter nimirum; ac eſſentialiter) de fide eſt, quòd ſicut Pater non eſt idem perſonaliter Creator Deus, qui eſt Filius; neq; eſt vnum, idemq; perſonale principium creatiuum (ſaltem vltimâ denominatione) licet ſint vnus idemq; imperſonaliter, eſſentialiterq; Creator Deus: Sic ad intra de fide eſt, quòd Pater, & Filius non ſunt, neq; eſſe poſſunt vnus, idemq; perſonaliter Spirator Deus, ſeu perſonale principium ſpiratiuum, ſine hæreſi Sabelliana, Diuinarum Perſonarum confuſiua. Licet Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus ſint vnus, idemq; eſſentialiter Spirator Deus, & vnum, idemq; eſſentiale principium ſpiratiuum amoris eſſentialis, erga Deum, ſeu Diuinam eſſentiam, & creaturas ex S. Th. p. p. q. 37. art. 1. ad tertium, & art. 2. ad tertium. & Caiet. q. 36. art. 4. Sicut ergo Pater eſt alius perſonaliter Creator Deus, quàm ſit Filius; ſic Pater eſt alius notionaliter ſeu perſonaliter Spirator Deus quàm ſit Filius. Et è contra ſicut hæreticum eſt ſentire, & docere, quod Pater, & Filius ſint vnus, idemq; perſonaliter Creator Deus, ſeù perſonale principium creatiuum ad extra (ſaltem vltima denominatione:) ſic pariter hæreticum eſt ſentire, & docere cum eodem Sabellio, quòd Pater, & Filius ad intra ſint vnus, idemq; perſonaliter, ſeu notionaliter Spirator Deus, ſeu vnum, idemque perſonale principium ſpiratiuum. Non datur autem duplex principium perſonale in diuinis, quia daretur duplex Deus (inclinando in hæreſim Manichæorum) ex S. Th. p. p. q. 33. art. 4. ad quartum. Ergo alteruter eſt perſonale principium *Quod* ſimpliciter Spiritus ſancti, vel Pater, vel Filius: & alteruter eſt perſonale principium ſecundum quid, ſeù principium principiatum, ac mediatum *Per quod* concomitanter ſpirans, per ſe quidem, non autem à ſe; ſed ab alio, cuiuſmodi eſt Filius; ex S. Th. p. p. q. 42. art. 6. ad primum.

Confirmatur 7. quia vanum eſt illud effugium Becani, & Torres de Trinitate, quod actiones ad intra non ſint ſuppoſitorum per ſe, & ſecundum quod ipſum; ſed ſint, & eſſe poſſint alicuius imperſonaliter, & ſingulariter exiſtentis, ſub formalitate ſpiratoris, qui sm̃ quod ipsũ, neq ſit Pater neq; ſit Filius, ſed ſit Spirator Deus: neq; tamen ſit Deus eſſentialiter, neq; ſit Deus perſonaliter, vt ait Becani de Trin. c. 6. q. 5 ſed ſit Deus relatiuus, in tali formalitate per ſe ſubſiſtens, & contradiſtinctus ab omni alia formalitate. Non valet inquam, quia talis Spirator eſſet Tertia Perſona, productiua Spiritus ſancti Quartæ Perſonæ: actiones enim ad intra ſunt ſuppoſitorum: neq; aliud in Deo inuenitur, niſi eſſentia, & perſona, ex S. Th. & Scoto, vt fuſius infra. Quod enim eſt imperſonale, eſt etiam eſſentiale, & non poteſt producere perſo-

Falſitas quarte formalitatis Dei ſpiratoris qui neq; ſit Deus eſſentialiter, neq; ſit Deus perſonaliter.

Digitized by Google

perſonam, quia Nemo dat, quod non habet. Vnde neq; eſſentia eſt productiua alicuius perſonæ, quia eam non habet, & quia realiter diſtingueretur à perſona producta, quæ conſequenter non eſſet Deus, ſed realiter diſtingueretur à Deo producente, vt Deus eſt, nam inter producens & productum ſemper eſt diſtinctio realis. *Synopſis totius queſtionis.*

Confirmatur 8. quia falſum eſt etiam illud argumentum Aduerſariorum, quod ſicut Pater, & Filius ad extra ſunt vnus, idemq; Creator Deus eſſentialis, & imperſonalis; ſic ad intra ſunt vnus, idemq; imperſonalis, & eſſentialis Spirator Deus, ſeu vnum, idemq; ſpiratiuum principium eſſentiale; ſicut ſunt vnum, idemq; imperſonale, & eſſentiale principium creatiuum ad extra. Non valet autem. Nam ad intra actiones ſunt ſuppoſitorum per ſe, & ſecundum quod ipſum, ſeu primaria denominatione; ſicut ad extra per ſe, & ſecundum quod ipſum actiones non ſunt ſuppoſitorum, ſed ſunt ſolius eſſentiæ Diuinæ, ſuppoſitorum vero ſecundario, & vltimata denominatione ſunt actiones. Vnde ad extra Deus operatur vt Vnus eſt, & imperſonalis, ſecundum quod ipſum. E contra vero Deus ad intra notionaliter operatur vt Trinus, ſeu vt perſonalis, ſeu vt diſtinctus eſt in perſonis. Vnde vanum, & falſum eſt fundamentum hoc principij eſſentialis ad intra productiui perſonarum ſicut ad extra. Immo indignum eſt docto Theologo.

Confirmatur 9 quia Filius non principiat fontaliter perſonaliter, ergo nō eſt principium perſonale, & fontale: principiat enim ſolus Pater ordine originis, nam Filius concomitanter tantum ex Scoto ſpirat; & ideo ſpirat, quia Pater ſpirat, non autem è contra. Neq; Pater, & Filius eſſe poſſunt vnum, idemq; fontale, perſonale principium, ſine hæreſi Sabelliana, confuſiua Diuinarum Perſonarum in vnam.

Confirmatur 10. quia ſicut Pater, & Filius non poſſunt eſſe vnum, idemq; principium amoris eſſentialis, non hypoſtatici, & ſimul amoris notionalis hypoſtatici (nam illius principium eſt Diuina eſſentia, huius verò eſt Perſona.) Sic nec Pater, & Filius eſſe poſſunt vna, eademque Perſona, ſeu perſonale principium amoris notionalis, & oppoſitum eſt hæreſis Sabelliana.

Confirmatur 11. quia Filius non eſt primum in Trinitate, ergo neq; eſt principium, nam primum, & principium conuertuntur ex Ariſt. 1. poſt. c. 2. (*Idem dico Primum & Principium*) Si enim Filius eſſet principium, eſſet ēt primum ſuppoſitum, ſeu Perſona prima, & prima Dignitas, ſicut & Pater. Et ex S. Th. p. p. q. 33. art. 4. corp. q. § *In ſolis creaturis inuenitur primū, & ſecundum principium. At in diuinis perſonis neque eſt prius, neq; poſterius, niſi principium non de principio, & id quod eſt à principio (ſeu principium principiatum) vt eſt Filius, & Spiritus Sanctus.*

Confirmatur 12. quia iſta duo principia perſonalia Patris, & Filij vel ſunt inter ſe ordinata, ſeu ſubordinata (ſine vlla tamen imperfectione) per ſolum ordinem, & prioritatem originis: vel non ſunt ſubordinata, ſed confuſa; quia vbi eſt multitudo ſine ordine, ibi eſt confuſio, ex S. Th. p. p. q. 42. art. 3. quod eſt hæreticum ponere in Deo. Si ergo Pater, & Filius ſunt ſubordinata principia perſonalia, ibi eſt vnum tantum principium perſonale, quia Vbi plura propter vnum, ibi vnum tantum, Nam in omnibus deueniendum eſt ad vnum tantum primum principium, ex S. Th. p. p. 33. art. 4. ad quartum. Secus ſi dabitur duplex ordo *A quo alius* dabitur duplex Deus, & duplex principium perſonale; quod eſt Manichæum ex S. Th. p. p. q. 33. art. 4. ad 4. §. *In omnibus deueniendū eſt ad vnū tantū primū principiū de non principio, ſeu vnum immediatum; ſecus dabuntur duo Dei &c.* Eſt autē Filius idem Principium *Quod* eſſentiale cum Patre, & Spiritu ſancto, ſed ad extra, & non ad intra, & de hoc non eſt queſtio. Eſt etiam principium paſsiuum, ideſt, principiatum ſuppoſitum, ſeu eſt à principio, ſicut Spiritus ſanctus, non autem eſt principium *Quod* Trinitatis; cuiuſmodi eſt ſolus Pater, tanquam principium non de principio, ſeu Alpha, & Omega perſonale; Filius enim cum non ſit Alpha, & Omega perſonale, non poteſt conſequenter eſſe tale Primum, ſeu tale principium; cūm ſit Vita.

Confirmatur 13. ex orthodoxa doctrina & ſenſu SS. Patrum Græcorum, qui reſpicien-

Digitized by Google

Synopſis totius quæſtionis.

cientes ad hunc ordinem originis, ſeu fontale principium Spiritus ſancti tanquam ad ſolum Alpha & Omega perſonale totius Trinitatis; ac inter Patrem, & Filium inuenientes pluralitatem perſonarum ſpirantium, & diſtinctionem originis eorum, ſeu modi eſsendi, ac diſtinctionem modi operandi; omniaq; hæc reſoluentes in vnum tantum, primum principium perſonale ingenitum, fontale, & authenticum, ne duo principia perſonalia admitterent, duoſq; ſpiratores perſonales introducerent: ideo ſatis orthodoxè dixerunt Spiritum ſanctum procedere fontaliter à Patre, ſeu à ſolo Patre, tanquam ab Alpha, & Omega perſonale, excludendo Filium à tali fontalitate ingenita, & immediata cauſalitate, ſeù principiali ratione anarchica. De qua fontalitate, & prioritate originis, & naturæ ait Scotus in primo diſt. 1. q. 3. art. 2. Quod Pater prius origine eſt Beatus, quàm generet Filium, ſeu producat Spiritum ſanctum & in quodli. q 8. ait Patrem prius origine, ſeu natura creare, aut ſpirare, quam creet, ſeù ſpiret Filius; quia in omnibus deueniendum eſt ad vnum tantum primum principium perſonale de non principio.

CAPVT 3.

Hanc diſtinctionem proceſſionis Spiritus ſancti à Patre per Filium, prò diſtincta fidei profeſſione docent SS. Patres Græci, ad euitandam omnem confuſionem in hoc myſterio, in quo neq; periculoſius erratur, neq; laborioſius aliquid quæritur, neq; fructuoſius aliquid inuenitur ex Auguſt. 1. de Trini. Et ideo neque confuſum aliquod eſt inuehendum ex Athanaſio in Symbolo. *Neque confundentes perſonas* nimirum cum Sabellio confundentes perſonam Patris, & Filij in vnum perſonale principium ſpiratiuum.

Confirmatur 14. quia, vt fuſius docet S. Th. p p. q. 39 ar. 8. apud Sacrã Scripturam diſtincta ſignificatio illius præpoſitionis A, vel Ex, tribuitur ſoli Patri, tanquam ſoli Alpha, & Omega perſonali Trinitatis, ac tanquam ſoli Authori omnis emanationis. Significatio vero illius mediatæ præpoſitionis *Per* tribuitur ſoli Filio, ex Apoſtolo ad Rom. 11. *Ex ipſo, per ipſum, & cum ipſo &c.* Vnde Apoſt. etiam ait *Non poſſumus aliquid à nobis, tanquam ex nobis cogitare, ſed omnis ſufficientia enim noſtra eſt à Deo Patre Luminum, per Filium ſuum nempe, ac per Spiritum Sanctum* & ideo Ioan. 16. dicitur *Spiritus Sanctus non loquetur à ſe*, & Io. 5. *Filius nihil poteſt facere à ſe, ſed à Patre* & Magiſ. in 1. d. 13. quærit cur Io. 16. dixerit Xps *Spiritus S. qui a Patre procedit* non aũt dixerit *Qui procedit a me*, ait id dictum, quia ſolus Pater eſt Autòs, ſeu Author, hoc eſt, à ſe. & ibi agitur de proceſſione authoritatiua, & authentica, ac fontali, ab aliquo tanquam Authore; ſeu Alpha, & Omega perſonali. Et eadem de cauſa Filius ait *Mea doctrina non eſt mea* quia non eſt à me, ſed eſt ab Authore meo fontaliter. Sic mea ſpiratio non eſt mea, quia authoritatiuè, & fontaliter non eſt à me: licet ſit per me. Agitur enim ibi de fontalitate ingenita, quam fontalitatẽ ingenitam, & authoritatiuam ſeu authenticam, tanquam principium non de principio ſignificat ly A ſeu *Alpha* paternum, & perſonale, quod eſt fons ad intra omnis emanationis, & omnis reſolutionis, & virtutis terminus. Cuiuſmodi de fide eſt quod ſit ſolus Pater; & vt ſic Spiritus ſanctus procedit à ſolo Patre, excludendo Filium, & ideo Chriſtus dicit Io. 16. *Mittam vobis Spiritum à Patre* non autem dixit, neq; dicere potuit *Spiritus ſanctus quem ego mittam vobis à me*: Nam illa fontalis, & negatiuè prima littera anarchica; A. ſeu *Alpha* authoritatiua, & authentica perſonaliter quæ eſt à ſe, excludit Filium; & Spiritum ſanctum, & hac ratione Pater dicitur, & eſt Maior Filio. Ioan. 14. Maior inquam, quia Author eſt, ſeu Maior ordine, & prioritate originis, ac Maior ratione modi eſsendi à ſe, & modi operandi a ſe, ac Maior, quia eſt Alpha & Omega, principium perſonale, ſimpliciter, fontale ad intra omnis emanationis, & cauſalitatis, (dempta, ſemper omni imperfectione) Maior itẽm quia ad intra eſt omnipotens omnipotentia perſonali generandi à ſe, & ſpirandi à ſe vt Quod. Primum (inquàm) principium excludendo Filium, qui concomitanter tantum ſpirat, vt fuſius infra ex Scoto. Omnis ergo perſona producta eſt à Patre, quia ly A ſeu *Alpha* ſignificat fontalitatem, & principium de non principio: & hinc eſt quod Filius procedit à Patre,

Quomodo Pater eſt Maior omnibus alijs perſonis.

ſed

Digitized by Google

ſed Pater non eſt ab alio, ſed eſt à ſe negatiuè, nimirum quia A dicit *Alpha*, ac fontalitatem ingenitam, & authoritatiuam, ita propriam ſolius Patris, vt impropria, ſit Filij, ſeù excluſiua ſit Filij. Excluſiua autem ſignificatio hæc excludit ſemper Filium, quoties incluſio Filij repugnat authoritati, & dignitati Patris, ex S. Th. p. p. q. 31. a. 3. Idem ergo eſt, quod Spiritus ſanctus à Patre procedat authoritatiuè, fontaliter, & anarchicè, tanquam à principio de non principio, & quod procedat à ſolo Patre, excludendo Filium à tali anarchica fontalitate ſeu principio *quod*, non de principio. Nam Filius eſt principium *Per quod*.

Synopſis totius quæſtionis.

Atquè hic notanda eſt æquiuocatio illius ablatiui *Spir. Sanctus eſt à Filio, ergo procedit à Filio.* Græci negant talem S. Th. conſequentiam contra Damaſc. p. p. q. 36. art. 2. quæ eſſet vera ſi ſic inferretur *Ergo procedit à Filio, vel per Filium*. Nam ex Scoto in 1. diſt. 11. q. 1. §. *Multipliciter hoc dicitur eſſe ab hoc, vel ex illo, qua multiplicitate fortè intellecta, & diſtincta pateret vtiq; quod inter Græcos, & Latinos nulla eſt realis contradictio, niſi vocalis tantum, & quod contrariorum verborum non eſt diſcors ſententia* &c. eamdemque ſignificationem æquiuocam Ablatiui aſſignat S. Th. p. p. q. 41. art. 2. corp. Ablatiuus itaque ſignificat habitudinem cauſæ, ſeu principij ex S. Th. p. p. q. 37. art. 2. Vnde Falſa eſt illa propoſitio; Pater, & Filius diligunt ſe Spiritu ſancto, ita vt Spiritus ſanctus ſit Patri, & Filio principium diligendi eſſentialiter. Alio autem ſeu diſtincto modo Pater eſt principium non de principio, ſeu principium, *Quod*. Atque alio modo Filius eſt principium de principio, ideſt, principiatum principium, *Per quod*, ſeu concomitanter principium, ex Scoto in primum d. 11.

Alio itaq; ſeu diſtincto modo Spiritus ſanctus procedit à Filio, ideſt, mediatè, ſeù non fontaliter, nec tanquam principio de non principio, ac concomitanter, reſoluendo in illam propoſitionem *A Filio* id eſt *Per Filium*. Atq; alio modo Spiritus ſanctus procedit à Patre, ideſt, immediatè, & fontaliter, & ſimpliciter neceſſario, tanquam principio de non principio; itaut ly *A patre* non poſſit reſſolui in mediatam illam præpoſitionem *Per Patrem*. Eſt ergo ex S. Th. & Scoto æquiuoca ſignificatio ablatiui in procedendo ab aliquo. Quam æquiuocationem, & confuſionem, ſeù deceptionem (nam in æquiuocis latent deceptiones) effugientes SS. Patres Græci negant æque Spiritum ſanctum eſſe à Patre, & à Filio, tanquam ab vno, eodemq; principio aliquo perſonali, ſed ſolum ſentiunt Spiritum ſanctum eſſe à Patre *per Filium* diſtinguendo perſonas in tali principio, ac diſtinguendo eorum modum eſſendi, ac modum operandi. Quia tale principium vel eſſe debet genitum, vel ingenitum ex S. Th. p. p. q. 33. art. 4. Itē vel eſſe debet perſonale, vel imperſonale, & eſſentiale. Sed neutrum dici pōt, quia principiū eſſentiale, & imperſonale ad intra, non datur ſine Ariana diſtinctione reali à re principiata. Neq; tale principium pōt eſſe genitum, quia vt ſic, Pater eſſet genitus: neque poteſt eſſe ingenitum, quia vt ſic, Filius eſſet ingenitus: neq; poteſt eſſe perſonale, quia vel eſſet quarta perſona Trinitatis (nam actiones ſunt ſuppoſitorum) Vel eſſet hæreſis Sabelliana, confuſiua diuinarum perſonarum in vnum principium perſonale, ſeu in vnam perſonam.

Reſpiciunt ergo Græci ad ſolum terminum *A Quo* ſeu ad ſimpliciter, & negatiuè primum principium, non de principio ſeù Alpha, & Omega perſonale, dum aiunt Spiritum ſanctum procedere à Patre fontaliter, ſeu à ſolo Patre. Qua Catholica veritate in tali catholico ſenſu, nihil dici poteſt magis Orthodoxum. Vnde Sancti Patres Græci in hoc eorum Catholico ſenſu, vnquam cenſurati fuerunt, neq; cenſurari potuerunt in Concilio Lugdunenſi, neq; in cap. *Firmiter. de ſum. Trin. & Fide Catholica*, neq; in Concilio Florentino, quicquid Aduerſarij gratis, & falsò Sanctis Patribus Græcis imponant.

Sancti Patres Græci neq; fuerunt condemnati, neq; condemnari potuerunt in catholico eorum ſenſu.

E contra verò Sancti Patres Latini, non attendentes terminum *A quo*, ſed potius reſpicientes ad ſolum terminum *Ad quem*, ſeù ad vnitatem termini producti, & ad vnitatem actionis, ſeu productionis; quia in vnitate non eſt pluralitas, neq; confuſio, neq; conſequenter in vnitate eſt ordo, neq; principium, neq; prius, neq; poſterius;

Digitized by Google

Synopſis totius queſtionis.

rius; ſed potius è contra in vnitate eſt ſumma vniformitas; ideo Latini dicunt Spiritum ſanctum æquè vniformiter procedere à Patre & à Filio, reſpectu nimirum ſolius termini *Ad quem*; quare non ſibi contradicunt Græci, & Latini, dum in diuerſo ſenſu loquuntur, vt rectè aduertit Scotus in 1. diſt. 11. q. 1. §. *Nulla ſubeſt inter Græcos, & Latinos realis contradictio, niſi ſolum verbalis in proceſſione Spiritus ſancti, &c.*

CAPVT 4.

Latini ergo recte dicũt Spiritum S. procedere vniformiter à Patre, & à Filio reſpectu eiuſdem termini *Ad quem*, quia non prius Spiritus ſanctus eſt à Patre, quàm à Filio, & in vnitate actionis, ſeu habitudinis productiuæ non eſt prius, nec poſterius; neq; difformitas modi, ſeù diſtinctio, neq; multitudo. Quæ tamen omnia ſunt ex parte termini *A quo*; quando ſunt plura ſuppoſita concurrentia ad eandem productiuam habitudinem ex Scoto in quodli. q. 8. §. *De ſecundo articulo dico &c.* & §. *Sed hic obijcitur quia ſi Pater prius ordine cauſat, quàm cauſet Filius, ergo Filius non cauſat illud idem cauſatum, quia quod prius eſt cauſatum, poſterius cauſari non põt, niſi idem bis cauſetur, quod eſt impoſſibile. Similiter poteſt argui de ordine originis ad intra, ſicut de ordine cauſalitatis ad extra. quia ſi Pater facit à ſe, & Filius non à ſe, ergo Pater cauſat prius origine, & tunc vt prius non poteſt cauſari à Filio, quaſi in ſecundo ſigno originis: quia idẽ non põt bis cauſari. Ad iſta reſpondeo, quod ordo cauſandi poteſt intelligi dupliciter, vel vt actio reſpicit ipſum producens; vel vt reſpicit ipſum productum: Si primo modo conſideretur; tunc eſt ordo authoritatis, & ſubauthoritatis; quia talis ordo eſt inter ſuppoſita agentia, in habendo principium formale agendi, quando vnum illorum tale principium formale accipit ab alio. Secundo autem modo reſpectu ipſius termini producti (nota benè) non eſt talis ordo, quia non prius ponitur res producta in eſſe per actionem, ſeu habitudinem Patris, quàm Filij &c.)* Quid clarius dici poteſt ex Scoto, eò quod talis ordo, & multitudo, aut diſtinctio eſt ſolum ex parte termini *A quo* non verò ex parte termini *Ad quem*.

Vnde rectè vtraq; Eccleſia ſentit, & docet, nullaq; vtrobiq; ſubeſt realis contrarietas, ſeù contradictio doctrinæ, niſi tantum vocalis, & verbalis. Secus vera eſſet opinio Scoti in primum diſt. 11. q. 1. §. *In iſta quæſtione proceſſionis Spiritus ſancti nulla ſubeſt inter Latinos, & Græcos vera, ac realis contradictio* (Eiuſdem nimirum; de eodem; & ſecundũ idem) *niſi ſolum verbalis. Alioquin vel ipſi Græci, vel nos Latini ſumus verè hæretici; &c.* Sicut ergo hæreticum eſt in hac re damnare Catholicum ſenſum SS. Patrum Græcorum: ita pariter erroneum eſt in fide damnare Ortodoxam ſententiam SS. Patrum Latinorum, quia vtriq; in diuerſo ſenſu rectè ſentiunt, & docent, neq; ſibi contradicunt. Quod erat probandum, vt fuſius infra dilucidabitur, licet preſſius hic ſit id omne perſtrictum ad ſynopſim.

Vnde iure diſtinguunt, & ordinant Græci modum & ordinem eſſendi, ac modum, & ordinem operandi ex parte termini *A Quo*. quem modum non poſſunt ordinare, neq; diſtinguere Latini ex parte termini *Ad quem*. Et hac de cauſa contra ſenſum illum SS. Patrum Græcorum, ex Sacra Scriptura Io. 16. *Spiritus, qui à Patre procedit. &c.* In Oecumenicis Concilijs Græcis ſub anathemate definitum eſt, ne fieret vlla additio in Symbolo. Quia citato cap. 6. Io. 16. agitur de authoritatiua fontalitate, ſpiratiui; & anarchica poteſtate proceſſionis Spiritus ſancti, à ſolo Patre, tanquam à ſolo Alpha; & Omega perſonali principio emanationis, vt contendit Theophilactus c. 3. in Io. Ad quam anarchicam proceſſionem à Patre, tanquam à principio non de principio reſpiciens Papa Leo Tertius nunquam induci potuit vt in ſymbolo admitteret additionem illam (*Filioq;*) contra ſenſum hunc SS. Patrum Græcorum; vt teſtatur Magiſ. ſent. in primum diſt. 11. §. *Secundum autem definitionem Concilij Niceni, Epheſini, Calcedonenſis, & Conſtantinopolitani,* (vbi ſub anathemate decretum fuerat, ne vlla Fidei Symbolo fieret additio) *Leo Papa Tertius in tabula argentea poſt altare Beati Petri, & Pauli poſteris reliquit Symbolum Fidei ſine ly (Filioq;) ad cautelam Fidei Orthodoxæ conſeruandæ.* Non ergo Latini contra Damaſceni, aliorumq; Patrum Græcorum doctrinam, & ſenſum ex parte termini (*A Quo*) addiderunt; neq; addere potuiſſent ly *A Patre, Filioq;* niſi æquiuocando indeſt *à Patre, per Filium.* Sed in alio ſenſu ex parte

ter-

Digitized by Google

termini *Ad quem* locuti ſunt, dum aiunt Spiritum ſanctum procedere à Patre, & à Filio. Quem ſenſum Latinorum negauit ex parte termini Ad quem Theodoretus Neſtorianus, & ideo damnatus fuit in Oecumenica Synodo Epheſina, ex S. Th. p.p. q.36.ar.2.ad 3. Leo autem Papa Tertius magis reſpiciens ad ſenſum Græcorum ex parte termini *A quo*, quam Latinorum ex parte termini *Ad Quem*, non errauit in Fide, dum noluit admittere illam additionem *Filioq;* vt gratis, & falsò ei adſcribunt multi, quos infra impugnabimus. Et per hoc patet defenſio S. Damaſceni, apud S. Thom. p.p.q.36.art.2.ad 3. loquutus eſt enim Damaſcenus ſecundum S. Patres ex parte termini *A quo*. Sanctus Thomas autem loquitur rectè ex parte termini *Ad quem*, quia putauit Damaſcenum loquutum cōtra ſenſum Latinorum ex parte termini *Ad quē*. *Synopſis totius quæſtionis.*

Sed quæres, ſi catholica eſt veritas in ſenſu Latinorum, quod Spiritus ſanctus vniformiter procedat à Patre & Filio, ex parte termini *Ad quem*, cur Leo Papa Tertius, nunquam induci potuit, vt id concederet illis Legatis ab Imperatore miſſis & contradicentibus? Reſpondeo Legatos illos contendiſſe dicendum eſſe Spiritum ſanctum procedere à Patre, & Filio, contra catholicum ſenſum Sanctorum Patrum Græcorum, ſeu ad cenſurandam damnandamq; opinionem & ſententiam Patrum Græcorum, & ad infringēdum violandumq; Decretum Concilij Niceni, Epheſini, Chalcedonenſis & Conſtantinopolitani, vbi ſub anathemate cautum fuit, vt contra illum ſenſum SS. Patrum Græcorum nulla fieret ſymbolo additio, ex parte nimirum termini *A quo*, neq; vlla mutatio, licet fieri potuiſſet additio quod *Spiritus Sanctus à ſolo Patre procedit vt* fontali principio *quod*, ſeu Alpha & Omega omnis perſonalis emanationis. Et ideo Leo Tertius non aſſenſus eſt, neq; aſſentiri potuit tali irrationabili inſtantiæ, ac querelæ contra Sanctos Patres Græcos; & contra ſenſum illum Oecumenicorum quattuor Conciliorum, Niceni, Epheſini, Chalcedonenſis & Cōſtantinopolitani. Eſt etiam & alia ratio, cur Leo Papa Tertius diſſenſerit, ac contradixerit Legatis illis, à Carolo miſſis, nimirum, quia legati illi errabant, atq; æquiuocabant, ſentientes & docentes quod Spiritus ſanctus procedit à Patre & Filio tanquam vnico principio, ſeu termino *A quo*, idq; dupliciter explicare poterant contra Sanctos Patres Græcos: Vel tāquam vnico principio perſonali Sabelliano, ac confuſiuo duarum perſonarum in vnam. Vel tanquam vnico principio eſſentiali & Ariano, realiter diſtinctiuo, ac diuiſiuo diuinæ eſſentiæ, quia inter producens & productum ſemper eſt diſtinctio realis. Et ideo ſi admittatur tale principium eſſentialiter productiuum, tunc perſona producta, non fuiſſet Deus ille eſſentialis, ac eſſentialiter productiuus, ſed realiter ab illo diſtincta fuiſſet: vt conſequenter docebant Arius & Macedonius negantes Filium & Spiritum ſanctum, eſſe illum eundem Deum eſſentialem, ſeu eſſentialiter productiuum, ex ſuppoſitione quod productus fuiſſet ex diuina eſſentia, tanquam principio *Quo* ſeu *Quod* in genere cauſæ, ſeu principij efficientis, quia in diuina eſsentia ſeu in Deo eſsentiali, non eſt abſtractum & concretum, ſicut in nobis compoſitis, neq; in Deo eſt iſta diſtinctio realis neq. formalis ex natura rei *Quo & Quod*, niſi in Deo perſonali, idq; ex imperfecto, inadæquatoq; noſtro modo cōcipiēdi ex S.Th.p.p.q.29.ar.4.ad 1.& q.40.art.1. & 2. & huius ratio eſt diuina ſimplicitas. Iure optimo itaq; Leo Papa Tertius reſtitit Legatis illis, contra ſenſum SS. Patrum Græcorum contendentibus, Spiritum ſanctum procedere à Patre & a Filio, tanquam vnico principio, quocunq; modo illud vnicum principium explicuiſſent, ſiue Sabellianum principium illud vnum fuerit perſonaliter, ſiue Arianum fuerit principium illud vnum eſsentiale, tam ad intra, quam ad extra productiuum, efficienter vt *Quo* ſeu vt *Quod*, ac realiter diſtinctum conſequenter à quacunq; re producta, ſiue producat Deus eſsentialis, ſeu hæc diuina eſsentia, vt *Quo*, ſiue vt *Quod*, tam ad intra, quam ad extra. In Deo enim non poteſt eſse aliud niſi perſona, & eſſentia, & conſequenter principium illud non niſi perſonale, vel eſsentiale eſse poteſt. Sed ſatis dolendum eſt, quod impugnatus hic ſenſus Legatorum illorum, & à Papa Leone Tertio reiectus, nunc reſumptus ſit tenaciſſime, ac defenſus ſit acerri-

Cur Papa Leo nunquam cōſenſerit legatis ſibi Papa contradicentibus?

Arius conſequenter loquebatur ad dictum antecedens falſum.

Synopſis totius queſtionis.

me, & armata quaſi manu tentus & intentus, omniq; maiori contentione aſſeueretur a Becano, Suario, Fauentino, eorumq; omnibus aſeclis, & diſcipulis, non aduertendo quod inclinant vel fauent ſatis Sabellio, vel Ario; quomodocunq; explicent principium illud vnum ex duabus perſonis, vel in duabus perſonis productiuum Spiritus ſancti. Fauent etiam Neſtorio & Petro Gnaphæo in Quinta Oecumenica ſynodo orthodoxè damnato, ob introductionem impiæ Quaternitatis perſonarum, deſtructiuæ Sanctiſſimæ Trinitatis. Cum enim actiones ad intra, ſecundum quod ipſum, ſint ſuppoſitorum, & iſti Doctores introducant quartam illam formalitatem Spiratoris Dei, realiter contra diſtinctā à perſona Spiritus ſancti, neceſſario erit perſona Diuina. Nihil enim aliud eſt perſona Diuina ex S. Thoma, & Scoto de Trin. niſi per ſe ſubſiſtens relatio diuina, & conſequenter Spiritus ſanctus erit quarta perſona, vt plenius infra ſuo loco; nam Spirator ille erit Tertia perſona, quia eſt Tertia per ſe ſubſiſtens relatio diuina, ante productum Spiritum ſanctum. Quod ſi dicant Spiratorem illum ſubſiſtere quidem in perſonis, ſed non eſſe perſonam, ſed eſſe Deum eſſentialiter tunc ex Macedoniana hæreſi ſequetur, quod Spiritus ſanctus non erit Deus eſſentialiter, ſi producetur ab imperſonali, & eſſentiali Spiratore Deo Fauentini, & Suarij, eorumq; diſcipulorum; quia inter producens & productum ſemper eſt diſtinctio Realis.

Aduerſarij inclinant in hæreſim Macedonij, & Arij, negantium Spiritum S. eſſe Deum coëſſentialem, & Homouſion Patri; dum aiunt productū fuiſſe a Deo ſpiratore imperſonali ſecundum quod ipſum, diuina eſſentia concurrente, vt quo, in genere cauſæ, ſeu principij efficientis. quorū vtrumq; eſt falſum.

Item non aduertunt quod fauent, & indirecte inclinant in dogma Arij, dum aiunt quod Diuina eſſentia eſt principium *Quo* in genere cauſæ, ſeu habitudinis, ſeu principij efficientis, tam in generando, quam in ſpirando, quod non ſolum eſt contra Sanctū Th. p p. q 41 art. 5. corp. (vbi loquitur de principio *Quo*, in genere cauſæ, ſeu principij formalis, non autem in genere principij efficientis, vt fuſius infra) ſed etiam fauent Ario, ad introducendum eius Arianum Homœuſion ſimilitudinarium; ac deſtruendum contrarium Catholicorum Homouſion conſubſtantiale.

Cum enim in Deo eſſentiali non ſit abſtractum & concretum, neque *Quo*, & *Quod*, ſicut in nobis: hinc eſt quod ſi Diuina eſſentia aliquid præſtat vt *Quo*, ex imperfecto noſtri concipiendi modo, tunc illud idem præſtat etiam a parte rei vt *Quod*. Sicut enim ad extra Diuina eſſentia non poteſt creare vt *Quo*, quin creet vt *Quod*, in genere cauſæ efficientis; quia idem eſt in Deo eſſentiali *quo* & *Quod*, (nam inter tale *quo* & *quod*, eſſentiale nulla diſtinctio realis, neq; formalis, ſeu ex natura rei competere poteſt; ſed idem eſt ex natura rei *quo* & *quod* eſſentiale, ita vt neq; creare, neq; prædeſtinare, ſeu regere, & prouidere poſſit Diuina eſſentia vt *quo*, quin illud idem creet, ſeu prædeſtinet ac regat vt *quod* ipſa met hęc Diuina eſſentia per ſe ſubſiſtens, ſeu hic Deus eſſentialis) ita ex paritate rationis ad intra nihil in genere cauſæ, ſeu habitudinis, & principij efficientis, vt *quo*, præſtare poteſt diuina eſſentia; quin illud idem, eadem hæc Diuina eſſentia præſtet vt *quod*. Vnde ſi generat ſeu ſpirat Diuina eſſentia vt *quo*, tunc illud idem productum ſuppoſitum generat etiam ſeu ſpirat vt *quod* eadem hæc Diuina eſſentia, ſeu idem hic Deus eſſentialis (nihil enim aliud eſt hæc Diuina eſſentia per ſe ſubſiſtens, quàm hic Deus eſſentialis) & vt ſic dabitur diſtinctio realis in Diuina eſſentia, eritq; triplex diuiſio realis Ariana, quia inter producens vt *quo*, ſeu vt *quod*; tam ad intra, quam ad extra ſemper eſt diſtinctio realis, vt recte colligebat Arius contra Aduerſarios. Ex ſuppoſitione enim quod Diuina eſſentia generet, ſeu ſpiret vt *quo* in ratione ſeu habitudine cauſæ efficientis, realiterq; diſtinctæ à re producta, tam ad intra, quam ad extra, quis vel cæcus non videt quod verum eſſet dogma Arianum, ac Macedonianum circa realem diſtinctionem ac diuiſionem eſſentiæ Diuinæ inter Patrem, & Filium; ac inter ſpiratorem & Spiritum ſanctum? & conſequenter quod filius non ſit conſubſtantiale Homouſion; ſed ſimilitudinarium Arianum ſuppoſitum; neq; Filius neq; Spiritus ſanctus ſit Deus ille eſſentialis, a quo productus eſt, ſiue vt *quo*, ſiue vt *quod*; nam in Deo eſſentiali non eſt *quo*, & *quod*, (niſi in Deo perſonali) & inter producens & productum ſemper eſt diſtinctio realis, ſiue producat vt *quo* ſiue vt *quod*, quia in Deo eſſentiali (vt dictum eſt, & dicetur

Arius & Macedonius conſequenter loquebantur & recte cōtra Filium & Spiritum S. negando eorum diuinitatem ex falſa illa ſuppoſitione, quod producti eſſent ex Diuina eſſentia in genere cauſæ ſeu principij efficientis vt quo, ſeu quod.

mil-

millies) ſeu in Diuina eſſentia, ob diuinam illam & ineffabilem ſimplicitatem, non eſt *quo* & *quod*, neq; abſtractum & concretum; niſi ſolum in Deo perſonali, eſt hæc diſtinctio formalis *quo* & *quod*. Hoc autem omne infra confirmabimus contra ipſummet Suarium, & Becanum, ac Fauetinum, ex ipſomet Suario de Trin. lib. 6. cap. 2. n. 8. Vbi bene ſentit & proteſtatur Suarius quod ad intra Diuina eſſentia non producit aliquid reali habitudine, ſeu influxu (noſtro imperfecto concipiendi modo) ſicut producit ad extra; quia tunc realiter referretur, ac realiter diſtingueretur à re producta ad intra, ſicut realiter diſtinguitur ad extra, ſiue vt *quo*, ſiue vt *quod* dicatur ꝑducere. *Synopſis totius queſtionis.*

Neq; valet illud falſiſſimum fundamentum Aduerſariorum omnium, ne dum Fauetini, & Becani, ſeu paritas illa, immo maxima imparitas, & diſparitas, quod ſicut ad extra Deus creans, per accidens ſubſiſtit in tribus, quia creat vt vnus eſt, id eſt quatenus eſt per ſe, & ſecundum quod ipſum vnus Deus eſſentialis eſt, ex S. Th. p. p. q. 45. art. 6. corp. ita Deus ſpirat ad intra, vt vnus eſt, & vt ſpirator eſt, & quatenus per accidens ſubſiſtit in pluribus ſuppoſitis, non vero quatenus Pater eſt, vel Filius eſt; Falſiſſima eſt inquam hæc paritas, millies impugnanda & expugnanda, & eo quod altiſſimas defixit radices inter ſcholaſticos. Cum totum oppoſitum ſentiendum, & credendum ſit quod ad extra Deus creat quidem, vt vnus eſt, & indiſtinctus in perſonis, licet per accidens ſubſiſtat in illis. E contra vero ad intra Deus generat, ſeu ſpirat, non vt vnus eſt, ſed vt Trinus eſt, ſeu vt diſtinctus eſt in perſonis. quia ad intra actiones per ſe ſunt ſuppoſitorum, ſecundum quod ipſum, ſeu reduplicatiue, & primaria denominatione vt perſonæ ſunt; & nullo modo ſunt huius Dei, vt vnus eſt, ſeu vt eſsentialis & imperſonalis eſt, ſecundum quod ipſum ſpirans, ſine perſona ſpiratoris: neq; ſunt huius eſsentiæ diuinæ, ob ſimpliciter neceſsariam diſtinctionem, requiſitam inter producens & productum, tam ad intra, quàm ad extra, ſiue producat vt *quo* in genere cauſæ, ſeu principij efficientis, ſiue vt *quod*; nam in Deo eſſentiali non eſt vlla diſtinctio realis, neq; formalis inter *quo* & *quod* neque eſt abſtractum & concretum, ſicut in creatis. Idq; in Deo eſt ob diuinam ſimplicitatem vt recte ſentit & docet Præpoſitinus apud S. Th. p. p. q. 32. art. 2. Falſum eſt itaq; immo falſiſſimum eſt, quod Pater & Filius ita ad intra, ſicut & ad extra producunt rem aliquam, vt vnum ſunt eſsentialiter & imperſonaliter: licet per accidens ſubſiſtant in perſonis, dum ſpirant ad intra, ſicut per accidens ſubſiſtunt in perſonis, dum creant ad extra. Falſum eſt etiam quod non ſpirent vt Pater, ſeu Filius, ſed vt vnus idemque ſpirator ſunt, hoc eſt per aliud, ſeu per accidens negatiuè. *Nota falſiſſimam paritatē Fauentini.*

Confirmatur falſitas talis antecedentis erronei in fide ex erroneo pariter in fide conſequente eius Ariano, quia ſi Pater & Filius non ſpirarent, qua Pater ſeu Filius ſunt, tunc nō ſolum falſa redderetur, S. Scriptura, Io. 16 *Spiritus Sanctus qui à Patre procedit, à Patre* inquam verè, & proprie, in omni rigore iuxta ſenſum literalem, & *Spiritus Sanctus quem ego mittam vobis, &, Pater mittet Spiritum Sanctum in nomine meo, nomine inquam Verbi, & Filij*, manifeſtando & glorificando non vero in nomine meo *Spiratoris*. Sed vlterius ſequeretur quod verum eſset dogma Arianum, & Macedonianum, quod Filius non ſit Homouſios, ſeu cōſubſtantialis Patri, ſed Homoeuſios, ac ſimilis ſubſtantiæ Patris, & quod Spiritus ſanctus non ſit Deus, quia ſi Pater & Filius non ſpirant vt duæ perſonæ ſunt ordinatæ ac ſubordinatæ vnico principio, paterno ſine vlla imperfectione: ſed vt ſunt vnus Deus imperſonalis, & eſsentialis, non habens propriam perſonam Spiratoris. ſed vt per accidens negatiuè ſubſiſtit in alienis perſonis improprijs ipſius ſpiratoris: tunc ſequetur quod Spiritus ſanctus ſit realiter diſtinctus ab illo vno Deo imperſonali, & eſsentiali; & ſic nō erit ille vnus Deus eſsentialis & imperſonalis, quia inter producens & productum ſemper eſt diſtinctio realis, quod eſt conſequens hereticum, ergo ſequitur ex antecedente tuo erroneo in fide. Et idem dicendum eſt de Filio, quod ſi producatur à diuina eſsentia, vt principio *quo* in genere cauſæ, ſeu principij efficientis, (quia idem eſt hæc Diuina eſsentia & Hic Deus eſsentialis, in quo non eſt *quo* & *quod*, neq; abſtractum & concretum

Digitized by Google

Synopſis totius queſtionis.

ſicut in nobis) ideo hinc ſequitur, quod Filius realiter diſtinguatur ab ipſa Diuina eſsētia, ſeu ab hoc Deo eſsentiali, nam inter producens & productum ſemper eſt diſtinctio realis, ſiue producat noſtro imperfecto cōcipiēdi modo vt *quo*, ſiue vt *quod*. Nam in Deo eſsentiali, non eſt *quo* & *quod*, niſi in Deo perſonali, & ſic Filius erit ſimilis Patri, vt docebat conſequenter Arius quia omne Agens producit ſibi ſimile in natura: non vero ſibi identicum in natura, quæ Ariana Maxima vera eſt in humanis, & in Diuinis; ſi vtrobiq; natura, ſeu eſsentia diuina, ſeu humana concurrit vt *quo* in genere cauſæ, ſeu principij, efficientis: ſecus nullo modo verificari poteſt vniuoce & generaliter ita in humanis, ſicut in Diuinis, & è contra ita in Diuinis ſicut in humanis in quibus filius eſt Homoeuſios Patri non autem eſt Homouſios hoc eſt ſimilis naturæ, non vero eiuſdem numericæ naturæ.

CAPVT 5. *Quod Concilium Lugdunenſe, & Conciliū Florentinum & cap. Firmiter de Sum. Trin. & fid. Cath. recte docent Spiritum ſanctum procedere à Patre, & Filio, tanquam vnico principio, ſed nō poſſunt intelligi de vno principio eſſentiali, neq; vt Quo, neq. vt Quod in concrecto ad intra productiuo, ſine hereſi Ariana, realiter diſtinctiua inter producens & productum. Vnde intelligi debet de principio perſonali, reſoluendo ſubauthoritatem filij, in authoritatem perſonalem ſolius Patris, tanquam ſolius Alpha & Omega perſonalis, ac perſonalis primi principij, & Authoris.*

ATque hinc conſtat, quàm ſana & orthodoxa ſit doctrina Gregorij, in 1. diſt. 12. q. 1. licet gratis impugnati à Fauentino ibidem diſp. 41. vbi fuſius probat Gregorius, propoſitionem illam (*Pater & Filius ſunt vnum principium Spiritus Sancti*) veram quidem eſse, non in proprietate, & rigore ſermonis; ſed in ſenſu, quo eam protulerunt Sancti Patres, quia licet ſint vnum principium *quo*, non tamen eſsentia ſeu natura eſt productiua, neque ſunt vnum *quod*, quia ſunt duo principia *quod*, ſicut duæ ſunt perſonæ. quæ Gregorij & Durandi argumenta ſunt ipſiſſimæ rationes Græcorum. Confirmata fuit autem hæc doctrina Gregorij à ſynodo Florentina Decreto primo §. *Definimus Spiritum S. procedere à Patre & Filio, tanquā vnico principio*. Vbi iure non dixit Concilium abſolute (*vnico principio*,) ſed ſimilitudinarie, & cum diminuente addito dixit (*Tanquam vnico principio*) reductiuè, quicquid gratis contradicat Fauentinus in 1. diſt. 12. diſp. 41. quia Filius ſine hæreſi Sabelliana non poteſt eſse idem principium perſonale ſed mediate & diſtincte ſubordinatur immediato perſonali principio paterno, & in illud reſoluitur. Non enim filius eſt ſimpliciter principium, quia non eſt ſimpliciter primum, ſeu non principiatum, cuiuſmodi eſt ſolus Pater; & ideo Filius non principiat, neq; principiare poteſt ordine originis; ſed reſoluitur in illud: nam ideo Filius ſpirat ſeu creat perſonaliter, quia Pater prius origine ſpirat, ſeu creat &c. Pater ergo ſpirans per Filium, eſt vnicum principium perſonale, & fontale, atque anarchicum, ſeu ingenitum, & immediatum, ſimpliciterq; ac negatiue primum. Cuiuſmodi de fide eſt, quod neq; ſit, neq; eſse poſſit Filius, ſecus in Diuinis dabitur duplex perſonale principium *A quo* alius: & duplex perſonalis Author. ac cōſequenter duplex Deus, ex S. Th. p. p. q. 33. art. 4. ad 4. quicquid contradicant illi Ieſuitarum aſseclæ Theologi, qui gratis extorquent decretum Concilii Florent. illud exponendo cum Fauentino, de vnico principio *quo*, ſeu eſsentiali: & imperſonali: non autem de vnico principio *quod* perſonali. Quod autem erroneum ſit in fide exponere, & extorquere Concilium ad ſenſum vnius principij *Quo* eſsentialis, non exponendo ipſum cum Græcis ad ſenſum vnius principij *Quod* perſonalis: tanquam vnius Alpha & Omega perſonalis, multipliciter probatur. Primo, quia illa vnitas eſsentialis principij *Quo* non poteſt eſse productiua perſonæ, ſine hæreſi Sabelliana, perſonarum confuſiua; vel ſine hæreſi Ariana, diuiſiua ſubſtantiæ Diuinæ, in tres realiter diſtinctas ſubſtantias, dum eſsentiale principium *quo* concurrit per Fauentinum, ſeu Ieſuitas in genere cauſæ, ſeu principij efficientis,

In Deo eſſentiali idem eſt quo & quod ſine vlla diſtinctione reali, ſeu formali.

ſiue

Digitized by Google

ſiue *quo* ſine *quod*. nam in Deo, non eſt diſtinctio realis, neq; formalis inter *quo* & *quod* eiuſdem proportionis eſſentialis ſicut eſt in nobis. Hoc eſt inter *quo* eſſentiale, & *quod* eſſentiale, nulla datur ex natura rei diſtinctio, quia idem eſt in Deo *quo* & *quod* ex S. Th. p. p. q. 29. ar. 4. ad 1. & q. 40. art. 1. & 2. & idem eſt in Deo eſſentia, & hæc eſſentia; ſeu Deitas, & hic Deus, neq; aliquid præſtare poteſt Deitas, vt *quo*, niſi illud idē præſtet Deus vt *quod*, & ſic, ſi eſſentia vel natura diuina generat, ſeu ſpirat, vt *quo*; tunc hic Deus eſſentialis, ſeu eadem hæc eſſentia Diuina generat, ſeu ſpirat vt *quod*; quia idem eſt in Deo eſſentiali *quo* & *quod*.

Synopſis totius queſtionis.

Probatur 2. ſeu confirmatur, quia eſſentiale illud principium *quo* eſt commune ex S. Th. p. p. q. 36. ar. 4. ad 1 §. *Spirator dicit naturam diuinam, cum proprietate communi, nulliq; propria, &c.* Et cum in Deo nihil ſit aliud niſi perſona, vel eſsentia: tunc talis natura diuina, eiuſq; proprietas communis, vel erit quarta perſona (nam actiones perſonales ad intra de fide eſt, quod ſunt ſuppoſitorum, ſecundum quod ipſum, ſicut ad extra actiones eſsentiales, de fide eſt, quod non ſunt ſuppoſitorum, ſecundum quod ipſum; niſi ſolius eſsentiæ huius, per ſe ſubſiſtentis) vel erit ipſa eſsentia communis, nulliq; propria, quæ ſi concurrat in genere cauſæ, ſeu principij efficientis, realiter diſtinguetur à producto. Non enim cauſa efficienter productiua, vt *quo*, ſeu vt *quod*, coincidere poteſt cum producto, in genere cauſæ, ſeu effectus formalis, etiam dempta omni imperfectione cauſæ & effectus, & oppoſitum eſt maxima proteruia Aduerſariorum, ac deceptio fidelium.

Probatur 3. quia non valet reſponſio Fauentini in 1. d. 12. diſp. 41. quod illud principium *quo* in Patre eſt ſubſiſtens in concreto: ſicut Creator ad extra, & ideo connotat duo ſuppoſita; ac ſpirat & creat vt vnum ſubſiſtens eſt; non vero vt vna perſona eſt, quæ formalitas ſpiratoris, neq; eſt formalitas Patris, neq; Filij, & ideo ſpirator ille formaliter neq; eſt Pater, neq; eſt Filius; ſed eſt abſtrahens ab vtroq; & confusè, ſeu indiſtinctè ſupponens pro vtroq; ex S. Th. p. p. q. 36. a. 4. ad 4. 5. & 6. Non valet inquam hoc effugium Fauentini, nam multa continet abſurda hic eius ſpirator, Deus, impotens ad ſpirandum, niſi ſit in duobus ſuppoſitis, neq; habens proprium ſuppoſitum ſed mendicās ſibi aliena neceſsaria ſuppoſita, ad ſpirandum ab illis, & conſequenter non habens propriam ſubſiſtentiam, ac propriam relationem realiter oppoſitam, ac contradiſtinctam à relatione Spiritus ſancti, dum non habet propriam perſonam, nihil enim eſt aliud propria perſona ex S. Th. p. p. q. 30. art. 2. ad 1. niſi ſubſiſtens relatio. Vnde quod non habet propriam perſonam in actibus perſonalibus, ſeu notionalibus; neq; conſequenter habet propriam relationem ſubſiſtentem, ac contradiſtinctam realiter à perſona producta. Peto enim primo à Fauentino, An ſuus ſpirator ille, ſit Deus? & quis Deus? eſsentialis ne? vel perſonalis? non enim aliter dicitur Deus ex S. Th. p. p. q. 39 art. 4. Neq; valet fuga Becani de Trin. c. 6. q. 5. negantis ſpiratorem eſſe Deum perſonalem, ac iterum negātis ſpiratorem eſse Deū eſsentialem; ac tertium genus, ſeu ſpeciem in ſignificatione Dei introducentis, ac contendentis ſpiratorem eſse ſolum Deum relatiuum, qui neq; ſit Deus perſonaliter, neq; ſit Deus eſsentialiter. Cum tamen ex S. Th. & Scoto de Trin. in Deo nihil aliud ſit, niſi perſona, & eſsentia, & Deus dicatur tantum perſonaliter, vel eſsentialiter. Fauentinus autem neq; dicet ſpiratorem illum vnum eſse Deum perſonalem, qui neque ſit formaliter Pater, aut Filius; neq; dicet eſse vnum Deum eſsentialem, nam realiter diſtingueretur à perſona producta ſicut diſtinguitur producens à producto: & conſequenter ſequeretur Spiritum S. non eſse Deum eſsentialiter, ſed realiter diſtinctum a Deo eſsentialiter producente, vt tu ais ex Fauētino & Becano. Iterum peto à Fauent. vt dicat an illud principiū ſpiratiuū *quo*, in cōcreto ſubſiſtens, (quod neque formaliter eſt Pater, neq; formaliter eſt Filius) ſit genitum vel ingenitum. Principium enim ex S. Thom. p. p. quæſt. 33. ar. 4. corp. vel eſse debet genitum, vel ingenitum, quicquid autem dicat Fauentinus redarguetur, quia ponit duo principia prima, confuſa, & non ordinata, neq; ſubordinata. Vel enim ſpirator ille Deus ſpirabis

Falſa paritas Fauentini.

Synopſis totius quæſtionis.

bit à Patre, & ſic erit à Patre, atq; erit alter Filius genitus. Vel erit principium ingenitum, ac ſpirabit à ſe, & ſic dabitur alter ingenitus Pater, à ſe ens, & à ſe operans, vtrumq; autem eſt erroneum in fide.

Tertio peto à Fauentino an ſpirator ille, qui neq; formaliter eſt Pater, neq; formaliter eſt Filius, ſit Deus? ſi affirmabit; ergo dabuntur quattuor adiectiuè Dei, contra illud 1. Io. 5. *Tres ſunt in cœlo* (Tres inquam formalitates relatiuè, non quattuor) *qui teſtimonium dant, Pater, Verbũ, & Spiritus ſanctus, et hi tres vnum ſunt.* Si negabit. ergo ſpirator non Deus, producet Deum quod eſt erroneum in fide. Quarto peto an Spiritus ſanctus ſit vnum cum Patre, & Filio, ac ſpiratore? ſi dicat quod non ſit vnum, ergo neq; Spiritus ſanctus erit cum illis eſsentialiter Deus. Item ſi non eſt vnum cum illis; ergo erit vnus cum illis. quod eſt Sabellianum.

Quinto peto an ſpirator ille, quarta formalitas, ſpiret ſecundum quod ipſum, & primario: Vel non? ſi ſpirat ſecundum quod ipſum. & primario: ergo Pater ſpirabit ſecundario, ſeu per accidens negatiue: ac Filius ſpirabit tertio; & per accidens, non autem ſecundum quod ipſum; quod eſt contra Sacram Scripturam Io. 16. *Spiritus Paraclitus quem mittet Pater; & Spiritus qui à Patre procedit; & ego mittam vobis ſpiritum Paraclitum à Patre, &c.* Vbi à Patre, qua Pater eſt, verè, & proprie, & in omni rigoroſo ſenſu literali, id ſumendum eſt.

Sexto peto a Fauentino, an ſpirator ille, ſit perſona; vel non? ſi ſit perſona, ergo dabitur quarta perſona, ac quaternitas diuina. Si non ſit perſona, ergo neq; perſonam producere poterit, quia *Nemo dat quod non habet* in genere, vel in ſpecie, ſeu in indiuiduo vago. Si enim Deus imperſonalis producere poſset perſonam; tunc Pater produci potuiſset ab hoc Deo eſsentiali & imperſonali.

CAPVT 6.

Spirator non poteſt non eſſe perſona.

Qvod vero ſpirator ille Deus in cõcreto ſubſiſtens, introductus & defenſus à Fauentino, non poſſit non eſse perſona, multipliciter patet. Primo, quia actiones perſonales ad intra, ſunt ſuppoſitorum, ſecundũ quod ipſum, ac primaria denominatione, & per ſe. Secundo quia ex S. Th. p. p. q. 33. ar. 1. & 4. corp. principium dicitur ad intra reſpectu perſonæ principiatæ. Vnde perſonale eſse debet tale principium. Tertio quia perſona eſt relatio ſubſiſtens, ex eodem S. Th. p. p. q. 29. art 4. ad 4. & 30. art. 2. Sed per te ſpirator eſt relatio realiter ſubſiſtens, ac realiter contradiſtincta à Spiritu ſancto: ergo eſt perſona; neq; eſse poteſt eadem perſona Patris, ſeu Filij, quia non eſt eadem relatio formaliter ſubſiſtens: ergo eſt quarta perſona, & quarta relatio, per ſe ſubſiſtens. Quarto quia ſola relatio multiplicat perſonas ex S. Th. p. p. q. 32. ar. 2. & 3: & ſola oppoſitio relatiua conſtituit pluralitatem realem perſonarum, ergo quarta contradiſtincta relatio multiplicat quartam contradiſtinctam ſubſiſtentiam relatiuam, & ſpecie ab alijs differẽtẽ, ac conſequenter multiplicat quartam perſonam. Si enim Spiritus ſanctus originatur à ſpiratore, ergo ſpirator erit principium perſonale, ſeu erit perſona, ſeu principium *A quo* alius, ſeu Author Spiritus ſancti, qui neq; formaliter ſit Pater, neq; formaliter ſit Filius. Diſtinctio enim perſonarum ſeu perſonalis non fit per eſsentialia; ſed per oppoſitionem relatiuam ex S. Thom. cit. Quinto; quia fontalitas & authoritas ſpiratoris ad producendum Spiritum ſanctum eſt principium originis, & ſic ſpirator erit principium, & Author perſonalis, & conſequenter erunt duo principia perſonalia, & duo Authores, nempe Pater reſpectu Filij, & ſpirator reſpectu Spiritus ſancti.

Neq; valet ſi dicas ex S. Th. p. p. q 30. art. 2. ad 1, quod ſpiratio eſt relatio non tamẽ eſt proprietas alicuius perſonæ, non valet inquam; quia eſt proprietas ſpiratoris, conſtitutiua eius, ac diſtinctiua à quacunq; alia formalitate Patris, ſeu Filij, ſeu Spiritus ſancti, & hoc ſufficit ad perſonam ſpiratoris realiter diſtinctam, à perſona Spiritus ſancti. Sexto peto à Fauentino; An ſit ordo inter Patrem, Filium, & ſpiratorem;

Digitized by Google

Synopſis totius quæſtionis.

rem; vel non ſit ordo originis. Niſi enim ſit ordo originis, tunc in ea multitudine erit confuſio, & imperfectio, vbi non eſt ordo ex S. Th. p. p. q. 42. art. 3. & conſequenter neq; erit Deus. Sed ſi ſit ordo, tunc vel ſpirabit à ſe ſecundum quod ipſum, ſeu primario: Pater autem & Filius ſecundario ſpirabunt à ſpiratore, & conſequenter erunt a ſpiratore ex S. Th. p. p. q 30. ar. 2. corp. Vel è cõtra Pater & Filius primario ſpirabunt ſecundum quod ipſum: ſpirator vero ſecundariò, & non ſecundum quod ipſum; neq; à ſe, ſed à Patre ſpirabit; & accidentaliter, & fruſtra, multiplicando entia ſine neceſſitate. Quicquid dicat Fauentinus, redarguetur. Si enim ſpirator ſpirat à ſe, ergo eſt principium Spiritus ſancti, & tunc fruſtra ſpirabit Pater, ſeu Filius, è contra vero ſi Pater ſpirat à ſe: Ergo fruſtra introducitur ſpirator alius à formalitate Patris & Filij. Septimo peto a Fauentino an Pater & Filius, dum ſunt principium Spiritus ſancti ſint vnus adiectiue & perſonaliter Deus, vel ſunt duo adiectiue & perſonaliter Dei, hoc eſt duo habentes Deitatẽ: & conſequenter an ſint vnũ perſonale principiũ in Trinitate; vel ſint duplex notionale principiũ. Quicquid aũt dicat Fauentinus, redarguetur. Non .n. dari põt Deus communis duobus; qui nõ ſit cõmunis eſsentialiter tribus ſuppoſitis, neq; diuinæ perſonæ eſse poſsunt vnũ in duobus, niſi ẽt ſint vnum in tribus, ſecus alius deus erit ille cõmunis duobus, qui nõ ſit cõmune tribus, & alius Deus erit ille cõmunis tribus, ſi nõ ſit ille idem, & ſub eadem formalitate Deus, qui eſt Deus communis duobus. quia per Fauentinum eſt Deus, qui ſub tali formalitate non poteſt eſse communis tribus. Vnde ſi reſpondeat Fauentinus, quod Pater & Filius ſint Spiritus ſancti vnus ſpirator, & vnum principium, tanquam vnus perſonaliter Deus, ſeu vnus adiectiue Deus, hæc erit ipſiſſima hæreſis Sabellij, Diuinas perſonas confundentis. & præterea redarguetur, quia ſi Pater & Filius ſunt vnum perſonale principium; *A quò* alius, propter vnicam formam ſeu formalitatem: ergo erunt duo alia principia, propter duas alias formas. Nam Pater erit principium generationis per intellectum, & Filius erit principium ſpirationis per voluntatem, vltra Spiratorem, & ſic dabuntur tria principia perſonalia, & tres Authores, *à quibus* alij ſine vlla ſubordinatione ſed cum maxima confuſione: nempe ſpirator, Pater, & Filius, cum diſtinctis formis, ac diſtinctis ſuppoſitis. Nam ſpirator non poterit ſpirare perſonaliter, niſi ſit perſona; actiones enim perſonales ad intra, ſecundum quod ipſum, ſunt ſuppoſitorum. Et relatio ſpiratiua, ſpecie differt a relatione generantis & geniti, ergo nullo modo ſubſiſtens ſpecies relatiua, ſeu ſubſiſtens ſpecifica relatio confundi poteſt cum alia ſpecifica ſubſiſtente relatione; quia vt ſic, ipſæ conſequenter perſonæ diuinæ confunderẽtur etiam ex Sabelliana perfidia, cum nihil aliud ſit perſona, quàm ſubſiſtens relatio diuina, quæ ſola multiplicat perſonas ex S. Th. p. p q. 33. ar. 2. ad 1. & q. 32. ar. 2. corp. A definitione aũt, ſeu deſcriptione ad definitũ, ſeu deſcriptũ valet conſequentia. Si enim perſona eſt ſubſiſtens relatio, ergo per ſimplicem conuerſionem, ſubſiſtens relatio eſt perſona. Confirmatur, quia non poteſt ſpirator realiter diſtingui per ſuam realitatem relatiuam à Spiritu ſancto, quin etiam per eandem realitatem relatiuam diſtinguatur realiter à quacunq; alia perſona. Formalitas enim vna relatiua & ſpecifica cum nulla alia confundi, ſeu identificari poteſt ſine hæreſi Sabelliana. Filius enim, ſeu Pater qui non procedit à Spiritu S. ex Scoto realiter & diſparate diſtinguitur ſaltem. Octauo peto a Fauentino, quot nam ſubſiſtentias? & quales ſubſiſtentias? ſeu cuius ſpeciei ſubſiſtentias, habet ille ſuus ſpirator Deus? In primis enim propriam ſubſiſtentiam formaliter, & ſpecifice contradiſtinctam ab omni alia ſubſiſtentia ſpecifica habere debet; ad hoc, vt tanquam ſpirator, producat perſonam Spiritus ſancti, quæ ſubſiſtentia, perſonalis eſse debet. Nulla enim ſubſiſtentia alia, neq; eſsentialis, perſonæ productiua eſse poteſt. Secundo fruſtra ei ſuper additur ſubſiſtentia Patris ad hoc, vt ſpiret, quia non ſpirat a Patre, ſecus eſset à Patre ſicut eius vel genitus, vel ingenitus partus. Neque ſpirat vt Pater, nam eſſet Pater, & ſub formalitate Patris produceret. Vnde nullum ordinem originis habet cum Patre, neq; cum filio

Non poteſt dari Deus cõmunis duob. qui non ſit cõmunis tribus.

Nihil aliud ẽ perſona quàm ſubſiſtens relatio diuina.

ex

Digitized by Google

Synopſis totius queſtionis.

ex S.Th.p.p.q.30.ar.2.corp.ſed cōfuſe, indeterminate, & indiſtinctè ſe habet ad illos. ex S.Th.p.p.q.36.ar.4.ad 4.5. & 6. Et eadem de cauſa fruſtra ei tertio ad ſpirandum ſuperadditur ſubſiſtentia Filij, ſi non eſt Filius, neq; ſpirat à Filio, ſeu vt Filius. Fruſtra item quarto inuehitur tertium hoc genus ſubſiſtentiæ, neq; eſſentialis, neq; perſonalis in ſpiratore, quia tam ex Scoto, quàm ex S. Thoma in Deo nihil aliud eſt, niſi eſſentia, & perſona; & conſequenter nulla alia ſubſiſtentia datur in Deo, niſi eſſentialis, vel perſonalis. Vnde ſi datur talis ſubſiſtentia ſpiratoris formaliter & ſpecifice contradiſtincta realiter à ſubſiſtentia Spiritus ſancti; illa vel erit ſubſiſtentia perſonalis, velit nolit Fauentinus: (& ſic dabitur quarta perſona incommunicabilis, quia perſonales actiones ad intra, ſecundum quod ipſum, ſunt ſuppoſitorum: ſicut eſſentiales actiones ad extra, ſecundum quod ipſum, ſunt non ſuppoſitorum) Vel tandem talis ſubſiſtentia ſpiratoris, erit ſubſiſtentia eſſentialis, ſeu Dei eſſentialiter ſumpti; qui eſt error, peior priore. Nam ſi Deus eſſentialis poteſt ſpirare, poterit etiam generare: & vt ſic ex paritate rationis Pater etiam poterit eſſe productus à tali Deo eſſentialiter, & erit verum dogma Arianum, de reali diſtinctione ſubſtantiæ diuinæ, quia inter producens & productum, eſt diſtinctio realis. quæ omnia ſunt abſurda, indigniſſima Theologo quocunq. Euitet autem illa, (ſi tamen poteſt) Fauentinus, vel quicunq; eius aſſecla. Ex his autem aperte patet, quod Concilium Lugdunenſe, ſeu Concil. Florentinum ac cap. *Firmiter*, de Sum. Trin. & Fid. Cath. nullo modo intelligi poſſunt de vnico principio eſſentiali *quo* (quicquid gratis contradicat Fauentinus & Suarius) dum ait Fauentinus ex Concilio contra Gregorium, & Durandum in 1.d.12. quod Pater & Filius ſunt vnum principium Spiritus ſancti; ſed intelligi debet de vnico principio perſonale reſolutiuè: quatenus Pater & Filius reſoluuntur in vnū principium Patris per Filiū, ideſt per authoritatem Patris in Filio.

CAPVT 7. *Quod aliud ſit ratione principium* quo *&* quod, *in actibus eſſentialibus: & aliud ſit principium* quo *&* quod *in actibus perſonalibus, & hoc non attendentes, decepti ſunt multi, in hac materia Trinitatis, non enim conſubſtantialitas Filij eſt principium ſpirandi, ſeu conſpirandi notionaliter. Sed eius perſona, & perſonalitas, quæ ex vi ſua originis habet, vt ſit perſonale principium* Per quod *omnia non repugnantia facta ſunt intelligibilia, ac producibilia a Patre, & ad Patrem referibilia* Io 1. ex S.Th.p.p.q.39.art.8.

AD hoc autem omne rectius penetrandum, apprimè notandum eſt, quod ait Scotus (gratis impugnatus a Caiet.p.p.q 41.ar.5.) nempe, quod Pater ſua paternitate, vt eſt ſua perſonalitas, generat, ſeu ſpirat, vt principio proximo; non autem generat deitate. Primo quia Deitati per ſe non competit generare, neq; ſpirare vt *quo* proximo, neq; vt *quod*; quia actiones diuinæ ad intra perſonales, ſunt ſuppoſitorum, ac ſuppoſitalitatum per ſe, & ſecundum quod ipſum. Si enim diuina natura per ſe generaret ſeu ſpiraret vt *quo* ſeu vt *quod* in genere principij efficientis, in Patre: id ipſum præſtaret per ſe in Filio, ſeu Spiritu ſancto. quod enim per ſe, & intrinſece eſt tale, ſemper & vbiq; eſt tale. Non ergo diuina natura eſt proxima ratio generandi per ſe, & ſecundum quod ipſum vni perſonæ, & non alteri, cum per ſe & intrinſece ſit communis omnibus tribus. Secundo eadem indiuidualis forma conſtitutiua Patris, quæ eſt principium perſonaliter eſſendi, eſt etiam principium perſonaliter operandi. Imperfectionis enim eſt, quod forma perſonæ det actum primum; non vero det actum ſecundum. Cum vnumquodq; ſit, propter ſuum operari, & perſona dicat ſummam dignitatem, ſeu digniſſimum quod eſt in ipſa natura, quatenus complectitur Totum, & in virtute Diuinæ naturæ, principij eſſentialis remoti, habeat vt producere poſſit ſuppoſitum ſibi ſimile in vaga ratione perſonali, non vero ſibi identificatum in illa: nec non vt communicare poſſit eandem numero non vero ſimilem, & Arianam naturam Diuinam in genito, ſicut eſt in generante, nimirum in ratione principij tantum formalis; ita vt eadem Natura, non alio modo ſe habere poſſit ex parte

Digitized by Google

parte generantis, quàm ſit ex parte geniti, nulloq; modo concurrat ex parte generantis ſub ratione efficientis principij *quo*, ſeu *quod*; nam tunc realiter diſtingueretur producens à producto, ſiue producat vt *quo*, ſiue producat vt *quod*; Sicut patet in creatis, & fuſius probat, ac confirmat Suarius de Trin. lib. 6. cap. 2. nu. 8. quod eſt ſingulare in Natura Diuina, quia eadem numero, & ſub eadem ratione principij formalis, ſicut eſt in generante, communicari debet genito, non autem in ratione efficientis principij *quo*, quia tunc vt dictum eſt diſtingueretur realiter à producto, neq; eadem numero communicari poſſet, ſi concurreret in habitudine principij efficientis *quo*, ſeu *quod*, quia vt ſic pſona pducta nõ eſſet Deus ille idẽ eſsẽtialis, à quo eſsẽtialiter produceretur, ipſa eſſentia concurrente in habitudine efficientis principij *quo* ſeu *quod* vt tu ais. Nihil enim producere poteſt eſſentia Diuina vt *quo*, quin illud idem ad intra, ſeu extra producat eadem eſſentia ſubſiſtens, vt *quod*, ſeu idem Deus eſſentialis vt *quod*. Probatur tertiò quia ſicut actus eſſentialis procedit à forma eſſentiali: ſic proportionaliter actus perſonalis habetur à ſua forma perſonali, quæ conſtat ex ſuo proportionali principio *quo* & *quod* perſonali, non autem eſſentiali, licet gratis id ibi neget Caietanus. Probat autem id ipſum Scotus ex Auguſt. 5 de Trin. c. 6. §. *eo Pater, quo eſt ei filius: ergo non diuinitate, ſed paternitate eſt ei Filius, quia Paternitate eſt Pater* vnde Deitas cauſaliter virtualiter generat, non formaliter, quatenus dat virtutem ſuppoſito vt generet. Dat enim Diuina Natura ipſi perſonæ Patris ordinate eſſe, & ordinatè producere, vt ſcilicet ſit ingenitum principium omnis emanationis ad intra, ſiue per generationem, ſiue per ſpirationem, aſſimilando ſibi ſuppoſitum in vaga ratione perſonali, non autem identificando ſibi perſonas. Nec non eadem natura Diuina dat ſuppoſito diuino vt producat ad extra creaturas ſimiles ſibi in voluntate, non autem in natura. Item dat ad intra, vt identificare poſſit ſibi in eadem numero natura ſuppoſitum diuinum; non autem vt aſſimilare ſibi poſſit illud in natura, vt facit omne agens creatum, & contendebat Arius filium aſſimilatum, nõ autem identificatum in natura cum Patre, quia omne agens ait aſſimilare, non autem identificare ſibi debet in natura ſuum genitum, & ideo negabat Filium eſſe Homouſion, eiuſdem numero eſſentiæ: ſed Homoeuſion eſſe blaſphemabat, ideſt ſimilis eſſentiæ. Confirmatur primo quia ſi generare & ſpirare notionaliter, per ſe haberetur à Diuina eſſentiâ, tanquam principio *quo* in ratione cauſæ, ſeu principij efficientis, ſeu à Diuino intellectu proximè, ſeu à diuina voluntate proximè, & per ſe, & ſecundum quod ipſum, ac primaria denominatione, ſic generante, ſeu ſpirante: tunc non ſolum eadem diuina eſſentia, ſeu diuinus intellectus, ac volontas ſimul & eſſentia ſubſiſtens concurrerent vt *quo*, ſed etiã hic Deus eſſentialis concurreret vt *quod* (quia inter eſſentiam in abſtracto, & eſſentiam in concreto, ſeu hunc Deum eſſentialem, non datur diſtinctio, neq; formalis, neq; realis:) ſed etiam Pater, & paternitas vltima, ſeu ſecundaria denominatione generarent, ſeu ſpirarent, vt *quo*, & vt *quod* nam ex Scoto in 1. d. 12. q. 1. §. *Ad argumenta*, & ex Fauentino ibidem diſp. 41. Forma primaria denominatione agit: ſuppoſitum vero vltima denominatione dicitur agere. Et ſic perſona producta, ſiue genita, ſiue ſpirata, non eſſet Deus, ſed realiter diſtingueretur a diuina eſſentia vt *quo*, & ab ipſo Deo eſſentiali vt *quod* generante, & ſpirante primò, ſeu primaria denominatione. Nec non eadem perſona producta referretur ad diuinã eſſentiã, à qua procederet, ſiue vt *quo*, ſiue vt *quod*, primaria denominatione: ſecundario verò referretur realiter ad Patrem, ſeu paternitatem vt *quo* & *quod*, ſicut creatura primario ſecundum quod ipſum refertur realiter ad Deũ, ſeu diuinam eſsentiam; ſecundario vero ad Patrem, ſeu eius Paternitatem. Confirmatur ſecundo, quia ſicut ſuppoſitum Chriſti dabat eius humanitati, vt ſatisfaceret, ac pateretur, & moreretur, vt *quod*, ſic è cõtra diuinitas dare potuit ſuppoſito Patris, vt ſit ingenitum principium omnis emanationis, aſſimilando ſuæ voluntati creaturas, ſaltem vltima denominatione; nec non ad intra aſſimilando (non autem identificando) ſibi in vaga ratione perſonalitatis filium, ac Spiritum S. at identifi-

Synopſis totius quæſtionis.

C cando

Synopſis totius queſtionis.

candi (non vero aſſimilando tantum) in natura eoſdem. Confirmatur 4. ex S. Th. p. p. q. 41. art. 3. ad 3. vbi ſic ſibi obijcit argumento 2. §. *Id de quo aliquid generatur, eſt eius, quod generatur. Si ergo Pater generat Filium de eſſentia, vel natura ſua, ſequitur quod natura Patris ſit principium filij, non materiale, ergo principium quaſi actiuum & ſic eſſentia generat*, ſaltem vt *quo* (quia in q. 33. ar. 1. ad 1. docuerat diſcrimen inter principium, & cauſam, eo quod cauſa dicit diſtinctionem realem originis inter producens & productum, quam realem diuerſitatem non dicit principium *quo* in diuinis: & ideo Pater non ſolum eſt principium ſed cauſa, (dempta ſemper imperfectione) reſpectu diuinarum perſonarum; Natura vero diuina eſt ſolum principium *quo*, non autem eſt cauſa, quæ ſemper dicit realem influxum, & diſtinctionem) ideo in c. p. q. 41. ar. 3. ad 2. ſic reſpondet. §. *Ad 2. dicendum, quod cum dicitur Filius genitus de eſſentia Patris, ly De, deſignat habitudinem principij, quaſi actiui, ex Mag. in 1. d. 12. vbi ſic exponit, Filius eſt genitus de eſſentia Patris, id eſt de Patre eſſentia. Aliter poſſumus dicere, quod hæc prepoſitio, De, ſemper denotat conſubſtantialitatem. Vnde non dicimus, quod domus eſt de ædificatore, cum non ſit cauſa conſubſtantialis, ſed dicimus quod Filius dicitur eſſe de Patre principio efficiente, vel de eſſentia Patris principio formali, in his dumtaxat, in quibus ipſæ formæ ſunt ſubſiſtentes, & non aduenientes alteri. poſſumus enim dicere quod Angelus aliquis eſt de natura intellectuali. Et ſic dicimus, quod Filius eſt genitus de eſſentia Patris, in quantum eſſentia Patris, Filio per generationem communicata, in ea ſubſiſtit, &c.* quid clarius dici poteſt ex S. Thomæ quod eſsentialia nullo alio modo principium eſse poſsunt diuinarum perſonarum, niſi in genere principij formalis, non autem efficientis, neq; vt *quo* neq; vt *quod*; quia vt ſic eſset etiam cauſa. Et oppoſitum eſt peruerſa intellectio, ſanæ doctrinæ S. Thomæ inepte, & ruditer citati ab aliquibus.

Nota falſam paritatem inter generans creatum & increatum in eadem ſimilitudine naturæ.

Confirmatur 4. quia non valet paritas illa à creatis & finitis (vbi non poteſt communicari eadem numero natura, niſi ſolum eadem in ſpecie) idem inferre in increatis & infinitis, dicendo *Omne agens creatum generat ſibi ſimile in forma, qua agit, non autem generat ſibi idem in natura numerica. Ergo ita pariter in Diuinis. Item omne agens creatum generat ſibi ſimile in ſpecifica forma, quia efficienter agit tanquam principio quo efficiente, non vero tanquam principio quo formali; ita vt generatio in creatis ſit opus naturæ non ſicut generantis; ſed ſicut eius quo generans generat in ratione cauſæ efficientis vt quo, & ideo generans in ſpecifica forma conuenit cum genito, non autem in forma numerica. Ergo ita eſſe debet in diuinis*, quæ eſt paritas falſiſſima, & erronea in fide, contra mentem S. Thomæ, quia natura in creatis eſt principium ſimul & cauſa: ſed in diuinis natura eſt principium tantum formale, non vero eſt cauſa, ſeu principium efficiens *quo* neq; *quod*.

CAPVT 8.

Falſum eſt quod Pater generaret ſe Patrem, ſi Paternitate generaret in ratione cauſæ, ſeu principij efficientis vt quo.

CONfirmatur 5. quia neq; valet illa ratio, quod ſi Pater paternitate, tanquam proximo principio *quo* in genere cauſæ efficientis generaret, generaret ſe Patrem in genere cauſæ formalis, ab vno genere cauſæ tranſeundo ad aliud incompaſſibile. Vel ſi ſortes Sorteitate ageret, in genere cauſæ efficientis; tūc generaret ſorte in genere cauſæ formalis quod eſt ſtultum. Nullum .n. generans generare pōt ſe ipſum non autem identificatum in perſona, ſeu perſonalitate, quia non ponit formaliter in genito ſuam numero paternitatem, vel ſorteitatem, ſeu Petreitatem. Sed tunc Paternitas, & ſorteitas concurrunt vt *quo*, in genere realiter proximi principij efficientis, realiterq; contradicti a principio formali ac realiter influentis & producentis. Inter producens autem & productum, ſiue vt *quo* ſiue vt *quod* producat efficienter, ſemper eſt diſtinctio realis ex natura rei, tam in nobis, quam in Deo, & oppoſitum eſt maxima deceptio Fidelium, quicquid nō ſatis belle dicere poſset aliquis Doctor bellus, immo non bellus, neq; bella, ſed bellum & contradictio ſtulta huius meæ orthodoxæ doctrinæ. Vnde recte S. Th. p. p. q. 41. ar. 5. corp. §. *Licet paternitas, vt forma*

Digitized by Google

ma Patris ſignificetur, eſt tamen proprietas perſonalis, habens ſe ad perſonam Patris, vt forma indiuidualis ad aliquod indiuiduum creatum. Forma vero indiuidualis in creatis conſtituit perſonam generantem, non autem eſt quo *generans generat, alioquin ſortes generaret ſortem, ſic paternitas eſt conſtitutiua Patris, non autem eſt id* quo *Pater generat, alioquin pater Patrem generaret, &c.* Hoc inquam dictū S. Th. intelligitur in genere cauſæ formalis, non aūt in genere cauſæ efficientis. Verum eſt enim quod paternitas vel Sorteitas non eſt id, *quo*, in genere cauſæ formalis Filius generatur à Patre; vel ſortes a ſorte. Nam tunc ſi Sortes communicaret formaliter eandem numero ſuam Sorteitatem, generaret ſe ſortem. Et ſi Pater poneret in filio formaliter eandem numero ſuam paternitatem; tunc generaret ſe Patrem. Quod falſum eſt ſentire, & docere in genere cauſæ efficientis. Semper enim producens ſiue vt *quo*, ſiue vt *quod*, realiter ex natura rei diſtinguitur à perſona producta, quia nemo generare poteſt ſe ipſum, ſiue generet vt *quo* in ratione cauſæ efficientis, ſiue vt *quod*. Sano ergo modo intelligi debet doctrina S. Thomæ cit. q. 41. a. 5. ad 1. §. *Id quo generans generat, eſt commune generanti, & genito; per hoc ergo quod eſſentia diuina dicitur eſſe principium* quo *generans generat, non ſequitur, quod eſſentia diuina diſtinguatur à genito &c.* Loquitur enim de principio *quo* in genere cauſæ formalis, per quod principium Filius conſtituitur ex eſſentia (eodem communi modo ſe habente in vtroq;) & ex perſonalitate filiali noſtro concipiendi modo. E contra vero, ſi natura diuina concurreret vt *quo* in genere principij, ſeu habitudinis efficientis, tunc eſset ſimul principium & cauſa dempta imperfectione, neque poſset eadem numero communicari; ſed diuideretur, ac deſtingueretur à ſe ipſa; & ſimilis in ſpecie produceretur, ſicut ſimilis producitur in creatis; In quibus omne agens agit ſibi ſimile; non vero agit idem numero in natura. In quibus etiam producitur natura, non vero communicatur? Nam productio dicit diſtinctionem realem; producitur autem tanquam ſimile à ſimili; quia natura generans concurrit in ratione cauſæ, ſeu principij efficientis vt *quo*. Cuius totum oppoſitum eſt in generatione diuina, quæ eſt actio perſonalis, & non poteſt haberi proximè niſi à perſona, & perſonalitate Patris, & oppoſitum eſt peruerſa intellectio doctrinæ S. Th. ac maxima deceptio fidelium contra mentem S. Thomæ.

Synopſis totius quęſtionis.

Quod intelligatur S. Thomas in genere cauſa formalis non vero in genere cauſa efficientis.

Confirmatur 6. quia in Deo idem eſt Paternitas, & Pater; non enim reperitur hæc diſtinctio *quo* & *quod* neq; abſtractum, & concretum in Deo eſsentiali, niſi ex imperfecto inadæquatoq; noſtro concipiendi modo ex S. Th. p. p. q. 29. ar. 4. ad 1. & q. 40. ar. 1. & 2. Vnde ſi Paternitas ſeu perſonalitas Patris non generat vt *quo*, noſtro concipiendi modo; tunc neq; Pater, neq; perſona Patris generabit vt *quod*. Semper enim *quo* reducitur ad ſuum proportionatum *quod*. Vnde nihil præſtare poteſt vt *quo* diuina eſsentia, quin illud idem præſtet vt *quod*, hic Deus eſsentialis, & è contra. Ita nil præſtare poteſt Pater vt *quod*, quin illud idem Paternitas præſtet vt *quo*, noſtro imperfecto concipiendi modo. Duo enim ſaltem formaliter diſtincta producuntur, ſeu comproducuntur in qualibet generatione creata, per quam, omne agens agit ſibi ſimile in natura, ſpecie diſtincta, ac ſimile in perſona & perſonalitate diſtincta. Quorum vnum nempe perſona & perſonalitas, producitur à perſona vt *quod*, ſeu perſonalitate agentis, vt *quo*: & alterum nempe natura producitur eadem in ſpecie, à natura agentis vt *quo* in genere cauſæ efficientis. Sed natura diuina neq; concurrit vt *quo* neq; vt *quod* reali habitudine in genere cauſæ efficientis, ad traducendam naturam diuinam in Filio, nam traduceret, ſeu produceret ſe ipſam; ſeu realiter diuideretur à ſe ipſa. Neq; concurrit vt *quo* ſeu *quod* in genere cauſæ efficientis ad producendum perſonam Filij, ſeu Spiritus ſancti, quia hæc actio perſonalis, producitur à ſola perſona Patris vt *quod*. Et Nemo dat quod habet nec habere poteſt in ſe, quia ſi natura] Diuina generaret vt *quo*, tunc non ſolum generaret etiam vt *quod* (nam in Deo eſsentiali non eſt *quo* & *quod*, niſi in Deo perſonali) ſed etiam eſset perſona, nā actiones ſunt ſuppoſitorum, & ſic eſset incommunicabilis numero, & ſolum communicaretur eadem ſpecie, & ſic Pater produceret Spiritum ſanctū, ac generaret fi-

Diſcrimen inter generationem creatam & increatam.

Digitized by Google

Synopſis totius queſtionis.

lium, ſibi ſimiles non autem identificatos in natura, iuxta conſequentiam Arianam. Deus ergo, ſeu eſsentia Diuina neq; vt *quo* neq; *quod* concurrere pôt habitudine reali & ordine in genere cauſæ ſeu principij efficientis, ad actionē perſonalē, producēdi perſonas quia realiter diſtingueretur ab illis, ex natura rei producentis, & productæ, vt patet in creatis. Impoſſibile eſt enim vt id quod concurrit in genere cauſæ, ſeu principij formalis, concurrat etiam reſpectu ſui, in genere cauſæ, ſeu principij efficientis vt *quo* ſeu *vt quod*. Dat itaq; Deus eſsentialis, ſeu eſsentia, & natura Diuina per ſe ſubſiſtens; dat inquam vt ſolus Pater ſit principium ingenitum, ſeu principium de non principio, principiatiuum tamen, vt *quod*, cuiuſcunq; alterius perſonæ.

Item cauſaliter virtualiter dat Patri, vt Pater, efficienter aſſimilare poſſit perſonam Filij, ac Spiritus ſancti, non ſibi Deo eſsentiali, ſed ſibi Deo perſonali, ideſt ſoli perſonæ ipſius Patris; Vnde Filius non eſt imago Dei eſsentialis, niſi ſolius Dei Patris perſonalis. Item dat Patri vt identificare poſſit, (non autem aſſimilare) ſuam naturam Diuinam Patris (quæ vt eſt in ipſo Patre eſt ſolius Patris) cum eadem numero natura filij. Item dat Patri vt aſſimilare poſſit ad extra creaturas ideis diuinis, non autem ſuæ naturæ diuinæ. Natura enim Diuina eſt principium ſaltem remotum omnis emanationis, ſiue naturalis ad intra, ſiue artificialis ad extra, in quo eſt principium proximum & immediatum. Nam Deus ad creaturas comparatur vt artifex ad artificiata ex S. Th. p. p. q. 27. art. 1. ad 3. & perſonæ vltima denominatione creant ex S. Th. p. p. q. 45. art. 6. corp.

Confirmatur 7. quia aliud eſt principium *quo* & *quod* in eſsentialibus actibus; atq; aliud eſt principium *quo* & *quod* in actibus notionalibus, ſeu perſonalibus. Si enim Pater generaret natura diuina, vt principio *quo*, in genere cauſę ſeu principij efficientis: tunc Filius, ſeu Spiritus ſanctus referretur ad diuinum intellectum eſsentialem, ſeu ad eſsentialem diuinam voluntatem, tanquam ad efficiens principium *quo* ſeu *quod* & eodem modo realiter diſtingueretur ab illo, ſicut realiter referretur ad ipſum. Et ſic Filius eſset imago Dei eſsentialis, & realiter ab illo diſtingueretur, tanquam producens à producto; quod eſt hæreticum, quia non poteſt aliquod eſsentiale concurrere vt *quo*, quin illud idem eſsentiale concurrat vt *quod*. Omne enim *quo* proportione reducitur ad ſuum *quod*, non enim datur diſtinctio formalis inter *quo* & *quod* proportionale; idem eſt enim *quo* & *quod* perſonale: ſicut idem eſt *quo* & *quod* eſsentiale.

Tam in creatis, quam in increatis aſſimilatio ſit in perſona, non autem identificatio fieri poteſt in perſona.

Confirmatur 8. quia non ſolum cauſa vniuoca non ſemper ſibi aſſimilat effectum, ſed aliquando ſuis ideis vt patet artifice & in impreſſionibus imaginarijs, mulieris concipientis: ſed etiam cauſa æquiuoca naturaliter generans, non tenetur ſibi aſſimilare effectum in ſpecie ſua vt patet in ſole, & generatione mulæ, & hinc eſt, quod Pater non generat Patrem, ſed Filium, communicando naturam, non autem illam aggenerando, vt contingit in creatis.

Confirmatur 9. quia ſi Diuina natura per ſe, & ſecundum quod ipſum generaret vt *quo* vel ſpiraret vt *quo* in Patre; id ipſum præſtaret in Filio; & in Spiritu ſancto, quod enim per ſe eſt tale, ſemper, & intrinſece; & vbicunq; ſit, eſt tale. Non enim Filio, & Spiritui ſancto communicatur ſterilis, & exhauſta natura diuina, ſed eadem numero fœcundiſſima natura diuina quæ eſt in Patre. Neq; dicas quod eſsentia, ſeu natura diuina perfectionem, ſeu complementum, ſeu conditionem aliquam perfectiuam accipiat à ſuppoſitis, quam non præhabeat in ſe. hoc enim eſt ſtultum, nedum erroneum in fide. Cum potius ipſa eſsentia diuina det omnem perfectionem, & omne complementum, & omnem conditionem ipſis ſuppoſitis ex Scoto, in 1. diſtinctione 12. Vnde ſi diuina natura eſset principium proximum, & immediatum, vt *quo* ad generandum, ſeu ſpirandum; non ſolum eſset tale in Patre, ſed etiam in Filio, & Spiritu ſancto quia quod intrinſece & per ſe eſt tale, ſemper eſt tale. Et oppoſitum eſt ſophiſticum, & maxima deceptio fidelium. Vt ſic enim Filius & Spiritus ſanctus non eſsent conſubſtantiales Patri, ſi non poſsent generare, præter quā

quod

Digitized by Google

quod diuina natura in generando per te acciperet complementum, & perfectionem, vel ſaltem conditionem a ſuppoſitis, ita vt ex ſe, & per ſe nullo modo poſſit generare, ſeu ſpirare vt *quo*; niſi a adueniente conditione ſuppoſiti. Quod recte irridet, & confutat Fauentinus ex Scoto in 1. d. 12. diſp. 41. *Synopſis totius quæſtionis.*

CAPVT 9.

Filius vel Spiritus ſanctus ideo non poſſunt generare, quia generare eſt actus perſonalis ſolius Patris, non vero eſt diuina eſſentia, neq; vt quo, *neq; vt* quod *efficienter.*

IDeo itaq; neq; Spiritus ſanctus neq; Filius generare poſſunt (licet ſint conſubſtantiales ipſi naturæ diuinæ Patris) quia generare eſt actus perſonalis, qui non pōt haberi a Diuina Natura, neq; vt *quo*, neq; vt *quod* in genere cauſæ, ſeu principij efficientis; niſi ſolum a perſonali paterno principio *quo*, & *quod*. In notionalibus autem ad intra non attenditur conſubſtantialitas, niſi tantum in eſſentialibus actibus ad extra. Non generat ergo Filius quia non eſt Pater, ſeu quia eſt Filius.

Confirmatur 10. quia conſubſtantialitas Filij non eſt ratio ſpirandi à Patre, ſeu conſpirandi cum Patre: nam eadem conſubſtantialitas eſſet ratio generandi & ſpirandi in Filio, & Spiritu ſancto, ſi Spiritus ſanctus per impoſſibile prius origine produceretur, quam filius gigneretur. Sed ratio ſpirandi *vt per quod* in Filio eſt ſua characteriſtica proprietas perſonalis, procedendi vt mediatum principium perſonale; *per quod* omnia non implicantia facta ſunt (Io: 1) intelligibilia, & cum proportione ad intra, vel extra, à Patre producibilia, & ad Patrem referibilia ex S. Thomæ p. p. quæſt. *39*. art. 8.

Confirmatur 11. quia in illa hypotheſi Suarij de Trinitate ſi per impoſſibile, prius origine productus fuiſſet Spiritus ſanctus poſt eſſentialem intelligentiam, ac eſſentialem amorem diuinæ eſſentiæ, tanquam obiecti infiniti; quàm genitus eſſet Filius: tunc Spiritus ſanctus non fuiſſet compater, ſeu congenitor Filij, neq; Pater hoc Spiritui ſancto dare potuiſſet, vt eſſet compater Filij ſui, neq; vt *quod*, neq; vt *per quod*, quia Spiritus ſanctus ex vi ſuæ originis, nō procedit vt Verbum, ſeu mediatum principium, *per quod*, facta ſunt omnia Io: 1. Nam generare, non prouenit ab eſſentia, ſeu conſubſtantiali natura, neq; vt *quo*, neq; vt *quod*, ſed à perſonali proprietate habetur proxime. Et ideo niſi Filius procederet, vt mediatum perſonale principium *per quod* omnia non repugnantia, facta ſunt intelligibilia, & producibilia à Patre, ac ad Patrem repræſentabilia, tunc neq; ſpirare poſſet à Patre, ſeu conſpirare cum Patre, quia actiones perſonales nullo modo in genere cauſæ, ſeu principij efficientis vt *quo*, neq; vt *quod*, haberi poſſunt ab eſſentia ſeu natura diuina: niſi tantum ab ipſa perſona, vel perſonalitate. Sicut enim aliud eſt actio perſonalis, & aliud ratione eſt actio eſſentialis: ſic aliud eſt principium perſonale *quo*, & *quod*: atq; aliud eſt principium eſſentiale *quo*, ſeu *quod*. In qua re Suarius cit. diſcedit ab opinione Scoti in 1. d. 26. q. 1. docentis, quod in tali hypotheſi Spiritus ſanctus eſſet compater eiuſdem Filij, ratione eiuſdem conſubſtantialitatis paternæ, quod pace Scoti non mihi placet.

Confirmatur 12. quia nulla alia eſt ratio, cur Pater intelligens, ſeu amans eſſentialiter, non producit perſonam (prius enim Pater eſt intelligens, & ſciens ſapientia & intelligentia ingenita. quàm intelligat vel ſciat ſapientia, ſeu intelligentia genita, cum nō ſciat, aut intelligat aliquid; neq; ſuam ſcientiam deſumat à Verbo, nam ſuum ſcire eſt ſuum eſſe, quod habet à ſe, non autem à Verbo) ſimiliter nulla alia eſt ratio cur aliæ perſonæ per intelligere; ſeu amare eſſentiale non producant Verbum, ſeu Spiritum ſanctum niſi quia nullum eſſentiale eſt productiuum perſonæ, quæ proportionaliter non niſi a perſona produci poteſt, quia *Nemo dat, quod non habet*. Alia etiam eſt ratio, quia actiones eſſentiales ſunt communes, & nullius ſunt propriæ. Tertia ratio eſt, quia in actibus notionalibus requiritur diſtinctio realis, & nullum eſſentiale & commune diſtingui poteſt realiter à perſona diuina. Quarta ratio eſt quia eſſentialia concurrunt in genere cauſæ, ſeu principij formalis, non autem concurrere *Cur nullum eſſentiale ad intra ſit productiuum.*

poſſunt

Digitized by Google

Synopſis totius queſtionis.

poſſunt in genere cauſæ principij efficientis vt *quo*, ſeu vt *quod*, quia vt ſic diuiderentur realiter, ac diſtinguerentur realiter à ſe ipſis in producente, & producto; & conſequenter productum ſuppoſitum, non eſſet Deus ille eſſentialis, & imperſonalis producens. Quinto quia aliud ratione *quo*, & *quod* eſt principium eſſentiale in eſſentialibus: atq; aliud *quo* & *quod* principium perſonale eſt in actibus perſonalibus, quicquid gratis contradicat Caietanus p.p.q.41.ar.5. Vbi negat *quod* perſonale habere ſuum *quo* proportionale & perſonale, cum tamen noſtro concipiendi modo non poſſit conſtitui *quod* perſonale, ſine ſua perſonalitate, ſeu *quo* proportionali. Pater enim paternitate eſt Pater, non autem Deitate, & Filius filiatione, ac perſona perſonalitate eſt talis &c. Sicut autem res ſe habet ad eſſe, ita & ad operari proportionate, & ſubordinate, reducendo *quo* ad ſuum proportionatum *quod* perſonale, ſeu eſſentiale. Vnde falſo ab aliquibus *quod* perſonale, reducitur ad *quo* eſſentiale, confundendo ordinem originis diuinarum perſonarum, & ex vno ordine perſonali tranſeundo cum confuſione ad alium ordinem eſſentialem. Cum tamen eſſentia, vel eſſentialia nullo modo principium originis eſſe poſſint per ſe, ſeu proximè; nam realiter diſtinguerētur à principiatis perſonis, quæ referrētur ēt realiter ad ipsā eſſētiā, ſeu eſſentialia, ſi hæc productiua eſſent. Nūquā enim eſſentia, ſeu eſſentialia concurrere poſſunt vt *quo*, quin eadem eſſentia ſubſiſtens, ſeu Deus eſſentialis concurrat vt *quod* in eodem genere cauſæ, ſeu principij efficientis. Et ſic perſona producta non eſſet Deus, ſed eſſet realiter relatus, ac diſtinctus ab eſſentia producente vt *quo*, & ab eſſentiali Deo producente vt *quod* quod eſt hæreticum, & Arianum, quia non produceretur idem numero in natura diuina Homouſion Catholicum, ſed ſolum ſimile in natura introducendo Homoeuſion Arianum, & ſimilem naturam in diuiſis, ſicut omne agens creatum producit ſibi ſimile ob ſimilem in ſpecie formam generantis, non vero generat ſibi idem in natura numerica.

Quod eſſentiare non poteſt confundi cum quo, *ſeu* quod *perſonali, neq; è contra.*

Confirmatur 13. quia fruſtra multiplicatur duplex *quo*, ſeu duplex *quod* in Patre ad generandum, ſeu ſpirandum, vt Pater paternitate eſt Pater, & vt Deus communi deitate eſt Deus, ſeu communi eſſentia, ac eſſentialibus communibus intellectus & voluntatis eſt Deus; ſufficit ergo quod perſona Patris ſola paternitate, tanquam ſua perſonalitate ſit proximum principium *quo*, & *quod* ad generandum, & ſpirandum, & ſit ſolum principium ingenitū perſonale *quod*, in virtute diuinæ naturæ, remoti principij, alterius ordinis, quia actiones perſonales reſoluuntur ad ſolum principium perſonale *quod* paternum, tanquam ad ſolum Alpha & Omega perſonale omnis principiationis, & emanationis perſonalis; ſiue ad intra, ſiue ad extra.

CAPVT 10.

Sicut in eſſentialibus actiones per ſe, & ſecundum quod ipſum, ac primaria denominatione ſunt huius Diuinæ eſſentiæ per ſe ſubſiſtentis: ſic è contra in actibus perſonalibus actiones per ſe ſecundum quod ipſum & proximè ſunt ſolius perſonæ Diuinæ, non autem diuinæ eſſentiæ, neq; vt quo, *neq; vt* quod *efficienter.*

CONfirmatur 14. quia ſicut in eſſentialibus primaria denominatione actiones per ſe, & ſecundum quod ipſum ſunt ſolius eſſentiæ, ſeu huius Dei eſſentialis, & nō niſi vltima denominatione, & ſecundario ſunt diuinarum perſonarum, ex S.Th.p.p. q.45.art.6.corp. (creaturæ enim ſunt primario ab ipſo Deo ſubſtantiuè & eſſentiali, ſecundum quod ipſum, Pater vero Deus adiectiuè vltima denominatione eſt creator cœli, & terræ per Filium, & per Spiritum ſanctum) ſic è contra in actibus perſonalibus primaria denominatione, & per ſe, ac ſecundum quod ipſum, ſola perſona proximè generat, ac ſpirat vt *quo* & vt *quod* per ſuam ſolā perſonalitatem, in genere cauſæ, ſeu principij efficientis, non autem ipſa eſſentia diuina, neq; vllis alijs eſſentialibus concurrentibus in habitudine cauſæ, ſeu principij efficientis *quo*, ſeu *quod*, niſi tantum in genere cauſæ formalis, quia natura diuina ſeu eſſentialia eodem prorſus modo inuariata eſſe debet in genito, & generāte; ſeu in ꝓducente, & in producto.

Con-

Digitized by Google

Synopſis totius queſtionis.

Confirmatur 15. quia de fide eſt, quod ſicut in eſſentialibus ad extra, ſecundum quod ipſum, requiritur eſsentiale, & cõmune principium *quo* & *quod* impersonale; (nam Deus ad extra, operatur vt vnus, & imperſonalis ſeu indiſtinctus eſt in perſonis) ſic ad intra requiritur ſecundum quod ipſum, principium perſonale *quod* Totius Trinitatis, immediatum, & ingenitum. Et hoc perſonale principium ingenitum *quod*, de fide eſt, quod ſit ſolus Pater. De quo principio Auguſtinus ait, *In principio creauit Deus cœlum & terram*, (licet habeat etiam alios ſenſus) & Apocal. 1. *Ego ſum Alpha & Omega* (*perſonale nimirum*) Nam filius non eſt hoc fontale & immediatum principium Trinitatis *A quo* alius (nam vt ſic eſſet duplex principium perſonale *A quo* alius, quod eſt hæreticum.) ſed eſt mediatum & principiatum principium *Per quod* alius, ex vi ſuæ characteriæ proprietatis procedit. Nam Io: 1. Verbum ex vi ſuæ originis procedit, vt ſuppoſitum *per quod* facta ſunt omnia intelligibilia, & cum propoitione, tam ad intra, quàm ad extra producibilia à Patre, & ad Patrem referibilia. Ad extra enim in ſymbolo Niceno Pater dicitur ſaltem vltima denominatione, creator eſſe cœli & terræ, per Ieſum Chriſtum Filium eius, *per quem facta ſunt omnia*. Et S.Th p.p.q.35. art. 2. corp. ait §. *Spiritus ſanctus non eſt imago Patris, quia non refertur ad Patrem immediate, niſi per Filium*. Non eſt ergo Filius immediatum principium *quod* Trinitatis, ſed eſt mediatũ principium paſſiuum, hoc eſt principiatũ principium *per quod* ex vi ſuæ originis, ac proceſſionis, omnia non implicantia, facta ſunt notificabilia, & a Patre producibilia, ac ad Patrem referibilia. Solus ergo Pater eſt ſimpliciter Primum, ac principium productiuum ingenitum, & immediatum. Filius autem ſecundum quid eſt principium; quia reſpectu Patris eſt ſemper medium, ſeu mediatum principium, ſeu principiatum ſuppoſitum ex S.Th. p.p.q.36. art. 3 quæ eſt mens & ſenſus SS. Patrum Græcorum.

Confirmatur 16. quia falſum eſt quod Spiritus ſanctus perſonaliter procedat à ſpiratore eſſentiali, & imperſonali principio: vel à Patre & à Filio, non qua perſonale principium ſunt, ſed qua imperſonale & eſsentiale principium *quod* ſunt. Nam ad intra non poteſt dari principium imperſonale. Eſt enim contra Sacram Scripturam Ioan: 16. ſentire, & docere quod Spiritus ſanctus non procedat à Patre, verè, & proprie, in ſenſu, literali, qua Pater eſt in Diuinis, per Filium, vt Filius eſt, vt fuſius ſuo loco.

Aliud ratione eſt ſpirator eſſentialis, atq; aliud eſt ſpirator notionalis.

Confirmatur 17 quia cum dupliciter ſumatur Spiritus ſanctus, eſſentialiter nimirum, ac perſonaliter, ex S.Th p.p.q.37. art. 1. corp. hinc eſt quod aliud principium *quo* & *quod* habet; dum ſumitur eſſentialiter; atq; aliud *quo* & *quod* habet dum ſumitur notionaliter, & conſequenter alio ſeu diſtincto modo procedit Spiritus ſanctus eſſentialiter, vt intermedius nexus eſt: atq; alio modo procedit perſonaliter, & notionaliter, vt tertia perſona eſt. Datur enim vnus per ſe, & ſecundum quod ipſum, ac primaria denominatione ſpirator eſſentialiter, & ſubſtantiue Deus, qui eſt ſua Diuina eſſentia: ſed ſecundaria denominatione datur triplex adiectiuè ſpirator eſſentialis amoris, Deus perſonalis, quælibet enim diuina perſona eſt ſpirator Deus eſſentialiter amans infinitum obiectum diuinæ naturæ. Et vt ſic idemmet Spiritus ſanctus eſt perſonalis ſpirator eſſentialis amoris, quatenus amat, vt Deus imperſonalis, & eſſentialis eſt, & vt procedit, vt mutuus amor eſſentialis, ſeu nexus amoris intranſitiue in virtute duarum dictionum: non vero vt perſona eſt procedens Spiritus ſanctus in virtute vnius dictionis. Vnde S.Th. p.p.q.37. art. 1. docet quod Spiritus ſanctus vt eſt mutuus amor, ſeu medius nexus: non eſt perſona, ſeu non procedit perſonaliter, niſi tantum eſſentialiter, vt ait ibi §. *Ad 3. dicendum quod Spiritus Sanctus dicitur eſſe intermedius nexus Patris & Filij, in quantum eſt Amor* (*eſſentialis nimirum, non vero vt perſona eſt*) *quia cum Pater amet vnica dilectione, ſe, & Filium, & è conuerſo: vt ſic importatur in Spiritu Sancto vt eſt hic Amor, habitudo Patris ad Filium, & è conuerſo, vt amantis ad amatum. Et ex hoc quod Pater, & Filius ſe mutuo amant, oportet quod mutuus hic amor, qui eſt Spiritus Sanctus ab vtroq; procedat. Secundum igitur originem perſonalem,*

Spiritus

Digitized by Google

Synopſis totius queſtionis.

Spiritus Sanctus non eſt medius nexus, ſed eſt Tertia in Trinitatẽ perſona. Secundum vero prædictam habitudinem, Spiritus Sanctus eſt intermedius nexus duorum ab vtroq; procedens &c. Ecce quomodo ex S. Thoma aliud eſt, procedere Spiritum ſanctum eſſentialem; ſeu eſsentialiter, & imperſonaliter: atq; aliud ratione eſt, Spiritum ſanctum procedere notionalem, & perſonalem; ſeu notionaliter, & perſonaliter. Sic aliud ratione eſt intelligere eſſentiale, & imperſonale (quod procedit ab intelligentia eſſentiali, & ingenita) atq; aliud eſt intelligere perſonaliter, & notionaliter; quod eſt verbum procedens vt perſona. Non itaq; confundendum eſt vtrumq; *quo* & *quod* eſſentiale, cum *quo* & *quod* perſonale. Vnde Caietanus p.p. q 36. ar. 4. quærens An cogant rationes S. Thomæ, quod Spiritus ſanctus eſſe debeat à duobus, quia procedit vt mutuus amor; reſpondet has rationes S. Thomæ non cogere §. *Modus autem procedendi vt nexus, & communio, ac mutuus amor, qui ex S. Th. conuenire dicitur Spiritui ſancto eò quod non poteſt intelligi, niſi ſit à duobus; non cogit neceſſario ad probandum intentum. Deficit enim hæc ratio S. Thomæ, quia connectere, vnire, & ſimilia non conueniunt Spiritui ſancto ex proprietate perſonali: ſed ex incluſo eſſentiali ſcilicet amore, vt in ſequenti q. 37. art. 1. ad 3. litera dicit. Dualitas ergo exigitur, vt conditio ſine qua non, ex parte ſpiratoris, non vero ex parte Spiritus ſancti producti.* Et idem confirmat eadem q. 36. art. 1. §. *Ad huius euidentiam ſcito, quod dupliciter alicui producto conuenire poteſt neceſſitas, vt producatur à pluribus. Vel ex parte producentis, & ſic creatura neceſſario eſt à pluribus: Vel ex parte producti, & ſic creatura non exigit eſſe à pluribus, ita in Spiritu ſancto ex parte producentis exigitur, vt ſit à pluribus, quatenus habent eandem potentiam, ante terminum productum &c.*

Aliud eſt quo & quod *in amore mutuo eſſentiali Patris ad filium, & è contra & ideo Pater & Filius non ſunt idem* quo & quod *perſonale neq; in amore eſſentiali neq; in amore notionali ex Scoto contra Henricum.*

Confirmatur 18. quod aliud *quo* & *quod* ſit in Spiritus ſancti eſſentiali, & imperſonali proceſſione: atq; aliud ratione eſt *quo* & *quod* in Spiritus ſancti notionali proceſſione, vt fuſius probat Scotus in 1. diſt. 12. q 1. ex Auguſtino, contra Henricum & Riccardum, quia Spiritus ſanctus perſonaliter non poteſt procedere ex mutuo amore: hic enim amor mutuus, eſſentialis eſt, & in actu ſecundo eſt: Nulla vero perſona diuina producitur ab actu ſecundo ex Scoto cit. quia vt ſic non eſſet coæterna ſuo principio, in actu primo volente, ſeu intelligẽte notionaliter, ad poſitionẽ infiniti obiecti diuinæ eſſentiæ, infinitè diligibilis, & infinite cognoſcibilis. ſic autem ibi ait Scotus § *Contra iſtam opinionem Henrici & Riccardi ponentium Spiritum ſanctum procedere vt mutuum amorem, concorditer a duobus diſtinctis, vt diſtincti ſunt in tali concordia, multipliciter arguitur & impugnatur. Si enim Pater & Filius producunt Spiritum ſanctum voluntate, inquantum concorditer amantes ſunt: ea igitur eſſet alius Spiritus ſanctus prius productus, quod eſt inconueniens. Probatur conſequentia, quia in quocunq; ſigno naturæ, vel originis eſt principium productiuum perfectum in ſe, & in ſuppoſito, conuenienter actioni: in illo ſigno poteſt eſſe tali ſuppoſito ratio producendi. Sed voluntas infinita, vt voluntas infinita, intellecta ante omne velle, habenſq; infinitum obiectum, ſibi præſens, eſt ſufficiens principium productiuum ſpirati amoris infiniti. ergo voluntas diuina in Patre & Filio, qua voluntas infinita eſt in actu primo non vero qua formaliter volunt in actu ſecundo, eſt Patri & Filio principiũ productiuum Spiritus ſancti. Vnde ſi Spiritus ſanctus producatur per actum ſecundum, prius erit productus per actum primum, quod eſt inconueniens. Eademq; ratio dupliciter comprobatur adhuc primo per formalem rationẽ voluntatis in principiando, quæ eſt libertas, quæ non ita conuenit ipſi velle, ſeu volũtati in actu ſecũdo ſicut cõuenit in actu primo. Secũdo probatur per ſimile de intellectu, qui eſt ratio generandi, vt eſt in actu primo, vt oſtẽſum eſt ſupra d. 2. Volũtas ergo diuina, vt habens obiectum primarium diuinæ eſſentiæ ſibi præſens, eſt ratio producẽdi amorem adæquatum illi perfectius, quàm vt habens obiectum ſecundarium, ſeu diuinas perſonas, ſibi præſentes. Ergo cum eſſentia diuina ſit primarium obiectum voluntatis diuinæ, non autem Pater & Filius (quia tunc Pater eſſet beatus in pluribus obiectis diſtinctis) magis ſpirabitur Spiritus ſanctus voluntate, vt eſt eſſentia diuina, tanquam primarij obiecti; quàm voluntate, vt eſt Patris, & Filij, ſecundarij obiecti. Paternitas, enim vt Paternitas, ſeu Filiatio, vt ſic, non eſt formaliter infinita. Et licet ametur; amatur tamen, quia ratio formalis diuinæ eſſentiæ, propter quam amabilis eſt, magis amatur, quam ipſa perſona diuina. Probatur vlterius, quia principium*

pium

Digitized by Google

pium quo, *eque perfectum eſt in vno ſuppoſito, ſicut in duobus, & vnum ſuppoſitum eque perfectum eſt, ac duo ſuppoſita: ergo voluntas eque poteſt eſſe principium in vno, ac in duobus: ita vt illa mutuitas amoris non ſit ratio aliqua producendi, ex parte principij productiui. Principium enim* quo *non accipit à ſuppoſito perfectionem ſuam, ſed potius dat ſuppoſito perfectionem ſuam. Et ſi dicas quod tale principium non eſt productiuum vt eſt in vno, ſed vt eſt in duobus; hoc videtur abſurdum; quia omnem realitatem, ſeu fœcunditatem, quam Pater habere poteſt, habet à ſe in primo ſigno originis, nullã ergo habet Filio genito, quã nõ intelligatur, prius origine habere, quàm ſit genitus Filius, qui nihil perfectionis, ſeu complementi addere poteſt Patri. Et ſi dicas quod mutua dilectio eſt ratio ſpirandi perſonam Spiritus ſancti; tunc per te duplex relatio rationis erit vltimata actualitas principij ſpiratiui. hoc eſt impoſſibile propter duo. Primo quia nulla relatio rationis praexigitur productioni diuinæ. Secundo, quia tunc eſſent duo principia formalia proxima ſpirandi. Et ita duo ſuppoſita, non ſpirarent in quantum vnum. quod eſt contra Auguſtinum 5. de Trin. c. 14. Non enim ſunt vnum ſuppoſitum in quantum concordes, neq; ſunt vnum* quo, *quia non eſt idem* quo *in Patre, & Filio, volitio illa, cum oppoſita relatione, & termino mutui amoris, ac redamationis mutuæ. Nam in Patre eſt volitio amoris cum relatione ad Filium. E contra vero in Filio eſt volitio cum oppoſita relatione redamationis ad Patrem. Non ergo Pater & Filius haberent idem* quo, *in volitione mutua. Et ſic vterq; in quantum amans alterum, eſt diminutum principium, & ambo ſimul integrant vnum principium. quaſi per aggregationem, vt duo trahentes nauim, &c.* hæc ſubtiliſſimus Doctor recte ſentit & docet, quatenus diſtinguit *quo* & *quod* in amore eſſentiali, qui eſt actus ſecundus; et *quo* & *quod* in amore notionali, quatenus eſt à fontali principio paterno. Synopſis totius queſtionis.

Recte Græci in Concilio Florentino à ſeſſ. 28. vſq; in finem, nunquam conceſſerunt, Spiritum ſanctum procedere à Diuina eſſentia, in genere cauſæ, ſeu principij efficientis quo, *ſeu* quod, *quia ſequebatur verum eſſe dogma Arianum, quod eadem Diuina eſſentia fuiſſet cauſa, & cauſatum; ſeu producens, & productum.* CAPVT. 10.

CONfirmatur 19. quia actiones ad intra ſecundum quod ipſum, ſunt ſuppoſitorum vt *quo* & *quod*, in genere cauſę, ſeu principij efficientis: nullo autem modo vt ſic ſunt, neq; eſſe poſſunt ipſius Dei eſſentialis, vel Diuinæ eſſentiæ, ob ſimpliciter neceſſariam diſtinctionem realem inter producens & productum. & oppoſitũ eſt maxima deceptio fidelium, ac fauet, ſeu inclinat ad Arianiſmam diſtinctionem, ac diuiſionem ſubſtantiæ Filij ſimilis, non autem identificati cum eſſentia & natura Patris.

Confirmatur 20. quia nulla alia de cauſa Patres Græci in Concilio Florentino à ſeſſ. 18. præſertim, vſq; in finem, negarunt Spiritũ ſanctum procedere ab eſſentia Patris, in genere cauſæ, ſeu principij efficientis *quo*, aut *quod*, niſi quia ſequebatur primò, quod eadem eſſentia eſſet cauſa, & cauſata, ſeu principium & principiatum, ac diſtincta & diuiſa à ſe ipſa, ac producens vt *quo* & producta vt *quod* (ſemper enim procedere perſonaliter dicit diſtinctionem realem in nobis & in Deo) Sequebatur ſecundò quod Spiritus ſanctus perſonaliter procederet à ſua eſſentia, ſicut & Filius pcederet et à ſua eſsẽtia, ſeu natura diuina, ſiue vt *quo*, ſiue vt *quod*, hoc vero eſt Arianum, dicitq; diſtinctionem realem à ſe ipſo ſiue vt *quo*, ſiue vt *quod*. Non enim aliquid producere poteſt eſſentia, ſeu natura Diuina vt *quo*; quin illud idem producat, vt *quod*, eadem eſſentia per ſe ſubſiſtens; ſeu hic Deus eſſentialis, qui nullo modo diſtinguitur ab hac eſſentia. nulla enim datur diſtinctio inter eſſentiam & hanc eſſentiam, ſeu hunc Deum eſsentialem; neq; formalis, neq; realis, ſeu rationis raciocinatæ; niſi ſolius rationis noſtræ imperfectæ, eiuſdem enim ad ſe ipſum, nulla eſt relatio, neq; diſtinctio ex natura rei. Non poteſt eſse itaq; vnum idemq; *quo* & *quod* eſſentiale cum *quo* & *quod* perſonale, quia ſimul eſset & non eſset eſsentiale: ac ſimul eſſet, & non eſset perſonale, ac ſimul eſset & nõ eſset productiuũ perſonæ dũ eſt eſſentiale, quod implicat contradictionem, quia perſonales actiones ad intra, ſecundum quod ipſum, ſunt ſuppoſitorum; nullo autem modo ſunt, neq; eſse poſsunt eſsentiæ,

D ſeu

Digitized by Google

Synopſis totius queſtionis.

ſeu eſsentialium, in genere cauſæ, ſeu principij efficientis, vt *quo*, ſeu vt *quod*, niſi in genere cauſæ, ſeu principij formalis. Et oppoſitum eſt maxima proteruia Aduerſariorum.

Confirmatur 21. quia ideo Filius in creatis realiter diſtinguitur, non ſolum à generante vt *quod*, ſed etiam à numerica natura generantis vt *quo*, quia tam generans vt *quod* quam eius numerica natura vt *quo*, realiter influit in genere cauſæ efficientis, & conſequenter realiter diſtinguitur, neq; per diuinam potentiam poteſt eadem natura numero communicari genito, & generanti, dum realiter influit vt *quo*, ſeu *quod* in genere cauſæ efficientis, quia ſemper eſt diſtinctio realis inter productum, & producens; ſiue producat vt *quo*, ſiue vt *quod*. efficiens enim non poteſt coincidere cum cauſa formali, neq; per potentiam Diuinam. Secus idem cauſaret, ſeu produceret ſe ipſum, quia in Deo eſſentiali non eſt vlla diſtinctio realis, neq; formalis, ſeu diſtinctio rationis raciocinatæ, ſeu ex natura rei, inter eſsentiam & hanc ſubſiſtentem eſſentiã; eſsentia .n. eſt hic Deus eſſentialis, ſeu hæc eſsẽtia ſubſiſtẽs. Vnde ſi eſsentia generat ſeu ſpirat vt *quo* conſequenter generat, ac ſpirat vt *quod* ex natura rei ac formaliter; quia (vt dictum eſt) in Deo non eſt diſtinctio *quo*, & *quod*, ſicut in nobis; nam idem eſt habens, & habitũ; & idem eſt eſsentia atq; hæc eſsentia, ſeu hic Deus eſsentialis abiq; diſtinctione reali, ſeu formali ex S. Th. p. p. q. 29. ar. 4. ad 1. & q. 40. a. 1. & art. 2.

Confirmatur 22. quia ſicut ſe habet *quo* eſsentiale, ad *quod* eſsentiale; ita ſe habet *quo* perſonale ad *quod* perſonale. Et ſicut actiones eſſentiales ſunt eſsentiæ cõis; ſic actiones perſonales ſunt ꝓpriæ ſolius perſonæ. Ergo ſicut erroneũ eſt peruertere, & cõfundere hunc ordinẽ in eſsentialibus, docendo quod perſona vel perſonalia, ſecundum quod ipſum, & primaria denominatione, creant ad extra, ſiue vt *quo*, ſiue vt *quod*: ſic erroneum eſt in fide, ſentire & docere, quod eſsentia, vel eſsentialia ad intra, producunt, ſeu præſtant actiones, ſeu reales habitudines perſonales, ſiue vt *quo*, ſiue vt *quod* in genere cauſæ, ſeu principij efficientis.

Confirmatur 23. ex varijs abſurdis; quia niſi diſtinguamus *quo* & *quod* eſsentiale, a *quo*, & *quod* perſonali: tunc ſequetur primo quod Pater & Filius non prius origine diligerent eſsentialiter, ante productionem perſonæ Spiritus ſancti, ſed ſolum diligerent poſt Spiritum ſanctum perſonaliter productum; in habitudine principij *quo*; quod tamen impoſſibile & erroneum in fide eſse docet S. Th. p. p. q. 37. art. 2. corp. Sequitur Secũdo quod Pater nihil ſciret, nihilq; intelligeret ſapientia ingenita, & eſsẽtiali, niſi ſapientia genita, ſeu poſt productũ Verbum niſi diſtinguamus intelligere eſsentiale, ab intelligere perſonali, ac vtrumq; *quo* & *quod*, ab vtroq; *quo* & *quod* diuidamus ratione. Intelligit enim Pater eſsentialiter, vt Deus eſt ſubſtantiuè, ſecundum quod ipſum; non vero vt Pater eſt Deus adiectiuè, & ſecundum quod ipſum, niſi vltima denominatione. Sequetur tertio quod Pater non eſset prius origine eſſentialiter beatus, cognoſcens, & amans diuinam eſsentiam, niſi poſt productum Filium, ac poſt productum Spiritum ſanctum. Quarto niſi diſtinguamus *quo*, & *quod* eſsentiale, à *quo* & *quod* perſonali, ſequetur quod conſubſtantialitas diuinarũ perſonarum indifferenter in vtroq; *quo* ſeu *quod* conſiſtat, ſecundum quod ipſum. Cum tamen conſiſtat in vno eodemq; ſolo *quo*, & *quod* eſsentiali, & actibus eſsentialibus ad extra, quatenus quælibet perſona diuina eſt hic Deus ſubſtantiuè: non vero conſiſtit in *quo* ſeu *quod* perſonali, neq; in actionibus, ſeu habitudinibus perſonalibus ad intra. Vnde licet Spiritus ſanctus, vel Filius non poſſint generare, neq; vt *quo* neq; vt *quod* perſonale, & paternum (nam actiones perſonales, ſeu ad intra, ſunt perſonarum, ac perſonalitatum proximè, noſtro imperfecto intelligendi modo) tamen ſunt conſubſtantiales, quia conſubſtantialitas reſpicit tantum actus eſſentiales ad extra, quatenus ſunt huius Dei ſubſtantiuè, nõ vero reſpicit actiones perſonales, quatenus ſunt huius Dei adiectiuè. Quinto niſi diſtinguamus *quo* & *quod* eſsentiale; a *quo* & *quod* perſonale, ſed indifferenter vtrumq; confundamus, ſequetur quod idem ſit eſse om-

nipotens, æternum, immenſum, increatum ſubſtantiuè, ac eſse omnipotens adiectiuè. Et ſic ſicut vnus tantum eſt omnipotẽs, ſeu æternus, ſeu immenſus & increatus Deus ſubſtantiuè; ſic pariter vnus eſset omnipotens, & æternus, ac immenſus, & increatus Deus adiectiuè. quod eſt hæreticum. Sequetur ſexto quod Filius, ac Spiritus ſanctus non eſsent omnipotens ſicut Pater, quia non poſsunt generare neq; vt *quo*, neq; vt *quod*. ſicut Pater. cum tamen ſit diſtinguendum inter *quo*, & *quod* eſſentiale productiuum ad extra tantum ſecundum quod ipſum; ac *quo* & *quod* perſonale productiuum ad intra tantum. Vnde generare ſeu ſpirare perſonaliter non conſiſtit in conſubſtantialitate neq; pertinet ad eſsentiales actus, niſi ad perſonales. Licet ergo Filius, & ſpiritus S. nõ ſint in perſonalibus actibus omnipotens, ſicut Pater, qui ſolus ad intra eſt omnipotens à ſe, in omni fontali emanatione generando, & ſpirando vt *quod* ingenitum, & improductum, cuiuſmodi neq; eſt Filius, neq; Spiritus ſanctus: ſunt tamen ambo conſubſtantiales Patri, quia conſubſtantialitas reſpicit eſſentiam, & eſsentiales actiones, ac omnipotentiam eſsentialem ad extra, non vero perſonam, ac perſonales habitudines, neq; perſonalem omnipotentiam fontalem ſolius Patris, vt quod tanquam ingenitum, ac perſonale Alpha, & Omega Trinitatis. Septimo niſi diſtinguamus; ſed potius ſi confundamus vtrumq; *quo*, & *quod* eſſentiale, cum vtroq; *quo* & *quod* perſonali, ſequetur quòd idem Deus, & Pater ſubſtantiuè, ſeu eſsentialis, erit etiam genitor, ſeu ſpirator notionalis, ſeu erit Pater, ac ſpirator Deus adiectiuè, quod eſt hæreticum, quia Deus ſubſtantiue, ſeu eſsentialis neq; generat, ſeu ſpirat vt *quo*, aut *quod*: neq; generatur, ſeu ſpiratur, vt *quo* & *quod*.

Synopſis totius quæſtionis.

CAPVT 12.

Teſtimonium ipſiuſmet Suarij quod Diuina eſſentia, neq; generat, aut ſpirat vt quo, *neq; vt* quod *in ratione cauſæ, ſeu principij efficientis.*

VLtimo probatur tota hæc doctrina, quod Diuina eſsentia, neq; generat, aut ſpirat, vt *quo*, neq; vt *quod* in genere cauſæ, ſeu principij efficientis. neq; conſequẽter aliquid proxime & immediate procedere poteſt à diuina eſsentia, ſeu natura, in eodem genere cauſæ, ſeu principij efficientis, neq; vt *quo*, neq; vt *quod*, confirmaturq; validiſſimis rationibus Suarij de Trin. lib. 6. cap 2. num. 8. §. *Tertio notanda eſt ratio, quod ad intelligendam emanationem realem vnius perſonæ ab alia, neceſse eſt, vt etiam intelligamus realem influxum perſonæ producentis, in productum. quem influxum actionem appellamus. Hic autem influxus realis non poteſt intelligi in formali principio* quo, *vna perſona ab alia producitur. ergo debet intelligi, quod ſit ipſamet proprietas perſonæ producentis. Maior ex terminis videtur nota, quia ſine reali influxu non concipimus realem proceſſionem. Minor vero probatur ex differentia inter emanationes diuinas & creatas. Nam in creatis actio ipſa diſtinguitur non ſolum à principio* quod: *ſed etiam à principio* quo *agendi. Nam ab vtroq; realiter fluit. In Deo autem hoc dici non poteſt: quia illud principium* quo, *eſt eſſentia, à qua nihil in re ipſa diſtinguitur. ergo non poſſumus concipere in Deo originem actiuam, vt realiter fluentem à principio* quo *agendi, ſed ratione tantum. Aliunde vero ipſum etiam principium quo producendi, in Deo non eſt quid diſtinctum à termino producto. quod eſt etiam ſingulare in Deo. Ob quam cauſam non poſſumus concipere illud principium* quo, *vt realiter, & quaſi actiue fluens in perſonam productam, cum ſit intrinſeca, & eſſentialis forma eius. ergo vt intelligatur ibi realis influxus, rectè concipitur ipſa actio productiua, vt diſtincta ratione à termino adæquatè producto in re ipſa, & conſequenter vt idem re cum productiuo principio* quod, *&c.* Et lib. 6. cap. 7. num. 5. §. *Dubitant Theologi. An (ly Deus generat) ſupponere poſſit pro hoc Deo ſingulariter ſubſiſtente, vt ratione ab omni perſona præciſo. Nam Caiet. p. p. q. 39. art. 4. partem affirmatiuam ſequitur, Torres vero ibidem hanc ſententiam Caietani acriter impugnat. Vt vero impugnet, ſupponit Deum ex ſe, nec ſemper ſupponere immediatè pro perſonis. quod quidem fundamentum, neq; eſt neceſſarium, neq; verum. Nam veriſſimum eſt Deum ex ſe, ratione ſubſiſtentiæ eſſentialis, habere pro quo immediatè ſupponat, abſtrahendo ratione à perſonis, vt cum dicimus (Deus creat Deus eſt Pater, & Filius, ac Spiritus ſanctus*

Synopſis totius quæſtionis.

ſeu Deus eſt Trinus) ly ergo Deus generat, non poteſt ſupponere pro hoc Deo, ſic ratione præciſo ab omni perſona. Ratio eſt, quia hic Deus, vt abſtrahens à perſonis; non poteſt eſſe principium quod *actuum notionalium (nota bene) quia eſt communis omnibus, & non poteſt realiter diſtingui à perſona producta, & eadem ratio eſt de hac eſſentia, ſeu natura Diuina, & lib. 9. c. 9. nu. 7. §. Vlterius ſequitur Verbum non eſſe imaginem Deitatis, ſeu huius Dei, vt præconcepti, ſeu abſtracti à tribus perſonis, quia nec procedit realiter ab illo. non enim Deitas generat, ſeu ſpirat vt* quo, *neq; conſequenter hic Deus, vt ratione præciſus generat, ſeu ſpirat vt* quod. *Vnde nullum realem influxum, ſeu habitudinem dicit Verbum ad Deitatem ſuam, ſeu ad hunc Deum, vt ratione præciſum, &c.* quid clarius? quidue rectius dici poteſt à Suario? non enim diſtingui poteſt realiter neq; formaliter in Deo *quo* eſſentiale, à ſuo *quod* eſſentiali: ſicut neq; *quo* perſonale à ſuo *quod* perſonale Et ideo nil dici pôt de eſſentia, ſeu natura diuina vt *quo*, quin illud idem dicatur conſequenter de hoc Deo eſſentiali vt *quod*. Vnde ſi Spiritus ſanctus, vel Filius procedit à ſua eſsentia, ſeu natura diuina vt *quo*, tunc non ſolum realiter diſtinguetur ab illa vt *quo*, ſicut procedit ab illa vt *quo*, (quia perſonaliter procedere, eſt realiter diſtingui) ſed etiam Filius, ac Spiritus ſanctus procederent ab hoc Deo eſsentialiter, vt *quod* generante, ſeu ſpirante: ac conſequenter ab eodem Deo eſsentiali realiter diſtinguerentur vt *quod*, quare, neq; Filius, neq; Spiritus ſanctus productus, erit ille idem Deus eſsentialiter, per te producens, quia ſemper inter productum, & producens, ſiue vt *quo*, ſiue vt *quod* in genere cauſæ, ſeu principij efficientis, eſt diſtinctio realis, tam ad intra, quàm ad extra, vt patet ex ipſo lumine naturæ. Sed hoc eſt conſequens erroneum in fide: ergo pariter erroneum eſt antecedens illud tuum, vnde ſequitur.

Confirmatur ex S. Th p. p. q. 40. art. 1. ad 3. vbi ſibi obijcit quod Pater & Paternitas non ſint idem in diuinis, quia dicitur Pater eſse generans, non vero dicitur Paternitas eſse generans, non ſunt ergo idem, quia non habent idem prædicatum. ſic autem ibi reſpondet §. *Ad 3. dicendum quod actus notionales ſunt ſuppoſitorum: proprietates vero Paternitatis, ſeu Filiationis non ſignificant vt ſuppoſita, ſed vt forma ſuppoſitorum, & ideo modus ſignificandi vt* quod *repugnat formis ſeu proprietatibus, quæ ſunt vt* quo, *&c.* ergo per S. Th. Paternitas generat vt *quo*, quia ſignificat idem vt *quo*, tanquã forma dãs eſſe rei.

CAPVT 13.

Vera eſt doctrina Durandi & Gregorij quod illa propoſitio, Pater & filius ſunt vnum principium Spiritus ſancti, *nõ ſumenda eſt in proprietate & rigore ſermonis, ſed iuxta ſenſum SS. Patrum, quicquid grates contradicat Fauentinus.*

PLacet hic ad maiorem euidentiam dictorum, expendere doctrinam Fauentini, præclariſſimi Scotiſtæ in 1. ſent. d. 12, diſp. 41. c. 1. vbi reijcit Durandum & Gregorium § *Gregorius in 1. d. 12. q. 1. ſequendo Durandum in 1. d. 29. q. 2 aſſerit veram eſse propoſitionem illam, (Pater & Filius ſunt vnum principium Spiritus ſancti) tamen non eſſe accipiendam in ſua propretate, & ſecundum rigorem: ſed in ſenſu, quo ipſam Patres protulerunt. Fundamentum eſt, quia ille terminus (Principium) vel ſupponit pro principio* quo, *ſeu forma agendi: Vel pro principio* quod, *ſiue pro ſuppoſito agente. Sed neutrum proprie dicitur vnum principium Spiritus ſancti ergo &c. Non poteſt enim ſupponere pro eſſentia, quia eſſentia non generat ſeu ſpirat; neq; generatur, ſeu ſpiratur. Et ſi ponatur eſſe principium, tunc potius dicendum eſſet, quod in Patre & Filio eſt vnum principium Spiritus ſancti, neq; ly (vnum principium) poteſt ſupponere pro ſuppoſito agente principio* quod, *quia Pater & Filius ſunt duo principia* quod, *&c.* Longè autem impugnat Fauentinus ibi hanc rationem Durandi, & Gregorij; quæ eſt ipſiſſima doctrina, & ratio SS. Patrum Græcorum. Cum tamen de fide ſit, quod ſicut actiones ad extra ſunt indiuiſæ huius imperſonalis; ſeu ſubſtantiui & eſsentialis Dei, quatenus vnus, & indiſtinctus eſt in perſonis: ſic è contra actiones ad intra, de fide eſt, quod ſunt Dei Trini, ſeu diſtincti in perſonis, ſeu adiectiuè Dei, ſecundum quod ipſum, vt perſonalis Deus eſt. Vnde communi axiomate omnes Theologi docent, quod actiones perſonales ad intra, ſunt ſecundum

quod

quod ipſum, ſuppoſitorum. Sicut è contra actiones eſsentiales ad extra, ſecundum quod ipſum, neq; ſunt, neq; eſse poſsunt ſuppoſitorum, niſi ſecundario, & vltima denominatione, ſunt enim non quidem alicuius ſuppoſiti perſonalis, ſed tantum huius imperſonalis Dei, eſsentialiter per ſe ſubſiſtentis. Validiſſima eſt ergo ratio Durandi & Gregorij, Sanctorumq; Patrum Græcorum, quòd Pater & Filius, neq; vt *quod* poſsunt eſse vnum principium perſonale, quia hæc eſset hæreſis Sabelliana, neque vt *quo*, quia principium *quo* eſsentiale neq; generat aut ſpirat vt *quo*; neq; vt *quod*, nam in Deo eſsentiali non eſt *quo*, & *quod*, niſi in Deo perſonali. Vnde quicquid eſsentia produceret vt *quo*, produceret etiam vt *quod*.

Synopſis totius quæſtionis.

Confirmatur primo, quia principium productiuum vt *quod* ad intra eſse debet perſona ſecundum quod ipſum, & oppoſitum eſt maxima deceptio fidelium, quicquid gratis & falſo contradicat Torres de Trin. & Fauentinus cit. de fide eſt enim quod ſicut actiones ad extra ſecundum quod ipſum, non ſunt ſuppoſitorum: ſic e contra pariter eſt de fide quod actiones perſonales ſeu ad intra, in diuinis eſse debent ſuppoſitorum ſecundum quod ipſum, ſeu primaria denominatione nullo autem modo eſse poſsunt non ſuppoſitorum. Secus dabuntur plura principia perſonalia, cum pluribus formis perſonalibus agẽtia vt *quod*. hoc autem eſt erroneum in fide, ſeu hæreticum.

Confirmatur 2. quia pace Fauentini diſcedo ab eius interpretatione doctrinæ illius Scoti in 1.d.12 q.1. in fine § *Ad argumenta ad 2. Aliter dici poteſt quod actio ſpirandi vltima denominatione denominat ſuppoſitum, primaria vero denominatione denominat formam. Omnis enim forma exiſtens in alio, vt forma. Sicut dat eſſe illi, ita dat illi aliquo modo denominari a ſua actione. Licet ergo forma in ſuppoſito denominetur ab actione ſua, non tamen vltima denominatione, ſed vlterius denominatione, vltima denominatur, ſuppoſitum ab eadem denominatione: Actiones ergo ſunt ſuppoſitorum non formaliter, ſed denominatione vltima, nam forma primo denominatur agere, &c.* Hæc inquam doctrina Scoti eſt pro me, ſi recte intelligatur de perſonalitate & perſona, ſeu de forma indiuiduali, ſeu perſonali principio *quo*, ac de ſuppoſito ipſo, vt eſt principium perſonale *quod*. In diuinis enim actibus perſonalibus actiones ſunt ſuppoſitorum vt *quod*, ac ſuppoſitalitatũ noſtro intelligendi modo, vt *quo*, vt expreſse docet S. Th. p. p. q. 40. art. 1. ad 3. Non poteſt autem Scotus extorqueri & intelligi de forma diuinitatis in generando, ſeu ſpirando: quia vt ſic, tunc actio eſset ſuppoſitorũ vltima denominatione, ſi primaria denominatione actio generandi, ſeu ſpirandi eſset formaliter ipſius diuinæ eſſentiæ, ſeu naturæ, in genere cauſæ, ſeu principij efficientis vt *quo*, ſeu *quod*. Quod eſt erroneum in fide, non ergo ita intelligi poteſt catholica doctrina Scoti. Sicut enim ad extra formaliter, & primaria denominatione, ac ſecundum quod ipſum, ſola diuina natura, ſeu eſsentia creat, regit, ac prædeſtinat: ſecundario vero & vltima denominatione, Pater eſt creator cœli, & terræ per Chriſtum Filium eius, ac Spiritum ſanctum ex S. Th. p. p. q. 45. ar. 6. corp. Sic totum oppoſitum eſt in perſonalibus actionibus ad intra, vbi primario & ſecundum quod ipſum actiones ſunt ſuppoſitorum, ac ſuppoſitalitatum noſtro intelligendi modo, nullo autem modo, neq; vt *quo*, neque vt *quod* ſunt, neq; eſse poſsunt ipſius diuinæ naturæ proxime, & immediate.

Confirmatur 3. quia non datur, ſpirator ille Deus ſubſiſtens in duabus perſonis Patris & Filij (ſicut contendit Becanus Ieſuita de Trin. cap. 6. q. 5.) qui neq; ſit vnus Deus eſsentialiter, neq; ſit vnus Deus perſonaliter, neq; ſit genitum, neq; ingenitum principium, neq; formaliter ſit Pater, neq; formaliter ſit Filius, ſed ſit quarta formalitas, & quarta ſubſiſtentia, realiter contradiſtincta à Spiritu ſancto & conſequenter ab omni alia ſubſiſtentia diſparata, quæ realiter ex Scoto eſt diſtinctiua à quocunq; ſiue correlatiuo, ſiue diſparato. Nam ſi daretur tunc eſset quarta perſona, & quartus adiectiue Deus, ſeu quartus habens diuinitatem, nam actiones ad intra, ſecundum quod ipſum, ſunt ſuppoſitorum, non vero Dei imperſonaliter ſubſiſtentis,

Si daretur ſpirator notionaliter Deus ſub quarta formalitate eſſet quarta perſona.

Digitized by Google

Synopſis totius queſtionis.

vt ratione præciſi à perſonalitate Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, vt fuſius ſuo loco contra Torres. Et ideo non placet adhuc idem Fauentinus in 1.d.12.q.41.c.4.n.17. §. *Eſt modo difficultas, quomodo ſit vera illa propoſitio in rigore ſermonis, Pater Filius, & Spiritus ſanctus ſunt vnum principium Spiritus ſancti. Varij autem vario modo reſpondent. Alij enim dicunt ibi principium ſupponere pro ſpiratore, ſiue pro quarto conſtituto, ex eſſentia & ſpiratione actiua, non diſtincto à Patre & Filio; ſed eis communi. Alij dicunt ſupponere collectiuè pro Patre & Filio, ſimul ſumptis, non vero ſeorſim, quomodo plures trahentes nauim collectiuè ſunt vnum. Alij quod ſupponit pro Patre & Filio, non determinate, ſed confuſè. Alij alio modo. Hanc diſputationem ego vanam puto, quoniam certum eſt, quod (Principium) ibi ſupponit pro Principio* quo *ſcilicet pro voluntate. Et quia hac eſt vna in Patre & Filio, ideo Pater & Filius dicuntur eſſe vnum principium Spiritus ſancti. Vnum inquam in hac vi ſpiratiua, non in abſtracto, ſed in concreto. nam eſt nomen ſubſtantiuum in concreto, & ideo connotat ſuppoſita. Et ſicut eſt vera hac. Pater & Filius, & Spiritus ſanctus ſunt vnus Deus: ſic eſt vera hac, Pater & Filius ſunt vnus ſpirator notionalis ſub vna forma, ſeu principio* quo *ſpirandi &c.*

Cur multipliciter diſpliceat Fauentinus.

CAPVT 14.

HÆc Fauentinus, in quibus multipliciter diſplicet, primo, quia ex Scoto quodl. q.6. & ſexcentis alijs in locis, prima ratio agendi ad intra, ſeu in notionalibus, non agit, ſed ſuppoſitum eſt illud quod agit, & actiones perſonales proximè, ac primaria denominatione ſunt ſuppoſitorum, & ſuppoſitalitatum, noſtro intelligendi modo. Secundo diſplicet, quia non poteſt aliquod eſſentiale agere vt *quo*. quin Deus eſſentialis illud idem agat vt *quod*, reducitur enim ſemper principium *quo* ad ſuum proportionale principium *quod*. Eo vel maxime, quia in Deo eſſentiali non datur diſtinctio hæc realis, neq; formalis *quo*, & *quod*, ſicut in creatis ex S.Th.p.p.q.29 ar.4. ad 1. & q.40.ar.1. & 2. Tertio non placet, quia ſi Pater & Filius ſunt vnum *quo* eſſentiale, etiam Spiritus ſanctus eſt vnum *quo* eſſentiale, & modo in Nunc æternitatis, vbi ſemper Filius generatur, ac Spiritus ſanctus ſemper ſpiratur; Filius ac Spiritus ſanctus procederent à ſe ipſis, ac diſtinguerentur à ſe ipſis, ſi procederent ab eodem cõi & eſſentiali, principio *quo*. Prӕterquã quod conſequenter diſtinguerẽtur ab eodẽ eſſentiali principio *quod*, ſeu ab hac eſſentia ſubſiſtẽte, ſeu ab hoc Deo, eſſentiali quia vt dictum eſt millies; non poteſt diuina eſſentia aliquid producere vt *quo*, quin illud idem ipſamet diuina natura ſubſiſtens, ſeu vt hic eſſentialis Deus producat vt *quod*. non enim diſtingui poteſt realiter, neq; formaliter diuina eſſentia à ſe ipſa, vt ſubſiſtens eſt, ſeu vt eſt hæc, aut vt eſt hic eſſentialis Deus. Quarto non placet, quia principium vt ſit productiuum ad intra, ſeu extra ſecundum quod ipſum, eſse debet vnum *quod* per ſe ſubſiſtens, & in ſe ſubſiſtens, non autem vnum *quo*, & oppoſitum eſt maxima deceptio Fidelium. Quia vlterius hoc vnum principium *quod*, vt ſit productiuum, habere debet propriam ſubſiſtentiam, ſub propria formalitate, realiter contradiſtinctam a perſona producta. Nec non debet habere propriam ſpeciem relatiuæ ſubſiſtentiæ ſpiratiuæ, & tandem, quia actiones ſunt ſuppoſitorum, ideo quarta perſona eſse debet, ſicut eſt quarta relatio realis, ſpecie contradiſtincta, ab omni alia ſpecifica relatione. Species autem ſpecie differre debet, & nullo modo confundi poteſt cum Sabellio in vnam ſpecie relationem: Vel in vnam perſonam. Quinto non placet, quia in omnibus deueniendum eſt ad vnum tantum primum principium *quod*, ex S.Th.p.p.q.33 ar.4. ad 4. quia quæ à Deo ſunt, ordinata ſunt; Vbi enim eſt multitudo ſine ordine, ibi eſt confuſio ex S.Th p.p.45.ar.3.corp. Vel ergo illud principium ſpiratiuum *quod* erit Pater, vel dabitur alia formalitas productiua, quæ ſit prior Patre, quod erroneum eſt in fide. Sexto non placet, quia vel ille ſpirator erit à Patre, & ſpirabit à Patre; & ſic vel erit genitum, vel ingenitum principium ex S.Th.p.p.q.33.ar.4. Vel è contra Pater ſpirabit ab illo, & conſequenter erit ab illo, non autem à ſe; quicquid dicas, redargueris hæreticaliter. Septimo non placet, quia

Digitized by Google

Synopſis totius quæſtionis.

quia illud concretum principium *quo*, debet habere noſtro intelligendi modo ſuum abſtractum, & ſic habebit aliud principium *quo*, & aliam rationem agendi vt qua, fruſtra multiplicando entia ſine neceſſitate. Octauo non placet, quia imperſonalis Deus ille ſpirator per Fauentinum; non poteſt eſse productiuus perſonæ, ſicut neq; Deus eſsentialis, & imperſonalis productiuus eſse poteſt perſonæ. Nemo enim dat, quod non habet. Secus Pater produci potuiſset à diuina eſsentia, aut productus fuiſset à Deo eſsentiali, quia in Diuinis idem eſt, poſse, & eſse. Nono non placet, quia ſpirator ille Deus, neq; præciſe eſset Pater, neq; præciſe eſset Filius, ſed confuſe, & indeterminate eſset vtrumq; ex S. Th. p. p. q. 36 art. 4. ad 4. 5. & 6. At in Deo nihil poteſt eſse confuſum, ex ſymbolo Athanaſij. Decimo non placet Fauentinus, cui præſens contradixi Patauij, quia aduerſatur Sacræ Scripturæ Io 16. *Spiritus qui à Patre procedit. & Mittam vobis paraclitum à Patre.* A Patre inquam in vero, & proprio, ac rigoroſo ſenſu literali, ac formalitate Patris, qua Pater eſt, vt fuſius ſuo loco. Alio in modo dicitur Pater in humanis, quaſi *πατὴρ* *ſeu παῖδα τηρῶν*, ex Lexicon græco: atq; alio modo dicitur Pater Patris in diuinis a Pan & ter, ſeu tris, id eſt tris Pan Deus, ſeu Ter omne Deus, & omnipotens perſonaliter Deus, omniſq; perſonalis emanationis fons ingenitus, & à ſe, quod non poteſt percipere purus grammaticus Theologus, ſine cognitione aliqua græcanicæ Theologiæ, ſiue ſit ingenitus fons per generationem, ac ſpirationem ad intra, ſiue per creationem ad extra denominatione perſonali. Ad hanc autem omnipotentiam perſonalem à ſe, ſeu immediatam, & ingenitam, reſpiciens Chriſtus Io. 14. dixit, *Pater maior me eſt*, comparando fontalem & authenticam à ſe perſonam Patris, ad ſuam productam perſonam, ſeu perſonalitatem Filij, ac Spiritus ſancti, ac loquendo de omnipotentia perſonali ad intra (non de omnipotentia communi, & conſubſtantiali ad extra) verè dixit *Pater maior me eſt*, maioritate & omnipotentia perſonali, quæ eſt maioritas originis, quia ipſe ſolus Pater eſt omnipotens perſonaliter, a ſe ad intra, & ipſe ſolus eſt ſimpliciter principium primum authoritatiuum *quod*, ſeu Alpha & Omega, perſonale. nam Filius eſt principiatum principium *Per quod* (Io. 1.) omnia non implicantia, facta ſunt intelligibilia & à Patre producibilia per ipſum Filium, ac ad Patrem referibilia per eundem Filium, vt ſpecialiter ad Patrem refertur per Filium ipſe Spiritus ſanctus ex S. Th. p. p. q. 35. ar. 2. corp. § *Spiritus ſanctus non eſt imago Patris, quia non refertur immediate ad Patrem, niſi per Filium, &c.* Et ideo licet Filius & Spiritus ſanctus ſint idem omnipotens Deus ſubſtantiuè, ſeu conſubſtantialiter ad extra & in eſsentialibus; non ſunt tamen idem adiectiuè Deus omnipotens perſonaliter cum Patre, nam eſsent eadem Sabelliana perſona Patris, & ideo neq; filius generare poteſt cum Patre, neque Spiritus ſanctus ſpirare, ſeu generare poteſt vt *quod* perſonale cum Patre: quia hæ ſunt actiones perſonales, pertinentes ad perſonalem omnipotentiam fontalem, & authoritatiuam ſolius Patris vt *quod* immediatè, Filius enim ex S. Th. p. p. q. 36. ar. 2. & 3. ſpirat vt principiatum principium *per quod*, ſeu vt principium mediatum *per quod*, de immediato principio *quod*. Vndecimo non placet Fauentinus, quia in hoc aduerſatur Concilio Lugdunenſi, & cap. *Firmiter*, de Sum. Trin. & fid. Cath. ac Conc. Florentino, vbi de fide definitum eſt, Spiritum ſanctum procedere à Patre & Filio, tanquam vnico principio, quod non poteſt intelligi de vnico principio eſsentiali, & imperſonali, quia actiones perſonales ſecundum quod ipſum ad intra, ſunt diuinorum ſuppoſitorum, primaria, ac fontali denominatione nullo autem modo proximè & immediatè ſunt, neq; eſse poſsunt Diuinæ naturæ, ſeu eſsentiæ, ſeu eſsentialis & imperſonalis Dei. Vnde Concilium appoſuit illud (*tanquam ab vnico principio*) id eſt iuxta ſenſum SS. Patrum Græcorum reductiuè reſoluendo ad vnum principium perſonale paternum *quod*, à ſe ſpiratiuum. Vbi enim ſunt multa propter vnum: ibi finaliter & reſolutiue eſt vnum tantum, quicquid gratis, & falſo contradicat Fauentinus, ſumendo ly *Tanquam* non diminutiuè, & reductiuè; ſed identicè.

Pater Maior eſt omnipotentia perſonali.

Ly Tanquam vnico principio, ſumitur diminutiue, ſeu reductiuè ad vnum principium perſonale.

Vera

Vera eſt doctrina Fauentini contra Suarium, & Vaſchez.

Synopſis totius quæſtionis.

CAPVT 15.

PLacet hic expendere vltimo doctrinam eiuſdem Fauentini in 1.d.12.diſp.41.c.3. nu.10.vbi impugnat Caietanum, Suarium, & Vaſchez,circa proceſſionem Spiritus ſancti contendentes, quod ex ſua characteriſtica proprietate Spiritus ſanctus procedere debet a duabus diuinis perſonis, vt diſtinctæ ſunt.id confutat Fauentinus ibi ex abſurdis, quia tunc Pater non ſpiraret à ſe, ſed à Filio, à quo haberet talem perfectionem, ſeu tale complementum, ſeu ſaltem talem conditionem ſimpliciter, & abſolute neceſſariam ad ſpirandum. Cum tamen Scotus in 1. d.12. docte probet Filium per accidens negatiuè, ſeu concomitanter tantum creare reſpectu termini producti: ſic & per accidens negatiuè, ſeu concomitanter ſpirare per ſe, non vero à ſe. Quoniam accidit principio fœcundo, quod ſit in vno, vel in duplici ſuppoſito ſpiratiuo: non enim per hoc aliquod complementum requiſitū recipit à ſuppoſitis, vt ait ibi Fauent. §. *Pater ex productione Filij nihil acquirit, quod prius non habebat, neq; eſt intelligibile quod ait Caietanus & Suarius, quod ſecunda perſona addat ſolam conditionem requiſitam, ad principium* quod: *non vero addat perfectionem ſupra vnitatem perſonæ. Nam ſi duo principia* quod *requiruntur; ergo vnum non ſufficit. ergo illud vnum non habet omnia requiſita, & ita per additionem ſecundi ſuppoſiti ſit perfectum principium* quod, *& ſic Pater à Filio haberet actualem ſpirationem. Nam ſi non haberet Filium, non poſſet ſpirare per te, & habito Filio, poteſt ſpirare. ergo non habet à ſe, quod ſpiret actu. Sed ex productione Filij id habet. Vnde ſi Spiritus ſanctus ex ſua characteriſtica proprietate haberet, quod ſit à duobus, tunc ſaltem virtutem ſpiratiuam Pater non haberet à ſe, quia concurreret partialiter cum Filio, & à Filio haberet, vt partialiter concurreret. Cum tamen neq; formaliter, neq; effectiuè Pater aliquid habere poſſit à Filio, &c.* Et nu.13.idem confirmat, quia dualitas principij *quod*, ponit imperfectionem, & partialitatem concurſus in diuinis. Quando enim(ait ibi Fauentinus) vna cauſa ſine altera non poteſt producere effectum ſuum; ſed neceſſariò requirit aliam; illæ ſunt cauſæ partiales. Fruſtra enim fit per plura ex parte termini producti, quod fieri poteſt per pauciora. Secus eſt ex parte producentis, ex ſuppoſitione eiuſdem concomitantis virtutis, communicatæ pluribus ſuppoſitis, ante productionem termini, quorum vnum non poteſt exire in actum creandi, niſi alterum etiam ſuppoſitum exeat in eundem actum, vt ait ibi num.13.§ *Quarto principaliter arguit Scotus auctoritate S. Auguſtini 5.de Trin.c.14. ſicut Pater & Filius ſunt vnus Deus. & ad creaturam relatus, ſunt vnus creator et Dominus: ſic relatiue ad Spiritum ſanctum ſunt vnum principium. Sed ad creaturam relatus* Pater *& Filius ac Spiritus ſanctus ita ſunt vnum principium creaturarum, vt pluralitas non concurrat neceſſario, ſed per accidens negatiuè, ita & ad intra in productione Spiritus Sancti. Non ergo Spiritus ſanctus exigit ex ſua characterica proprietate, vt ſit a duobus. & licet duo ſpirent; id ſit quia inuenitur voluntas fœcunda in duobus, ante productum terminum. Quod ſi Spiritus ſanctus prius produceretur, quàm eſſet generatio Filij; tunc ſufficeret vnum principium* quod. *De facto itaq; Spiritus ſanctus eſt a duobus, ſed id non exigit Spiritus S. ſeu terminus* Ad quem: *licet id exigat terminus* A quo *quatenus de facto eadem virtus reperitur communicata pluribus ante productum terminum, quod per accidens eſt ipſi termino* Ad quem. &c. Hæc doctè, & recte ſentit Fauentinus. Sed reſponderi poſset pro Vaſchez, quem ibi impugnat idem Fauentinus, quod ſicut ex characterica proprietate Patris, eſt, vt ſecundum quod ipſum ſpiret, vt *quod*, & proprietate Filij eſt quod ſpiret vt Per *quod*: ergo pariter ex characterica proprietate Spiritus ſancti eſt, vt ſpiretur ab vtroq; tam ab immediato paterno principio *quod*; quam a mediato filiale principio *per quod*. Neq; valet paritas creationis, quia creatura eſt à tribus vt ſunt vnus, idemq; imperſonalis, & eſſentialis Deus creator, ſecundum quod ipſum, non vero vt ſunt diuinæ perſonæ, quæ ſecundario, & per accidens negatiuè creant, non vt reduplicatiuæ ſunt Pater, ſeu Filius, ſeu Spiritus ſanctus: è contra vero Pater reduplicatiue ſpirat, qua Pater eſt, &c.

Confirmatur quia ſi per impoſſibile Pater non ſpiraret, non eſset Pater. Pater enim

nim in diuinis dicit vniuerſale principium fontale *quod* quatenus eſt vniuerſalis plenitudo omnis perſonalis virtutis, ac emanationis ex S.Th p.p.q 34.ar.4. Ita & Filius niſi ſpiraret, mediatum principium *perquod*, non eſſet Filius, ſpiratiua enim proprietas noſtro imperfecto, inadæquatoq; concipiendi modo, intelligitur aduenire accidentaliter, ſeu vt proprietas Patri & Filio conſtitutis in perfecto eorum eſſe perſonali: ſed reuera non eſt ita nam talis characteriſtica proprietas eſt de intrinſeca conſtitutione Patris & Filij, præueniens eorum originem naturali ordine, vt fuſius probat Suarius de Trin.lib.5 cap.6 num.7. § *Ad reſpondendum autem fundamentis contrariæ ſententiæ duobus modis procedi poteſt. Prior, eſt defendendo hanc relationem ſpiratiuam non eſſe intelligendam, quo ad entitatem ſuam: vt reſultantem in Patre & Filio, ex productione, ſeu origine Spiritus S. ſed vt per ſe, & ex ſe conuenientẽ Patri, abſq; origine, & filio conuenientẽ per eius productionem, quod ſentiunt oẽs, qui putant relationem eſſe neceſſariam conditionem ex parte virtutis, ſeu actus ſpirandi. Indicat hoc Henricus, quodl.6 q.1. quatenus ait non poſſe dari in Deo rationem aduenientem perſonæ conſtitutæ, quia eſſet accidentaria. Ratio eſt non ſolum quia ſit neceſſaria conditio præuia ad productionem per voluntatem, (hoc enim eſt certiſſimum) ſed maximè quia Pater ex ſe habet omnem perfectionem realem, ſiue abſolutam, ſiue relatiuam, ſibi poſſibilem. Et ideo non expectat (vt ſic dicam) productionem Spiritus ſancti vt illam conſequatur. Sed potius præhabendo illam producit Spiritum ſanctum, tanquam terminum talis eius habitudinis, & iuxta hoc ruit fundamentum primæ ſententiæ, quia non eſt hæc merè reſultans relatio. Sic etiam optimè intelligitur quomodo hæc relatio præexiſtat in Patre, ac communicetur Filio, concomitanter cum diuinitate, quia non repugnat. Neq; obſtat quod hæc relatio ſit reſpectiua proprietas perſonæ Patris; & ideo nõ poſſit communicari. quia et illa habet ſuã infinitatem, & intimè includit Diuinam eſſentiam, ideoq; communicabilis eſt perſonis, cum quibus non habet oppoſitionem. Alio modo procedi poteſt intelligendo hanc ſpiratiuam relationem, vt reſultantem, poſita productione Spiritus ſancti: quia hæc reſultantia non eſt quo ad rem, (nota bene) ſed quo ad ſolam rationem noſtram, noſtrumq; modum intelligendi imperfectè inadæquateq; diuina myſteria*, &c. hæc rectè Suarius.

Synopſis totius quæſtionis.

Proprietas ſpiratiua non aduenit Patri & Filio, niſi ex imperfecto noſtro cõcipiẽdi modo, ſed reuera præuenit eorum conſtitutionem.

An Suarius, & Vaſchez ac Becanus introducant plura principia contra Sanctos Patres Græcos.

CAPVT 16.

POtuiſſet adhuc Fauentinus vrgere Suarium, & Vaſchez, ac Becanum de Trinitate, eo quod contra SS.Patres Græcos introducunt & defendunt plura principia, ſine vllo ordine, vel ſubordinatione. Nam volunt Patrem & Filium ex æquo eſſe immediatum principium in Trinitate, Patre generante per intellectum, ac Filio ſpirante per voluntatem. Vbi non ſolum eſt duplex perſonale principium *quod*: ſed etiam duplex formale principium *quo*, formaliter diſtinctum ex parte eſſentialis intellectus, ac voluntatis diuinæ: ac relatiter diſtinctum eſt (ex parte perſonalitatis formæ indiuiduantis) ſuppoſitum Patris, & ſoppoſitum filij. Quod tamen abſurdum effugiunt Sancti Patres Græci, dũ aiunt ſolum Patrẽ ſpirare vt ſimpliciter primum, ſeu vt ſimpliciter principium, *quod* ingenitũ & immediatum de non principio, quod à ſe eſt, eſſe debet, ac operari à ſe. Cuiuſmodi principium de fide eſt, quod neq; ſit, neq; eſſe poteſt filius, qui non eſt principium hoc; ſed potius eſt principiatum, ſeu mediatum principium à principio; ſeu principiatũ principiũ *per quod*, Io:1. Nullo autem modo eſt æque immediatum cum Patre principium perſonale, ſeu perſonale Alpha & Omega cum eodem Patre, ſine hæreſi Sabelliana, quicquid æquiuocando contradicat Becanus, ſeu Suarius & alij de Trin. vt fuſiùs ſuo loco. Concedit ergo S.Th.p.p. quæſt.36. ar.4. & Scotus in 1. d.12. quod ſi Pater eſſet in duobus ſuppoſitis, vel ſi haberet duplex ſuppoſitum, eſſet duplex principium ob duas formaliter tantum diſtinctas virtutes generandi & ſpirandi per intellectum & voluntatem quæ licet in Deo ſint vnum realiter, diſtinguntur tamen formaliter, & ſufficere docent hanc ſolam diſtinctionem formalem in Patre, ſi haberet duo ſuppoſita in qui-

Synopſis totius queſtionis.

bus formaliter diſtingueretur intellectus à volumtate. Ergo id multo magis concedere debet in Patre & Filio, nō ſolum reſpectum diſtinctarum formaliter virtutum, ſed etiam diſtinctarum formarum indiuidualium, ac diſtinctorum ſuppoſitorum. Pater enim Paternitate eſt Pater, non autem diuinitate eſt Pater ex Auguſtino 5. de Trin. cap 6. *Pater eo eſt Pater, quo et eſt Filius*. Generat enim Pater, non vt ſubſtantiue Deus per formam Deitatis, ſed, vt adiectiue Deus Pater, per ſuam indiuidualem proprietatē Paternitatis, Quā indiuidualem formā generare vt *quo*, docet S. Th. p. p. q. 40. art. 1. ad 3. § *Ad 3. dicendum quod actus notionales ſunt ſuppoſitum vt* quod (*proprietatum vero vt* quo) *proprietates enim perſonales non ſignificant vt ſuppoſita* (*ſeu vt quod*) *ſed ſignificant vt forma* (*ſeu vt quo*) quid clarius, quidve rectius dici poteſt per S. Thomā? Vel quis orthodoxus, rectiq; conſilij & acuminis, non videt quod ſi Pater diuinitate eſſet Pater: tunc etiam diuinitate generaret? & conſequenter verum eſſet Arianum dogma quod Pater generaret ſibi ſimile, ſicut generat omne Agens creatum; ac generaret realiter in natura diſtinctum & diuiſum, ſicut generat omne agens, vtrobiq; ipſa natura generantis concurrente, vt principio quo, in genere veræ cauſæ (dempta imperfectione) ſeu principij efficientis, quod nullo modo coincidere poteſt in vnitatem cauſæ ſeu principij formalis cum genito, ſed realiter diſtingui debet in generante ac genito? Confirmatur adhuc quia ideo Pater non generat Patrem, neq; fortes fortem ex S. Th. p. p. q. 41. art. 5. corp. quia generat paternitate, vt ſua eſt proprietas ſeu perſonalis forma in genere cauſæ ſeu efficientis principij quo, & ideo generat realiter diſtinctum. E contra vero generaret ſe Patrem, & ſe fortem, ſi in genere cauſæ formalis poneret in genito ſuam paternitatem, aut ſuam forteitatem. Ergo pariter in diuinis ſi Pater diuinitate generaret, in ratione cauſæ, ſeu principij formalis, tunc generaret identificatum ſibi in eadem numero communicata natura. E contra vero ſi Pater ſua diuina natura generaret, in ratione cauſæ ſeu principij efficientis *quo*, vt tu gratis, & falſo, ac erronee in fide fortaſſe contendis: tunc conſequenter verum eſſet tuum Arianum dogma, quod Pater non generaret filium in natura ſibi identificatum: ſed ſolum ſibi ſimile in natura, ſicut omne agens creatum: eſſetq; realiter diſtinctum, & diuiſum in natura, & introducto Ariano tuo Homoeuſion, excluderes catholicum meum Homouſion, ab vniuerſali eccleſia celebratum, vt fuſius infra.

Concludamus itaq; quod non datur, neq; dari poteſt quarta illa formalitas ſpiratoris, quæ neq; ſic formalitas Patris, neq; formalitas Filij; ſed ſit contradiſtincta ſpecie formalitas ſolius ſpiratoris, realiterq; ab ipſo Spiritu ſancto contradiſtincta. Quia per eandem ſuam realitatem, per quam relatiuè, & realiter diſtinguitur ab vna perſona Spiritus ſancti, realiter etiam diſtingueretur ab alia perſona Patris, ſeu Filij, quia omne realiter conſtitutiuum, eſt etiam realiter diſtinctiuum, ſaltem diſparate ex Scoto. Secus in Patre & Filio eſſe aliqua realitas relatiua per quā Pater à Spiritu ſancto realiter diſtinguatur; non autem a Filio: ſed potius per eandem relatiuam realitatem perſonalem, quia perſonalis eſt omnis relatio ſubſiſtens, identificetur cum perſona Filij, quæ eſt ipſiſſima hæreſis Sabellij confundentis perſonas diuinas. Nullo itaq; modo Pater per ſuam relatiuam realitatem diſtingui poteſt ab vna perſona, quin diſtinguatur ab omnibus alijs perſonis. quia omne conſtitutiuum, eſt etiam diſtinctiuum à quocunq; etiam diſparato, nedum relatiuo. Pater enim & Filius paternitate & Fliatione diſtinguuntur à Spirito ſancto: ſecus per parternitatem & filiationem identificarentur. quod eſt hæreticum. Neq; dicas quod in Deo omnes ſperificæ relationes, quæ inter ſe relatiue non opponuntur, ſint vna eademq; ſpecifica relatio. quia hoc ſuo loco falſum eſſe oſtendemus. quia ex Scoto ſufficit diſparata oppoſitio, & perſonæ diuinæ, (quæ ex Scoto non conſtituuntur relationibus, ſed abſolutis tranſcendentalibus, licet relationibus notificentur) prius naturali ordine, ſeu prius origine ſunt hypoſtaſes quam relatiuè operentur. Vnde ex Auguſtino perſona dicitur ad ſe, quia ſubſtantiam dicit Patris, ſeu filij ex S. Th. p. p. q. 29. ar. 4. ad 1.

Diuina perſona connotat materialiter relationem.

licet

Digitized by Google

licet materialiter connotare poſſit relationem. & ideo perſona non definitur ex additamento per ſuum correlatiuum, ſeu non participat definitionem relatiui; non enim perſona eſt ſui oppoſiti correlatiui perſona. Immo omnis perſona tranſit in eſſentiam, ſeu ſubſtantiam comparata ad naturam diuinam. Non ergo perſonæ diuinæ, vt hypoſtaſes ſunt, relatiuæ ſunt: nā ſunt dignitates, & tū falſum eſt quod oēs tres perſonæ, ſeu dignitates, vel tres ſubſiſtentię perſonales, vel omnia tranſundentalia perſonalia *Res, Ens, Vnum Bonum, Verum, Aliquod* (quæ abſtrahunt ab abſoluto & relatiuo) ſint vnum in Diuinis, eo quod non opponantur inter ſe relatiue. Quæ eſt deceptio bella, cuiuſdam Doctoris belli, ſeu potius non belli, nòn intelligentis illam S. Thomæ Maximam de Deo eſſentiali, in quo *Omnia ſunt vnum vbi (ideſt, quia ibi) nulla obuiat relationis oppoſitio*. Sed id intelligentis de Deo perſonali, contra mentem S. Thomæ. quod eſt erroneum in fide. quia in Deo perſonali ſufficit oppoſitio diſparata & abſoluta tranſundentaliter ex Scoto ad diſtinctionem realem. Vnde ex S. Th. p. p. q. 40. art. 4. corp. prius eſt eſſe perſonam, quam generare, vel ſpirare: ſicut prius eſt eſſe, quam operari; nam actus ſecundus præſupponit actum primum. Neq; dicas vltimo cum Torres de Trin. ad defendendam actionem Spiratoris imperſonalis, quod actiones perſonales ad intra non oportet quod ſint perſonæ; ſed ſatis eſt, quod ſint alicuius ſubſiſtentis imperſonalis, ſecundum quod ipſum, & primario efficientis, licet ſecundario, & per accidens negatiue ſubſiſtat in perſonis. Sicut enim (ais) Deus ſubſiſtens in perſonis creat, non tamen creat, vt Trinus, ſeu vt diſtinctus in perſonis eſt, ſed vt hic Deus eſſentialis eſt per ſe ſubſiſtens. Sic ſpirator (ais) licet ſubſiſtat in perſonis, non tamen ſpirat vt ſubſiſtens in perſonis diſtinctis, ſed vt vnus ſpirator eſt imperſonalis. Reſpondeo enim falſam eſſe paritatē, ſeu comparationem actuum eſſentialium (qui primario & ſecundum quod ipſum ſunt huius Dei imperſonalis; & eſſentialis, ad quod per accidens eſt quod hic Deus ſubſiſtat in tribus perſonis, ex S. Th. p. p. q. 36. art. 4. ad 7. & q. 45. art. 6. corp.) ad actus notionales, ſeu perſonales qui è contra, primario, & ſecundū quod ipſum, ſunt Diuinarum perſonarum: & nullo modo, neq; primario neq; ſecundario ſunt ipſius diuinæ eſſentiæ, ſeu huius Dei eſſentialis, & imperſonalis: licet ſubſiſtat in alijs ſuppoſitis. Subſiſtentia itaq; eſſentialis non tollit quin actus perſonales, ſeu notionales ſint ſuppoſitorum, ſecundum quod ipſum, ac primario, & nullo modo ſint huius eſſentiæ Diuinæ, ſeu huius Dei eſſentialis. Sic in Patre generante licet ſubſiſtat hic Deus eſſentialis, nihil tamen reali habitudine producit ex Suario de Trin. lib. 6. cap. 2. nu. 8. niſi ſola ratione. Ita etiam idem eſſentialis Deus licet ſubſiſtat in Patre & Filio ſpirantibus, nihil tamen reali habitudine producit in ſpirando; quia vt ſic Deus eſſentialis realiter diſtingueretur à perſona producta; nam inter producens & productum ſiue ad intra, ſiue ad extra, eſt diſtinctio realis. Non ergo ſubſiſtentia eſſentialis in vna ſola perſona generante, vel in duabus, vel in tribus perſonis ſpirantibus impedit quin actiones perſonales, ſint ſuppoſitorum, ſecundum quod ipſum, ac primaria denominatione. quia Deus eſſentialis, ſeu imperſonalis neq; vt *quo*, neq; vt *quod* efficienter aliquid ad intra, ſeu extra producere poteſt, quin ab ipſo res producta, ſeu perſona realiter diſtinguatur, ſiue vt *quo*, ſiue vt *quod*, ex Suario cit. de Trin. lib. 6. c. 2. num. 8. & oppoſitum eſt maxima proteruia Aduerſariorum, ac deceptio Fidelium.

Synopſis totius queſtionis.

Atque hæc dicta ſint ſub correctione Sanctæ Matris Eccleſiæ Romanæ, (quæ Caput eſt Totius Eccleſiæ Catholicæ) eiuſq; Pontificis Optimi, Maximi, VRBANI OCTAVI, cuius pedes deuotiſſimè complexos deoſculor: ac ſub cenſura Reuerendiſſimi Patris Nicolai de Ridolfis Generalis Magiſtri Dominicanorū, cum Doctiſſimo Patre Magiſtro Thoma Campanella de Stylo, vtriuſq; Calabriæ gloria & ornamento ſingulariſſimo, ac Præclariſſimo Patre Magiſtro Xātes Marialez & Patre Magiſtro Hiacynto Rizzo Meſſanenſi Dominicano Publico Lectore Sacræ Theologiæ Venetijs, dummodo Pater Monſtrum Riccardus Magiſter nunc Sacri Palatij Apoſtolici, Diſcipulus Græci Patris Ioannis Eudæmonis, ac Cariophili, & Ariudij, ac

Defen-

Digitized by Google

Synopſis totius queſtionis.

Defenſor Arcudiani Euclologij Pontificalis Cryptæ Ferratæ, non ſit Iudex in hac cauſa, ſed pars aduerſa, cum Cariophillo, & Arcudio adulteratis, contra quos omnes Catholice ſcripſi in hac materia, ac ſcribam, dum viuam. Nec non ſub cenſura Reuerendiſſimi Patris Ioannis Baptiſtæ de Lairino Vicarij Generalis Scotiſtarum, cum Patre Franciſco Maria Vaccario Metaphyſico & Regente Digniſſimo in Lyceo Patauino, & Patre Ioanne Paulo Querigli Lectore; ac Reuerendiſſimi Patris Theodori Stratij Cremonenſis Generalis Carmelitarum, eiuſque Patris Venturæ Pezo Magiſtri peritiſſimi: ac Reuerendiſſimi Generalis Auguſtinianorum Magiſtri Hieronymi Rigolij, cum Patre Paulo Lucchino de Piſauro Doctiſſimo Regente ſtudiorum Venetorum; ac Reuerendiſſimi Generalis Theatinorum Patris Don Matthæi Sanctomanco, cum eius Theologo Græco, nulliq; ſecundo, Patre Don Vincentio Riccardo, Nobili Neapolitano, Græcanicarum eiuſmodi quæſtionum inſtructiſſimo, & Zelātiſſimo Doctore: iure optimo à Santiſs. PAVLO V. electo Præſidēte, & Reformatore Græcorū Conciliorum, Romæ reformandorū: ac Reuerendiſſimi Patris Mutij Vitelleſchi Ieſuitarū Generalis Digniſſimi, cū meo olim lectore & Magiſtro Patre Terētio Vlgiato Ieſuita; ac Fre Ioanne de Vgo, Hiſpano Ieſuita Doctiſſimo; & Reuerendiſſimi Patris Iacobi Scholarij Veneti, Vicarij Generalis Ieſuatorum, cum eius Secretario Meritiſſimo, ac Theologo Præſtantiſſimo Patre Don Benedicto Zio, nec non Reuerendiſſimi Patris Hilarionis Rancati, Abbatis Sāctæ Crucis in Hieruſalem, & Illuſtriſſimi Ioannis Baptiſtæ Coccini, Sacræ Pœnitentiariæ Rectoris, ac Rotæ Romanæ Decani Digniſſimi, ac Illuſtriſſimi Archiepiſcopi Cretenſis Leonardi Mocenighi, Sacræ Theologiæ Peritiſſimi; ac Illuſtriſſimi Sebaſtiani Quirini Archiepiſcopi Paronaxiæ, & Illuſtriſſimi Ioannis Baptiſtæ Alterij, & Illuſtriſſimi eius fratris Æmilij Alterij, ſucceſiuè Epiſcoporum Camerini, ac Doctorum Præſtantiſſimorum; nec non Doctoris Victorelli, ac Theologi Don Pauli Motta Romani; ac Reuerendiſſimi Monialium Venetorum Vicarij Generalis Theologi Georgij Pollacchi, ac Reuerendiſſimi Theologi Franciſci Lazeroni, Vicarij Generalis Illuſtriſſimi Domini Marij Zen, Epiſcopi Turricenſis, ac Reuerendiſſimi Ioannis Pagnoni, iam Vicarij Capitularis, & Veneti Primocerij Meritiſſimi, & V.I.D. Ioannis Franciſci Bocinelli, omni humanarum, diuinarumq; literarum ſupellectile exornatiſſimi Viri, & Sacræ Theologiæ Peritiſſimi Doctoris Græci, Philippi Zibelletti; nec non Excellentiſſimi Doctoris Thomæ Frangini, & Acutiſſimi Doctoris Athenienſis Angeli, ex Nobiliſſima familia Boninzela, Totoq; Oriente notiſſima atq; Illuſtriſſima: ac Excellentiſſimi Doctoris Antonij Rocci Theologi & Publici Lectoris, ac Theologi Iacobi Magini ac Theologi Ioſeph Rinzioli publici Lectoris, & excellentiſſimi Doctoris Cotonei publici Lectoris Patauini &c. Sub Protectione Sereniſſimi Principis FRANCISCI ERIZZO, Totiuſq; Sereniſſimæ Reipublicæ præſertim verò Domini FRANCISCI MAVROCENI, & Domini SEBASTIANI VENIERII Procuratorum S.Marci, & Senatoris CAROLI RVZZINI pro Sereniſſima Republica contra hæreticam prauitatem INQVISITORIS Digniſſimi, ac Senatoris DOMINICI de MOLINA, Studiorum Vniuerſitatis Patauenſis TRIVMVIRI Ornatiſſimi, & IOANNIS BACEDONA Senatoris præſtantiſſimi, ac ANGELI CONTARENI, quondam Iulij, Equitis, & Senatoris præclariſſimi.

Finis Synopſeos.

Digitized by Google

VERA VTRIVSQ; ECCLESIÆ CONCORDIA

Circa proceſsionem Spiritus Sancti

Necnon obſeruationes obſcuri, & æquiuoci, ac alicubi mendoſi textus Concilij Florentini.

AVCTORE

IOANNE BAPTISTA CATVMSYRITO,

Italogræco Rhegyno, Sacræ Theologiæ Doctore.

CAPVT I.

PLacet nunc, ea quæ per ſynopſim, quaſi per tranſennam diximus, de proceſſione Spiritus sãcti à Patre, ſeu à ſolo Patre per Filium, iuxta doctrinam SS. Patrum Græcorum, quæq; ſummis labellis delibauimus tantum, fuſius eadem proſequi, atq; altius penetrare, ac materius examinare. Quod fiet ſi vnum præmiſerimus: nimirum textum hunc, qui circumfertur Concilij Florentini, ſatis obſcurum & alicubi in eſſentialibus doctrinis deprauatum apparere ab inuidis Latinæ dignitatis, ſapientiæ, ac præſtantiæ: quippe qui in odium Latinorum, validiſſima argumenta, rationeſque in ſolubiles pro Græcis expreſſerunt; & non niſi infimas rationes pro Latinis, & potius fugas, indignaſq; reſponſiones pro eis proditorie ſuppoſuerunt, cum maxima iniuria, ac dedecore Latinorum, ſummaq; gloria, & honore, ac victoria ſententiæ Græcorum, quod potius lacrymis, quam atramento, triſtibuſq; verbis refero. Licet fruſtra Romæ per Reuerendiſſimum Dominum Franciſcum Ingoli Digniſſimum Secretarium Congregationis de Propaganda fide, de hac re ſupplex memoriale dederim Eminentiſſimo Domino Cardinali Franciſco Barbarino, Sanctiſſimi Domini Noſtri Vrbani Octaui, Nepoti Meritiſſimo, tanquam Græcorum Protectori Vigilantiſſimo. Inducor autem ad hoc reuelandum, ipſamque falſitatem mendoſi huius textus Conſilij Florentini detegendam, ex zelo honoris & gloriæ noſtræ Sanctæ Matris Eccleſiæ Romanæ, ne pie decipiatur ex religioſo, ſanctoque nomine Oecumenici Concilij Florentini; ſed ex ipſa materia, ac diſputationibus, & ex; ipſis falſis ſuppoſitionibus, erroneiſq; doctrinis, ſatis præiudicantibus Catholicæ & Apoſtolicæ doctrinæ, atq; euangelicis dogmatibus Sanctorum Patrum, ſiue Græcorum ſiue Latinorum, agnoſcat veritatẽ, ac reijciat falſitatem, dicente Chriſto Domino, *Non poteſt arbor bona* (cuiuſmodi eſſe debet Sacrum Concilium Oecuminicum in Spiritu ſancto legitime congregatem, ac legitime in Spiritu ſancto celebratum) *malos fructus facere: neque arbor mala poteſt bonos fructus facere. A fructibus autem eorum* (ait inſuper) *cognoſcetis eos.* Græcorum itaq; verſipellium fraude factum eſſe ſuſpicor (atq; vtinam mentiar) vt pro legitimo, ac genuino, germanoque Concilij Florentini, textu, in lucem prodierit mendoſus hic, qui circumfertur textus,

tus, pluribus erroribus, atq; hæreſibus ſcatens, vt ex ipſa facti euidentia, fortiſſimiſq; Græcorum fundamentis, infirmiſq; Latinorum reſponſionibus, Græcorũ fraude confictis complicatiſq; ſingillatim infra conſtabit. Quare verum textum Concilij Florentini, eum eſſe mihi pro certo perſuadeo qui aſſeruatur Romæ in Bibliotheca Vaticana, quem ſuſcipio, veneror & admitto. Hunc vero, qui circumfertur, mendoſum in multis, & erroneum in fide textum tanquam catholicus Doctor, catholice reijcio, impugno, manifeſtæque hæreſeos arguo, & conuinco, ſub correctione tamen in omnibus & ſingulis ac ſub cenſura Sanctæ Matris Eccleſiæ Catholicæ Romanæ, omniũq. Eminentiſſimorum DD. Cardinalium Sancti officij & de propaganda fide, ſignanter vero Eminẽtiſſimi Domini Theologi Cardinalis de Cremona Deſiderij Scaglia, & Eminentiſſimi Domini Laudiuij Zachja Cardinalis Digniſſimi de Sancto Xyſto, omniumque Generalium Patrum cuiuſcumque Religionis, exceptis Ieſuitis & Patre Monſtro Magiſtro Sacri Palatij Apoſtolici ac Diſcipulo Patris Eudæmonis & Arcudij, ac Cariophylli meis aduerſarijs, contra quos in hac vita & in alia in tremendo die Iudicij ſemper catholicè pugnabo in hac materia, & in Sacramentis Arcudianis: hoc eſt Arcudiani ac Lutherici Euchologij Cryptæ Ferratæ, hæreticaliter in Italiam introductis, & Romæ defenſis, & armata quaſi manu a Ieſuitis Græcis ſuſtentatis contra me viginti annis. Et licet veritas odium pariat apud iniuſtos, & iniquos, impioſq; ac Satanicos Viros ſenſuales: confido tamen quod apud Principes Catholicos, ac Religioſiſſimos Eccleſiæ Sanctæ Cardinales, ne dũ apud Eminẽtiſſimum Dominum Cardinalem Barbarino, Græcorũ Protectorem, eiuſq; Patruum Sanctiſſimum Dominum Vrbanum Octauum, etiam contra ipſoſmet millies atteſtata veritas, non odium ſed amorem paritura ſit: neq: liuorem, ſeu vitæ inſidias moliatur, ſed gratiam, ac condignam remunerationem de iuſtitia diſtributiua ijs debitam, qui altari inſeruiunt, allatura ſit. Et quoniam iuſtè petentibus non eſt denegandus aſſenſus, de reg. iur. ideo alterutrũ peto, vt capite plectar ſi mendax fuero. E contra vero ſi expoſita omnia & ſingula verificauero, condignis, qui me de iure (non autem ex gratia) contingunt honoribus cohoneſter, dicente Chriſto Domino, *Gloriam meam alteri non dabo*, & Apoſtolo *Dignus eſt operarius mercede ſua, & qui altari inſeruit, de altari viuere debet.*

Ad honorem itaq; ac cautelam Sanctæ Matris Eccleſiæ Romanæ, ne turpiter decipiatur (quod abſit) admittendo adulterinum eiuſmodi textum Concilij Florentini, Græcorum fortaſſe dolo ſeu arte deprauatum, præmitto Catholica, validiſſimaq; fundamenta Græcorum, ac quaſi inſolubiles eorum rationes, circa proceſſionem Spiritus ſancti, à ſolo Patre fontaliter per Filium. Nec non infimas, infirmaſq; Latinorum reſponſiones à Græcis confictas, ac falſo ſuppoſitas, erroneaſq; in fide, ac indignas ſumma ſapientia, ſummaq; excellentia, & acumine Latinorum. Placet autem hic breuiter, & nude ac ſimpliciter referre ipſa argumenta Græcorum, quæ deinde ſuis locis applicata, inſolubilia eſſe conſtabũt: omniaq; Latinorum fundamenta euertent, vt conſtabit ex ſolutione argumentorum Ioannis Latini.

CAPVT. 2.

Generare & ſpirare ſunt actiones perſonales non vero eſſentiales.

Eſt itaq; primum firmiſſimum ac validiſſimum & inſolubile fundamentum & argumentum Græcorum ſeſſ. 23. quòd generare, & ſpirare proximè, & per ſe & ſecundum quod ipſum, ſunt actiones ſuppoſitorum, & Dei perſonalis, nullo autem modo proxime ſunt, neq; eſſe poſſunt actiones eſſentiales, ſeu Dei imperſonalis & eſſentialis, ratione præciſi ab ipſa perſona. Vnde Pater neq; generat, neq; ſpirat quà Deus eſt eſſentialiter, niſi qua Pater eſt: ac proinde nõ generat neq; ſpirat Deitate; ſed paternitate; quatenus Paternitas, eſt ſua perſonalitas, nã actiones ad intra, proximè ſunt ſuppoſitorum, ac diuinarũ ſuppoſitalitatũ noſtro intelligendi modo; quod millies inculcatur à Doctoribus, ac fuit ſuppoſitum & ſtatutũ in Conc. Florentino. Qua quidem Catholica veritate, & ortodoxa doctrina SS. Patrum Græcorum, nihil dici poteſt magis orthodoxum, ac magis catholicum. Si enim Pater generaret, ſeu ſpiraret vt Deus eſt; non vt Pater eſt; tunc generaret Deitate, & non paternitate.

Et

Digitized by Google

Et ſic perſona producta Filij, ſeu Spiritus ſancti, nō eſſet Deus, ſed realiter diſtinctus eſſet à Deo illo eſſentiali; reduplicatiuè, quatenus Deus eſt, generante, aut ſpirante: vt ex tali dato antecedente, recte ex neceſſaria conſequentia inferebant Arius, & Macedonius, neque in ea neceſſaria conſequentia condemnari poterant, quia inter producens & productum, ſemper eſt diſtinctio realis. Ergo ſi Pater producit vt Deus ſubſtantiuè; tunc Filius non erit idem ſubſtantiuè Deus; neq; Spiritus ſanctus erit idem ſubſtantiuè Deus cum Patre ſubſtantiue Deo producente; quæ eſt ipſiſſima hæreſis Ariana & Macedoniana ob datum tale antecedēs. Ecce primum validiſſimum fundamentum, ſeu argumentum Marci Epheſij, atq; inſolubilem obiectionem. Videamus nunc à Græcis, ſeu alijs Latinorum aduerſarijs vanas, exileſq; & infimas ſeu infirmas reſponſiones, falſo ſub nomine Ioannis Latini, confictas, expreſſaſq; apud mendoſum Concilij Florentini textum, idq; fraude & induſtria Græcorum, vt ſuſpicor. Cum enim erroneum ſit in fide, ſeu hæreticum ſit ſentire, & docere, quod Pater proxime generet, ſeu ſpiret, vt Deus ſubſtantiuè per ſuam naturam, ſeu eſſentiam ac Deitatē, & non vt Pater eſt, ac hypoſtaſis eſt, per ſuam perſonalitatem ſeu paternitatem; Græci tamen introduxerunt Ioannem Latinum, hanc hæreſim Arianam exſuſcitantem & docentem, nomine Totius Eccleſię Latinæ apud mēdosè conſcriptum ac adulteratum ab ipſis Græcis textum Concilij Florentini, qui in Latinum conuerſus nunc circumfertur, vt fuſius infra patebit. qui nullo modo eſſe poteſt ſenſus Sanctæ Matris Eccleſiæ Latinæ: eſt ergo ſenſus Aduerſariorum, ſeu hæreticorum ſub mentito prætextu genuini, veri, & legitimi Concilij Florentini, vt fuſius in obſeruatione ſingularum ſeſſionum.

Secundum inſolubile argumentum Græcorum, eſt in ſeſſ. 18 apud ipſum Conciliū Florentinum, quod nullo modo Spiritus ſanctus dici poteſt procedere à ſubſtantia Patris & Filij in genere cauſæ efficientis, vt *quo* (Cauſæ dixi, de more Græco, dempta ſemper omni imperfectione) ſiue ſubſtantia ſumatur pro perſona Patris, & Filij; ſiue pro eſsentia. Et euidens ratio inſolubilis hæc eſt, quia ſi dicatur Spiritus ſanctus procedere à ſubſtantia Patris & Filij tanquam vnico principio; vel hoc vnicum principium eſt perſonale: & ſic perſonæ confundentur, quod eſt hæreticum Sabellianum. Vel hoc vnicum principium erit eſſentiale (nam in Deo nihil aliud eſt, niſi perſona, & eſsentia.) & tunc erit error peior priore, nam hæc eſt hæreſis, & dihæreſis Ariana; ſequeretur enim quod eadem eſsentia diuina eſset cauſa & cauſata, ideſt reali habitudine productiua ſimul, & producta; ſiue enim producat vt *quo*, ſiue vt *quod* ſemper realiter diſtinguetur, vt patet ad extra; ergo ita pariter ad intra quia vtrobiq; concurrit in eodem genere cauſæ efficientis vt *quo*, ſeu vt *quod*. efficiēs autem cauſa, ſeu principium ſemper eſt extrinſecū, & nullo modo coincidere poteſt cum cauſa, ſeu principio formali. Et oppoſitum non ſolum eſt erroneum in fide, ſeu hæreticum: ſed etiam ſtultum, & inſanum in philoſophia, ne dum in Sacra Theologia. vt fuſius infra.

Tertium Græcorum argumentum, eſt ab authoritate SS. Patrum Græcorum, atq; inſolubile in ſuo genere. Inſtabat enim Marcus Epheſus ex authoritate Sancti Baſilij, docentis Spiritum Sanctum procedere à ſubſtantia Patris, & non aliunde, quod nullo alio modo intelligi poteſt efficienter, ſeu cauſaliter dempta imperfectione, niſi à perſona Patris, vnico principio perſonali, & non aliunde, ideſt non ab alia perſona tanquam vnico principio perſonale: neq; à duabus perſonis tanquam vnico principio perſonale Sabelliano. nullo autem modo intelligi poteſt Spiritus ſanctus cauſaliter, & efficienter procedere ab eſſentia, ſeu natura, & Deitate, ſine hæreſi, ac dihæreſi Ariana. Et oppoſitum eſt maxima proteruia Aduerſariorum, ac fidelium deceptio, & implanatio, ſeu illuſio paſſiua Eccleſiæ Romanæ.

Quartum inſolubile argumentum Græcorum eſt, quod in nullo alio ſenſu dici pōt Filius procedere à ſubſtantia Patris, neq; Spiritus ſanctus procedere à cōmuni ſubſtantia Patris & Filij, niſi intranſitiue & in ratione cauſæ ſeu principij formalis. Ita

vt idem ſit procedere ab eſſentia Diuina, quod conſtitui ſubſtantialiter & formaliter ex eadem ſubſtantia. ſeu eſſentia, & Deitate Patris, in ratione Dei ſubſtantialis ac ſubſtantiui, non autem Dei perſonalis & adiectiui. quod infra ita eſſe confirmabimus ex S.Th.p.p.q.41.ar.3.ad 2. Et oppoſitum eſt maxima proteruia Aduerſariorum, ac deceptio fidelium.

Quintum inſolubile argumentum Græcorum eſt, quod non poteſt dari aliquod principium eſſentiale, ſeu imperſonale, realiter productiuum ad intra, ſeu ad extra; in quo ſpirator Deus, & Pater, & Filius ſint vnum, non vero Spiritus ſanctus ſit Vnum cum illis, ſed ſit vnus. Nihil enim aliud eſſe poteſt Spiritus ſanctus cum Patre, & Filio ſeu ſpiratore, niſi vel vnus, vel vnum cum illis, quia in Deo, nihil aliud datur, niſi perſona vel eſſentia.

Sicut enim Filius eſt vnum cum Patre & Spiritu ſancto in principio eſſentiali, amoris eſſentialis, vel intelligentiæ eſſentialis, vel productionis creaturarum, &c. vnde hæreticum eſt ſentire & docere, quod Filius nō ſit vnum cum Patre in omni principio eſſentiali, ſiue ad intra, ſiue ad extra, ſiue vt *quo*, ſiue vt *quod* aliquid præſtet: ſic pariter erroneum eſt in fide ſentire & docere quod Spiritus ſanctus non ſit vnum cum Patre & Filio, in omni principio eſſentiali, ſiue ad intra, ſiue ad extra, contra hymnum illum Horæ Tertiæ, Sanctæ Matris Eccleſiæ, *Nunc ſancte nobis ſpiritus, Vnum Patri cum Filio, &c.*

Sextum inſolubile argumentum Græcorum eſt, quod non valet illa conſequentia: *Hoc eſt ab illo, ergo procedit ab illo.* quia multipliciter hoc dicitur eſſe ab illo, vt infra ex Scoto & S.Thoma confirmabimus. nam linea eſt à puncto. & generatio eſt à priuatione, ſeu corruptione, & tamen non accipit eſſe & eſſentiam ab illa. Vnde non valet Spiritus ſanctus, eſt à Filio, ergo procedit à Filio. plus enim infertur in conſequente, quàm fuerit conceſſum in antecedente. Nam procedere ab aliquo ad intra tanquam à primo, ſeu principio perſonali, eſt ſimpliciter & immediate eſſe ab illo fontaliter, tanquam ab ingenito principio, & negatiue primo ſuppoſito & Alpha & Omega perſonale cuiuſmodi neq; eſt, neq; eſſe poteſt Filius, qui eſt medium, ſeu intermedium ſuppoſitum, nullo autem modo eſt Primum ſeu immediatum, & ingenitum, ſeu principium hoc: idem eſt enim ex ipſomet gentile Ariſtotele 1. Poſt. cap. 2. Primum, & principium, vt fuſius infra.

Septimum inſolubile argumentum Græcorum eſt quod quoniam generare & ſpirare ſunt actiones perſonales quæ fieri debent proximè à principio perſonali: non vero ſunt, neq; eſſe poſſunt proximè ipſius eſsentiæ diuinæ; & ideo eſsentia Diuina nullo pacto concurrit, neq; concurrere poteſt proxime in genere cauſæ ſeu principij efficientis, neq; vt *quo* neq; vt *quod*: ſed ſola perſona Patris per ſuam perſonalitatem reali habitudine productiua producit Filium, ſeu Spiritum ſanctum & oppoſitum eſt Arianum, ac maxima deceptio fidelium, & illuſio paſſiua Eccleſiæ Romanæ.

Octauum inſolubile argumentum Græcorum eſt, quod non valet illa paritas vnici principij eſſentialis ad extra, ad introducendum vnicum principium perſonale ac Sabellianum ad intra: dicendo, *Pater & Filius ſunt vnum, idemq; principium eſſentiale, ſeu vnus idemq; eſſentialiter creator Deus: ergo* pariter ſunt vnus, idemq; perſonaliter ſpirator Deus.

Nonum inſolubile argumentum Græcorum eſt, quod ſola perſona diuina principium ſimul & cauſa extrinſeca (dempta imperfectione) dici poteſt ad intra, Diuina vero ſubſtantia ſolum principium dici poteſt in genere formali & intrinſeco. Nam cauſa efficiens ſemper eſt extrinſeca, & nunquam coincidere poteſt cum intrinſeco principio formali; neq; abſtrahere poteſt a reali habitudine productiua. Nullo ergo modo diuina eſſentia productiua eſſe poteſt ad intra, neq; vt *quo* neq; vt *quod*, non itaq; Pater generat Deitate, ſeu Diuina eſſentia, vt *quo*, quia non generat vt Deus eſt, ſed generat Paternitate, vt Pater eſt.

Decimum inſolubile argumentum Græcorum eſt, quod ſolus Pater eſt fons, & princi-

Digitized by Google

principium perſonale ad intra,& extra: in quo nullo modo communicare poteſt cum Filio. quin communicet cum Sabelliana perſona & perſonalitate. Vnde erroneum eſt in fide ac præiudicat dignitati & authoritati Patris, ſentire & docere quod Filius ad intra ſit vnum, idemq; perſonale principium, quod eſt Pater. Quæ eſt ipſiſſima hæreſis Sabelliana.

Vndecimum inſolubile argumentum Græcorum eſt, quòd Spiritus ſanctus verè procedit a Patre, qua pater eſt in Diuinis, & oppoſitum eſt expreſſe contra Sacram Scripturam Io: 15. *Spiritus ſanctus qui à Patre procedit*: ergo non poteſt procedere à non Patre, ſeu à Patre qua eſt non Pater. & oppoſitum eſt erroneum: non enim eodē modo dicitur Pater, in humanis, & in Diuinis. Confirmatur ex euangelico textu Matth. vlt. vbi ordo naturæ, ſeu originis diuinæ in fidei profeſſione explicita præſcribitur *Baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti*. Vbi eſt de fide ordinem naturæ eſſe inter Patrem, & Filium & Spiritum ſanctum, qua in ſenſu literali vero, & proprio, tales ſunt & Io. 16. Spiritus ſanctus quem mittet Pater in nomine meo, annunciando & manifeſtando. Nomen autem Filij, ſeu Verbi, non eſt nomen ſpiratoris: ſicut neq; nomen Patris eſt nomen ſpiratoris.

Duodecimum inſolubile argumentum Græcorum eſt, quod non datur, neq; dari poteſt quarta illa formalitas ſpiratoris Dei, quin ſit quartus relatiue Deus, realiter contradiſtinctus à Spiritu S. ac ab omni alia formalitate. Immo quin ſit quarta perſona. Nā actiones perſonales ad intra, per ſe & ſecundū qđ ipſū ac primario ſunt ſuppoſitorū, ſicut actiones ad extra ſecūdario & vlt. denominatione ſunt ſuppoſitorum.

Decimū tertium inſolubile argumētum Græcorū eſt, quod dantur duo principia perſonalia, ſi dicatur Spiritus ſanctus ex æquo principaliter & immediate procedere à Patre, & a Filio ideſt à perſonali principio Patris, ac perſonali principio Filij, quæ correlatiua ſpecie realiter diſtingouuntur ſicut & ipſæ perſonæ diuinæ.

Decimum quartum inſolubile argumentum eſt, quod non valet illa paritas principij naturalis: *Vnumquodque agens producit ſibi ſimile in ſuppoſito, & in forma, qua agit; non autē producere poteſt ſibi idem, ſeu identificatum: ergo idem dicendū eſt in diuinis quod Deus producat ſibi ſimile in ſuppoſito, & in forma Deitatis, qua generat, ſeu ſpirat, vt quo.* Falſū & erroneū eſt enim tale argumētum, ſeu Arianum. quia Agens creatum generat ſibi ſimile, ſeu Homoeuſion; at Agens diuinum non poteſt generare ſibi ſimile, cum reali relatione ſimilitudinis in diuinis, ſicut in creatis; niſi ſimile in perſona & idem in natura.

Decimum quintum inſolubile argumentum Græcorum eſt, quòd non valet illa paritas naturæ creatæ & increatæ, quòd ſicut Omne agens creatum generat vt *quod*, & eius natura, generat vt *quo*; ita in diuinis. Quod eſt hæreticum, & Arianum, Quia quod generat, ſeu ſpirat vt *quo* efficienter, ſeu cauſaliter (dempta imperfectione) ſemper diſtinguitur realiter à perſona producta; & nunquam communicari poteſt idem numero, quin ſimul ſit cauſa & cauſatum, ac producens & productum, quod implicat. Nam proxime producens vt *quo*, ſeu *quod*, eſt cauſa extrinſeca.

Decimumſextum inſolubile argumentum Græcorum eſt, quod nemini licet contra mentem, ac ſenſum, & doctrinam SS. Patrum Græcorum addere in græco ſymbolo ſine incurſione anathematis, latæ ſententię in Concilio Epheſino fulminati. Vnde nullo modo excuſari poſſunt a tali anathemate Concilij Epheſini illi latini qui cōtra mentem & doctrinam SS. Patrum Grecorum addere volunt ſymbolo ly Filioq;

Decimumſeptimum inſolubile argumentum Græcorum eſt quod nihil produci poteſt ad intra, ſeu ad extra Deitate vt *quo* cauſaliter, quin illud idem producatur à Deo eſſentiali vt *quod*, idem eſt enim realiter & formaliter Deus eſſentialis & hæc Diuina eſſentia, quia in Deo eſſentiali non eſt *quo* & *quod*, neq; abſtractum & concretum ex S. Th. p. p. q. 29. art. 4. ad 1. niſi noſtro imperfecto concipiendi modo, qui non ſufficit ad formaliter diſtinguendum. quod non eſt formaliter diſtinctum.

Decimumoctauum inſolubile argumentum Græcorum eſt, quod nullo modo Filius, neque Spiritus ſanctus procedere poteſt ab eſſentia Diuina, cauſaliter vt quo,

quin

quin procedat à ſe ipſis, vt *quo*, in genere cauſæ ſeu principij efficientis *quo*, quæ eſt ipſiſſima hæreſis, ac dihæreſis Ariana. Quod enim vere eſt cauſa dempta imperfectione, ſeu quod reali habitudine eſt productiuum perſonæ, ſemper eſt cauſa extrinſeca & extrinſecum principium. neq; poteſt idem numero communicari, quando eſt cauſa extrinſeca, quia ſimul eſſet cauſa extrinſeca, & cauſatum intrinſecum, ſeu formale. quod implicat, ac diuideretur à ſe ipſo, ac ſe ipſum præſupponeret, antequã eſſet, &c. Quæ omnia & ſingula doctrinis SS. Patrum Græcorum contraria ſunt, & Ariana ſunt, atq; indigna quæ defenſa & celebrata, & armata quaſi manu ſuſtentata fuerint contra Sanctos Patres Græcos a celeberrimo illo, ac Sapientiſſimo Ioanne Latino nomine Sanctæ Matris Eccleſiæ Romanæ, ſacro approbante Cõcilio Oecumenico. Et ideo piè, & ſatis orthodoxè putandum eſt hunc, qui circumfertur, textum Concilij Florentini hæreticaliter deprauatum fuiſſe, ac ſub mentito nomine Latini illius Ioannis Sapientiſſimi introductam eſſe doctrinam hanc erroneam in fide, ſatiſq; infimam, & infirmam, ſeu vanam, ad tot fortiſſima & inſolubilia argumenta Græcorum. quod fraude græca eueniſſe ſuſpicamur, ad odium Latinorum, vt eos hæreticos eſſe ſeu hæreticaliter errare probarent in doctrina hac; & materia Sanctiſſimæ Trinitatis & ideo recurrendum eſt ad germanum autographum originale exẽplar Concilij Florentini, quod Romæ aſſeruatur in Bibliotheca Vaticana. omiſſo ſeu reiecto hoc mendoſo Concilio communi. Vnde ad huius rei euidentiam obſeruare, atq; examinare placet omnes fere ſeſſiones mendoſi huius Concilij Florentini. quod vulgariter circumfertur, vt conſtet quam apertè & manifeſtè ſint falſæ & erroneæ doctrinæ in fide Catholica, contra omnia hæc ſolidiſſima fundamenta, atq; inſolubilia argumenta SS. Patrum Græcorum: vt propterea ab hereticis adulterata putanda ſit hæc quæ circumfertur ſynodus Florentina, ſub mentito, indignoq; nomine Sanctæ matris Eccleſię Romanæ, ac illius Excellentiſſimi, ſapientiſſimiq; Theologi Ioannis Latini, defenſa, declarata, ac definita. necnon vt propterea recurrendum ſit ad veram, germanamq; atq; illibatam Florentinam ſynodum, autographam, & archetypum eius exemplar originale, quod aſſeruatur Romæ in Bibliotheca Vaticana.

Obſeruatio ſeſſionis decima quinta Concilij Florentini. Cap. 3.

Obſeruatio ſeſſionis 15.

IN primis ſi ſpectetur penultima ſeſſio celebrata Ferrariæ, quæ eſt ſeſſio 15. ibi nõ niſi pia mens Græcorum apparet, de ſeruando decreto, ac anathemate Concilij Epheſini, hoc eſt de nihil addendo contra mentem, ſenſum, & doctrinam Sanctorum Patrum Græcorum, eiuſdemq; Epheſini Concilij; licet enim doctrinæ SS. Patrum, Græcorum aliqua explicatio fieri ſemper poſſit authoritate Eccleſiæ Catholicæ, imminente aliqua hæreſi in contrarium: nunquam tamen additio fieri poteſt contra mentem, ſenſum, & doctrinam eiuſdem Concilij Oecumenici, ſanctorumque Patrũ Græcorum, ſine incurſione anathematis latæ ſententię fulminati in Oecumenica Synodo Epheſina. quod effugere non poſſunt ij Latini, qui nomine Eccleſiæ Romanæ, gratis & falſo, apud mendoſum textum adulterati Concilij Florentini, introducuntur contendere contra mentem, ſenſum, & doctrinam SS. Patrum Græcorum, quod facienda eſt illa additio *Filioq;* ita vt Pater & Filius ſint vnum principium, Spiritus ſancti productiuum, quod Græci pluſquam hæreticum eſſe contendunt, quia principium ad intra, perſonale eſſe debet. Vnde duæ perſonæ nullomodo eſſe poſſunt ad intra, vnum hoc principium perſonale, ſine hæreſi Sabelliana, plurium perſonarum confuſiuâ in vnam, ſeu in vnicum principium perſonale. Sic autem inſtãt

Marci Epheſij obſecratio pro reſtitutione ſymboli fidei.

ſupplex maiori quo poteſt zelo, & charitate Marcus Epheſus ſeſſ. 15. §. *Symbolum illud noſtrum Præſtantiſſimi Patres, quod vt optimum depoſitum à Patribus noſtris in noſtra Imperatrice ciuitate ſuſcepiſtis à vobis tale repetimus, quale vobis traditum eſt. non ne quiſq; depoſitum, ſibi creditum reddere tenetur? Patrium igitur depoſitum nobis, vt dictum eſt, reſtituite: quod quia perfectum eſt, idcirco diminutione, vel additione non indiget: qui quidem*

Patres

Patres noſtri eos reprobauere procul dubio: qui contra ſymbolum ipſum quicquam innouaſſent: alios vero pœna grauiſſima affecere, qui aliud ſymbolum feciſſent. Quod ſi vnius ac ſolius dictionis additio parum refert, ac parum de ea ratio debet haberi, ablata igitur, parum vel nihil prorſus nocebit. Immo certe plurimum prodeſſet. Nam ea ratione cuncti Chriſticolæ dubio procul coniungerentur: ſic etiam amicos vobis coniunctiſſimos faceretis, qui veſtram mutuam amicitiam magnifacerent, & excolerent. Vos igitur ò Patres, & Fratres Reuerendi Domini noſtri, vt ſæpe numero fecimus, ita etiam nunc per viſcera Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui nos peccatores, ac perditos mortales dilexit, & animam ſuam pro nobis dedit, rogamus ac obſecramus, vt pacem optimam, & ſummam inter nos, ſanctoſq; Patres noſtros coniunctionem faciamus. qua quidem cum fuimus coniuncti, cum idem omnes volebamus, ac idem ſentiebamus, & nullum inter nos diſſidium erat. Coniungamur obſecro, tanquam fratres, veneremur Maiores noſtros, definitionibus ac decretis ipſorum plurimum honorem habeamus, eorundem minas & pœnas, atq; anathematiſmos vereamur. Ipſorum deniq; traditiones ſeruemus, cuſtodiamus, excolamus; vt vno corde, ac vno ore Patris, & Filij ſanctiq; Spiritus nomen digniſſimum celebremus, & glorificemus nunc, & ſemper, & in ſæcula ſæculorum. Amen. Ecce humillimam rogationem Marci Epheſij, omne maiori charitate pleniſſimam pro concordia vtriuſq; Eccleſiæ, circa proceſſionem Spiritus ſancti, iuxta mentem doctrinam, & ſenſum SS. Patrum Græcorum, ac pro remotione petræ ſcandali, ſeu illius additionis *Filioq;* contra doctrinam SS. Patrum Græcorum, ac contra definitionem Concilij Epheſini, ſymbolo Græco, tanquam à Græcis accepto depoſito ſuperinductæ. Et tamen in eadem ſeſſione 15. Iulius Cardinalis ſtrenuè reſtitiſſe fingitur ipſi Epheſio, eiuſq; doctrinam omnem Catholicam SS. Patrum Græcorum reieciſſe ſemper ac impugnaſſe nomine Totius Eccleſiæ Romanæ, quod quia erroneum eſt in fide, ideo ab hæreticis, ſeu ab Aduerſarijs in odium & æternum dedecus ac improperium Eccleſię Romanę factum fuiſse ſuſpicandum, ac pie credendum eſt, & totum oppoſitum contineri in germano Concilio Florentino quod aſſeruatur Romæ in Bibliotheca Vaticana. Sed omiſsa ſeſs. 16. & 17. quia nihil diſcuſſionis continent, obſeruemus ſeſſionem decimam octauam.

Obſeruatio ſeſſ. 18. apud mendoſum textum Concilij Florentini. Cap. 4.

Petijt in principio ſeſſionis Ioannes Latinus, An ſit proceſſio in diuinis; Marcus vero orthodoxe reſpondit, dari maxime proprie proceſſionem in Spiritus ſancti productione; nam proceſſio Filij à Patre, ſatis communiter dicitur proceſſio, cum proprie ſit, & dicatur generatio. Secundo petijt Ioannes Latinus § *Cum in diuinis perſonis nihil aliud ſit niſi eſſentia, & proprietas, ac relatio; ex te quæro, quidnam hæc verba ſignificant, cum dicimus (Proceſſio eſt eſſentia in diuina perſona?) num eſſentiam ſignificat, vel proprietatem ab altero accipere? Proceſſio namq; videtur eſſe via ab vno in aliud, & eſſentialis exiſtit, quæ quidem a Patre accipitur. Et quoniam ipſi credimus accipere eſſentiam, & ex Filio eſſe, idem ſignificare; idcirco velim ex te ſcire, an vos etiam ita ſentiatis.*

Obiect. prima Ioannis Latini.

Ecce contradictionem; ait enim primo quod, *Proceſſio eſt via ab vno in aliud.* & item ait ſecundo. *Proceſſio eſt eſſentia in diuina perſona.* Vbi falſum eſt preſentire quod ipſa diuina eſsentia procedit in diuina perſona: actiones enim ſunt ſuppoſitorum. quod eſt axioma millies repetitum inter Theologos, & confirmatum in Concilio Florentino, non itaq; ipſa diuina eſsentia procedit ab aliquo, quia proceſſio dicit diſtinctionem realem ab illo, à quo procedit, & ſic realiter diſtingueretur ipſa diuina eſsentia ab eo, à quo procedit. quod eſt hæreticum.

Elenchus primus.

Elenchus ſecundus.

Secundo ait quod, *Proceſſio eſt via ab vno in aliud.* Sed in Trinitate non eſt *aliud*, ſed ſolum eſt via ab vno in *alium*. Et oppoſitum eſt hæreticum & Arianum: ex ſymbolo Athanaſij, *Alius eſt Pater, alius eſt Filius, alius Spiritus ſanctus:* non tamen eſt *aliud*. Tertiò proceſſio non eſt eſsentialis, ſed perſonalis qua vna perſona procedit ab alia, ac realiter ab illa diſtinguitur. nil autem eſsentiale procedere poteſt, quia realiter diſtin-

Elenchus tertius.

Digitized by Google

ſtingueretur ab eo, à quo procedit. Communicatur ergo eſsentia, non vero procedit. Ex verbis autem inordinatè prolatis incurritur hæreſis, ex Hieronymo; vt teſtatur S.Th.p.p.q.31.a.2.corp. §. *Reſpondeo dicendum, quòd quia ex verbis inordinatè prolatis incurritur hæreſis, vt Hieron. dicit; ideo cum de Trinitate loquimur, cum cautela & modeſtia eſt agendum, quia ex Auguſtino 1. de Trin. nec periculoſius alicubi erratur; nec laborioſius aliquid quæritur; nec fructuoſius aliquid inuenitur, &c.* hæc S. Thomas.

Obſeruatio ſeſſionis decimæ octauæ mendoſi Concilij Florentini.

Reſponſio orthodoxa Marci Epheſij.

OBſeruemus nunc orthodoxam doctrinam, atq; orthodoxam reſponſionẽ Marci Epheſij §. *eam intelligo proceſſionem eſſe, qua Spiritus ſanctus à Patre accipit eſſe, ac illud totum quo eſt quoque proprie Spiritus ſanctus nuncupatur*, &c. quid rectius dici potuit? non dixit autem proceſſionem eſſe qua Spiritus ſanctus accipit eſſe à Filio: ſed qua Spiritus ſanctus à ſolo Patre accipit eſſe, tanquam à ſolo perſonali Alpha, & Omega Trinitatis: nam *procedere* eſt fontaliter habere eſſe ab aliquo negatiue Primo, ſeu ſimpliciter principio perſonali, deducitur enim a ly *Pro* ideſt πρῶτον, ſeu ab aliquo *Primo* negatiuè *cedere* & eſſe fontaliter, & ingenitè, vt fuſius infra.

Ad hoc orthodoxum ſatis reſponſum Marci Epheſi, obſeruemus quid obijciat Ioannes Latinus, ibidem immediate §. *Magno equidem gaudio afficior, quod hanc ex te concluſionem habuerim, Spiritum ſanctum ex Patre accipere eſſe, ac ex ipſo procedere idem ſignificare. Nam ſi Spiritus ſanctus ex quo eſſe accipit, ex eodem procedit: accipit autem etiam eſſe, ex filioq; ergo ex Filioq; neceſſario procedit, iuxta præcipuam, propriamq; proceſſionis ſignificationem, quam ipſi paulo ante conceſſiſſe videmini, &c.* Ad quod dictum Ioannis Latini ita reſpondit ibidem Marcus Epheſus §. *Vnde obſecro id habetis? Nos enim hoc non concedimus.* quid clarius?

Inſtantia ſecunda Ioannis Latini.

Ecce quomodo Marcus Epheſus recte conuincit mendacij ipſum Ioannem quia nihil amplius conceſſit ſuperius ſignificare proceſſionem niſi ipſum productiuum fontale principium ingenitum ſolius Patris, tanquam ab ipſo Alpha, & Omega, ac ſimpliciter, & negatiuè Primo, ſeu principio perſonale totius Trinitatis. Et hoc non obſtante ipſe Ioannes Latinus totum oppoſitum ſibi fingit & inſtat conceſſum fuiſſe. quod ipſe ſupponebat ne dum docebat, & aſſeuerabat, contra doctrinam SS. Patrum Græcorum, & ipſius Marci Epheſi. Neq; Marcus Epheſus concedere potuiſſet quod eſſe à Filio, ſit procedere ab aliquo: tanquam à Primo, ſeu tanquam à principio perſonali ſine hæreſi. ſeu errore in fide Catholica: quia, procedere proprie & vniuocè, eſt procedere ab aliquo fontaliter, & immediate; tanquam à principio perſonali. Impropriè vero, & æquiuocè eſt procedere ab aliquo ſiue principaliter & immediate, ſiue minus principaliter ac mediatè. Sic calor in ligno non ſolum procedit ab igne ſed etiam à calefactione & calore inſtrumentali ignis. Vnde ignitio non ſolum habetur immediate ab igne ſed etiam mediatè à calore; In æquiuocis vero non eſt conſequentia vt docet Scotus in Logicis cap. *de Æquiuocis*, Hæreticum fuiſſet ergo concedere Latinis quod mediate eſſe à Filio, ſit immediate procedere à Filio, tanquam à principio perſonali, ſicut immediate proceditur à Patre: tanquam à Primo, quia darentur duo Prima, correlatiua ſpecie differentia; & duo principia perſonalia in diuinis. Principium enim ad intra perſonale eſſe debet & nullo modo imperſonale, vt fuſius ſuo loco. Vnde ſolus Pater eſt principium, quia eſt ingenitus. Filius vero non eſt principium, quia eſſet Primum in Trinitate & oppoſitum hæreticum eſſe infra conſtabit. quod nunc ſuppono.

Elenchus 4.

Inſtantia prima Marci Epheſij contra Ioannem Latinum.

Vnde recte ibidem inſurgit Marcus Epheſius contra fictum illum Ioannem Latinum §. *Id non probaſti Pater Reuerende, quod nobis fuiſti pollicitus, ſcilicet Spiritum ſanctum; à Filio accipere eſſe. Non enim ſequitur neceſſario. ſi Spiritus ſanctus ex Patre Filioq; eſt, vt ab ipſius etiam habeat eſſe. quandoquidem quicquam ex alio eſſe multis modis, ſeu æquiuocè dicitur; ita vt minimè neceſſe ſit, vt omne quod ex alio eſt, ab ipſo etiam habeat eſſe. ſic illud*

Elenchus 5. Quid ſit ly de meo accipiet.

Euan-

Euangelij, De meo accipiet & annunciabit vobis, id annunciabit, quod accipiet. eſt ergo Spiritus ſanctus a Filio, ideſt illi eſt conſubſtantialis, & hoc annunciabit vobis; quam mihi ſententiam, à Cyrillo & Ioanne Chryſoſtomo ſumpſi. Nam hic illud (De meo accipiet) declarans, de mea inquit intelligentia, qua dictis meis conuenientia nunciabit. Ille in Theſauris inquit, Non enim Filius ſuam, Patriſq; differentiam declarare volens, dixit De meo accipiet, & annunciabit vobis: Verum quod ſanctus Spiritus verbis eius vtetur, qui quidem quoniam eiuſdem naturæ ac ſubſtantiæ eſt cum filio: iccirco aquè ac ipſe filius operatur, ac loquitur, &c. & §. eſſe ab alio, aliquando idem eſt, ac accipere eſſe ab illo, vt in creatione (tanquã à Primo nimirum, ſeu tanquam à principio) ſed communiter id verum non eſt. Quid rectius dici poteſt à Marco Epheſio? Linea enim eſt à puncto; & generatio eſt à priuatione; & calefactio, ſeu combuſtio ligni eſt à calore, non tamen eſt ab eo tanquam à Primo, ſeu principio immediato, ſed mediate & inſtrumentaliter: vnde neq; procedit ab ipſo immediate & principialiter, ſeu fontaliter. Et quamuis exempla non valeant in omnibus, tamen ad oſtendendam falſitatem doctrinæ Ioannis Latini adulterati ſufficiunt. Sic ex S. Th p.p.q.45.ar.6.corp. Solus Pater eſt, & dicitur perſonale principium creationis, per Filium, & per Spiritum ſanctum, ex ſymbolo Niceno, *Credo in Deum, Patrem omnipotẽtẽ, creatorem cœli & terræ, & in Ieſum Chriſtum, per quem facta ſunt omnia*. & p.p.q.39.ar.8. probat S. Thomas quod ly *Per Filium*, non eſt appropriatum Filij ſed eſt proprium ipſius Filij Io: 1. *Omnia enim per ipſum Verbum facta ſunt* a Patre, tanquam vnico & ſolo principio perſonali, ſeu vnico & ſolo Alpha & Omega perſonali; cui primaria denominatione competit eſſe perſonale principium creationis, concomitanter creante, ſicut & concomitanter ſpirante Filio, non autem principium eſt perſonale, ex Scoto in 1.d.11.& 12. Si enim Filius eſt medium, ſeu intermedium ſuppoſitum, inter duo extrema, qui fieri poteſt, vt ſit Primum? quæ mens deprauata capere poteſt, vt ſit principium perſonale, quod non eſt principium, ſeu potius quod eſt principiatum, ſeu eſt à principio perſonali? Nõ valet itaq; illa ratiocinatio Ioannis Latini, *Spiritus ſanctus eſt à Filio*, ergo procedit ab eo, tanquam vnico principio perſonali. quia eſſe ab alio, æquiuocum eſt vt recte ait Marcus Epheſius. quam Catholicam doctrinam ſumpſit 1. ex Scoto in 1.d.12.q.1.§ *In iſta quaſtione dicuntur Græci diſcordare à Latinis. Sed ſi forte duo ſapientes, vnus Græcus, alter Latinus, vterq; verus amator veritatis, & non propriæ dictionis, de hac viſa contrarietate diſquirerent, pateret vtique tandem, ipſam contrarietatem non eſſe veraciter realem, ſicut eſt vocalis. Veriſimile igitur eſt, quod non ſubeſt contrarijs verbis contrariorum ſanctorum ſententia diſcors. Multipliciter enim dicitur, ſicut hoc eſſe huius; ſic hoc eſſe ex illo, vel ab illo; qua multiplicitate ſeu æquiuocatione forte intellecta, & diſtincta, pateret quod contrariorum verborum non eſt diſcors ſententia. &c.* Ecce ſubtiliſſimam doctrinam Scoti circa æquiuocationem habitudinis & ſignificationis, caſus genitiui, ſeu ablatiui. Vnde recte ait Marcus Epheſius, quod non ſequitur *Hoc eſt illius, ergo procedit ab illo, tanquam à Primo, ſeu a principio perſonali.*

Secundo eandem orthodoxam hanc doctrinam ſuam Marcus Epheſus deſumpſit à S. Thoma p.p. q.38. art. 1. ad 1. §. *Hoc eſſe huius dicitur multipliciter. Vno modo per modum identitatis & ſic Spiritus ſanctus eſt ſui ipſius. Alio modo dicitur poſſeſſiuè. Tertio modo dicitur per originem, &c.* quod fuſius præmiſimus cap. 1. Synopſeos.

Inſtantia prima Ioannis contra Græcos.

Vlterius Ioannes Latinus contendebat Spiritum ſanctum eſſe à Patre & à Filio ideſt a duabus perſonis, tanquam vnico principio §. *Ioannes ait, Spiritum ſanctum dicentes à Patre procedere, Patrem ipſum percipimus, quatenus vna diuina perſona eſt; non ſicus ex Filio proferentes, ex ipſius perſona procedere concipimus. Cum autem ex vtroq; Spiritum ſanctum procedere; id tanquam ex vno ſolo principio fieri credimus, quandoquidem ex Patre filioq; communiter fit.* Ecce quomodo Ioannes admittit, ſeu fingitur à corruptoribus hæreticis admittere hæreſim Sabellianã, nomine totius Eccleſiæ Latinæ, nam ex duabus perſonis conſtituit principium productiuum Spiritus ſancti. Principium enim ad intra de fide eſt, quod perſonale eſſe debet, nam actiones perſonales ad intra ſecundũ quod ipſum & per ſe, ſuppoſitorum eſſe debent; ſicut actiones ad extra de fi-

Elenchus ſextus.

de. eſt quod ſecundum quod ipſum, & primario non ſunt ſuppoſitorum; ſed huius imperſonalis ſecundum quod ipſum, & imperſonaliter creantis Dei eſſentialis. vt fuſius ſuo loco.

Inſtantia ſecunda Marci contra Ioannē Latinum.

Hic ad ſuam doctrinam magis corroborandam ex dictis Sanctorum, Marcus Epheſius interrogauit Ioannem, an Sanctus Baſilius intelligendus ſit de proceſſione Spiritus ſancti à perſona Patris, vel ab eſsentia Patris, dum dicitur Spiritus ſanctus procedere à ſubſtantia Patris § *Marcus ait, Magnus Baſilius in Eunomium de Spiritus ſancti proceſſione loquens, ait, Ab ipſo Patre Spiritus ſanctus, & non aliunde; quæro ex te R. P. quid nam illud Baſilij ſignificet generat Pater; &c. & paulo infra: ex ipſo Spiritus ſanctus & non aliunde? Vtrum eius perſona ſit generans, an eius ſubſtantia? & vtrum ex ſua perſona, vel ex ſua ſubſtantia Spiritum ſanctum emittat? Rogo te R. P. vt his quæſtionibus reſpondeas:* & §. *Ioannes ait, Ita credimus, ſicut ſupradiximus, illud (ex ipſo Spiritus ſanctus) ideſt ex perſona Patris procedit.*

Elenchus ſeptimus.

Ecce Ioannem Latinum, conuictum & affirmantem ex auctoritate Sancti Baſilij, quod Spiritus ſanctus à ſolo Patre, ſiue à ſola perſona Patris procedat, & non aliunde, ideſt non ex alia perſona. vt bene contra ipſum intulit Marcus ibi § *Magnus autem Baſilius ait Spiritum ſanctum ex ipſo Patro ideſt per te, ex ipſa perſona Patris, & non aliunde ideſt non ex alia perſona procedit.* Ergo per te ex cõceſſis ſequitur Spiritum ſanctum ex ſolo Patre procedere, nimirum fontaliter, & immediatè, vt principio ſimpliciter, ſeu vt à Primo, ſeu principio *quod*, iuxta doctrinam SS. Patrum Græcorum. Sed obſeruemus nunc ipſum Ioannem Latinum confuſum ac conuictũ; ac ſibi propterea contradicentem, & à perſona refugientem ad eſsentiam Diuinam § *Ioannes ait Magnus Baſilius R. P. in Eunomium, profitentem Spiritum ſanctum creaturam eſſe, ideo dixit ex ipſo Patre, & non aliunde, vt declararet ipſum Spiritum ſanctum ex ſubſtantia & natura Patris eſſe, & non aliunde, hoc eſt non alterius eſse natura, vel ſubſtantia.*

Elẽchus octauus.

Vbi à Beſsarione Ioannes Latinus redargutus eſt contradictionis manifeſtæ § *Beſſarion dixit, Illud (ex ipſo Patre) paternam perſonam ſignificare paulo ante P. R dicebas; modo autem mutata ſententia protuliſti, per idem (ex ipſo Patre) patris eſſentiam, & naturam, debere nos intelligere.* Ecce Ioannem redargutum; obſeruemus quomodo ſe defendat ibi § *Ioãnes ait, eſſe & eſsentia Patris idem ſunt: idcirco R. P. qui ex Patre dicit procedere Spiritum ſanctum, Patris etiam eſſentiam intelligere debet. Prepoſitio autem (ex) proceſſionem à principio conſubſtantiali ſignificat. Spiritus vero non eſt ex ſe ipſo; ſed ex alio eſt.*

Elẽchus nonus

Immo eſse & eſsentia differunt formaliter tam ex Scoto, quàm ex Sancto Thoma, admittente differentiam ratione raciocinata cum fundamento à parte rei. Vnde falſum & erroneum in fide eſt, quod idem ſit procedere à perſona Patris, & ab eſsentia Patris, reali habitudine productiua. nam proceſſio non poteſt eſse niſi inter realiter diſtincta. nil enim procedit à ſe ipſo, vel à ſua eſsentia efficienter reali habitudine productiua. nam inter producens & productum ſemper eſt diſtinctio realis; ſiue producat vt *quo*, ſiue vt *quod*. & oppoſitum non ſolum eſt hæreticum: ſed etiam proteruum. Neq; S. Thomas ſeu Scotus huius contrarium docent vt fuſius dictum eſt in ſynopſi, ac plenius infra dicetur.

Elenchus decimus.

Præterea falſum & Arrianum eſt ſentire & docere quod Iy (ex) dicit principium conſubſtantiale reali habitudine ad intra productiuum, cum ipſo Patre non enim datur principium conſubſtantiale realiter productiuum ad intra. Sed ſolum ad extra. Nam ad intra ſolum datur principium perſonale, ac perſonaliter productiuum. Siquidem principium conſubſtantiale, non ſolum eſt Pater, ſed etiam eſt Filius, & Spiritus ſanctus, Neq; Pater generat vt Deus ſubſtantiuè, & ſubſtantialiter; ſed vt Deus adiectiuè, & perſonaliter. Et oppoſitum eſt erroneum in fide, ſeu hæreticum, ac ab hæreticis expreſſum hic. ſub mentito nomine Ioannis Latini, qui cum ſapientiſſimus & religioſiſſimus extiterit, nullo modo eiuſmodi falſas & inſanas doctrinas nomine Totius Eccleſiæ Romanæ afferre, & defendere poterat. Principium itaque conſubſtantiale non poteſt dari extrinſecum & efficiens, nam eſt Arianum: ſed intrinſecum & formale eſse debet.

Hic

Digitized by Google

Inſtantia tertia Marci cõtra Ioannem Latinum.

Hic interrogatur Ioannes Latinus à Mareo §. *Vt illud Magni Baſilij magis dilucidetur, quæro ex te P.R. An Diuina ſubſtantia, & perſona ſint idem; & An dictio illa (ex Patre) Patris ſimul ſubſtantiam, & perſonam ſignificent? vel ſecundum Doctores, inter ſe differant?* Ioannes reſpondit § *Diuina ſubſtantia & perſona P.R. re quidem ſunt idem; ſecundum autem noſtram intelligentiam differre videntur. Nam perſona ex communi ſubſtantia, proprietatibuſq; conſiſtit. Vbi ſubſtantia communicat cum perſonis: proprietates vero nequaquam communicabiles ſunt. Nam ſi proprietas communicabilis eſſet; proprietas, non eſſet proprietas. Ob id Pater & Filius diſtincti ſunt, quod Pater principium eſt, Filius autem ex principio, in quo quidem nequaquam communicant cum in cæteris rebus inter ſe proculdubio communicent, & Epiphanius de hac principij & principiali habitudine, qua ſubſtant perſona, ſenſiſſe creditur. Siquidem igitur diuina omnia, proprietatibus perſonarum exceptis, inter ſe communicabilia ſunt: ſequitur cum quippiam ex aliquo credimus eſſe, neceſſe eſt intelligamus, ipſum ab eodem accipere eſſe, &c.*

Elenchus vndecimus.

Immo perſona formaliter & reduplicatiue non poteſt conſtare ex communi ſubſtantia, ac proprietatibus perſonalibus, nam vt ſic eſſet compoſita per accidens. Sed perſona ſolis proprietatibus relatiuis conſtituitur. *Non enim (ex Auguſtino) eo eſt Pater, quo eſt Deus*, ſed Pater paternitate eſt Pater, non autem Deitate. Vnde Pater neque proxime generat Deitate, ſed ſola paternitate, vt fuſius infra. Vbi oſtẽdemus falſam eſſe illam conſequentiam; quod ſi Pater paternitate generat: ergo Pater generat Patrem, & fortes ſortem ex S.Th p p.q.41.art.1. ex hoc autem falſo fundamento quod perſona Patris conſtituatur ex communi ſubſtantia, & ex proprietatibus perſonalibus, deceptus Ioannes Latinus, ait vlterius infra, quod Pater generat vt *quod*, & Diuina eſſentia vt *quo*, quia ſic etiam conſtituitur ex Diuina eſſentia vt *quo*, ac ex proprietatibus perſonalibus *quod*. Hoc autem falſum & erroneum eſſe in fide infra oſtendemus.

Elenchus duodecimus.

Prætera contradicit ſibi manifeſte Ioannes Latinus: ait enim hic expreſsè, quod per hoc Pater & Filius diſtincti ſunt, quia Pater eſt principium; Filius autem eſt a principio, ſicut & Spiritus ſanctus. In qua ratione principij neq; Filius neq; Spiritus ſanctus communicant cum Patre: quæ ratio principij, ſeu Patris proprietas perſonalis, ſi à Patre cõmunicaretur Filio iã proprietas nõ eſſet proprietas &c. in hoc ſatis recte ſentit & docet. Et tamen infra ſui oblitus Ioannes contendet Filium eſſe principium ad intra, ſicut eſt Pater. quod principium, quia perſonale eſſe debet; admittet duo principia perſonalia Spiritus ſancti ſpecie correlatiua ad inuicem cõtradiſtincta. quia actiones ſunt ſuppoſitorum, ac Spiritus ſanctus refertur ad Patrem quà Pater eſt in diuinis, vt fuſius infra: non vero qua non Pater eſt, ſeu qua ſpirator Deus eſt.

Inſtantia 4. Marci contra Ioannem Latinum.

Hic vrgetur Ioannes à Marco Epheſio §. *Quemadmodum diuina ſubſtantia & perſona differant, non eſt opus in præſentia dicere. Velis autem mihi declares P.R. quid hæc verba ſignificent, vtrum Pater ex ſua ſubſtantia, an ex ſua perſona generet?* Ioannes reſpondit § *Dixi equidem P.R. Filium ex Patre generari, idem eſſe, ac generari ex Patre, ſeu ex ſubſtantia Patris; ita tamen, vt perſona ſit producens & generans: principium autem* quo *ipſa perſona generat; ſit id quod ſolum communicabile eſt. Pater ergo generatiuum principium eſt & ſuppoſitum quoddam ſignificat: Diuina vero ſubſtantia non generat: ſed eſt principium* quo *generatio ſit, vt in hominũ genere fieri videmus. Quamuis enim homo hoc eſt perſona vel ſuppoſitum generet, eius tamen ſubſtantia, generationis principium eſt, quandoquidem actiones ſunt ſuppoſitorum. Quæ quidem ſubſtantia vel eſſentia in homine cum ſit humanitas, humana generationis principium exiſtit* quo *generat homo. Vnde euenit vt homo generans cum Filio genito non communicet in principio, & ideo Filius quatenus Filius non generat. Verum ipſa natura cum Filio in eadem ſpecie communicare videtur. Natura igitur humana communicabilis eſt: perſona vero non. Non aliter profecto de diuinis perſonis intelligere poſſumus. Nã Patris perſona ſuppoſitum eſt, atque generans: Diuina vero natura generatiuum principium eſt,* quo *Pater Filium generat. Dicitur autem Filius naſci à Patre, vt à principio, quia à diuina*

G 2 Patris

Patris ſubſtantia naſcitur. Illud ergo Magni Baſilij contra Eunomium, Spiritus ſanctus ex Patre non aliunde, intelligitur, quod non ſit ex aliena natura creata &c.

Elechus decimus tertius.

Immo hæc paritas generationis creatæ, eſt falſa, & erronea, ac Ariana, ſi transferatur ad increatam generationem. Nulla enim alia ratione probabat Arius Filium in diuinis non eſſe Homouſion & conſubſtantialem, ſed tantum eſſe Homoeuſion, & ſimilis naturæ, vt in humanis: quia ſicut homo generat vt *quod*, & humana natura generat vt *quo*, ac ſicut Filius non ſolũ eſt, ac naſcitur ex humano ſuppoſito Patris vt *quod*: ac ex humana natura Patris vt *quo*, & ideo realiter diſtinguitur Filius a perſona Patris vt *quod*, ac realiter diſtinguitur à natura Patris vt *quo*; ſic non aliter in diuinis contingit, vt Filius non ſolum naſci dicatur realiter habitudine productiua ex perſona Patris, vt *quod*, quàm ex natura Patris vt *quo*. & conſequenter filius in diuinis non ſolum realiter diſtinguetur à perſona Patris vt *quod*; ſed etiam à natura Patris vt *quo*: quia vtraq; reali habitudine productiua filium generat in diuinis, ſicut generat in humanis. Quæ eſt ipſiſſima ratio Arij, eiuſq; hæreſis reſumpta à Ioanne Latino, nomine Totius Eccleſiæ Latinæ, apud mendoſum, atq; hæreticaliter adulteratum textum Concilij Florentini; in inuidiam, & dedecus Eccleſiæ Romanæ.

E contra vero obſeruemus catholicam doctrinam, & intelligentiam orthodoxam, quam attulit Marcus Epheſius, de proceſſione Spiritus ſancti, ex ſubſtantia ac eſſentia, ſeu natura Patris & Filij, non autem ex duabus perſonis Patris & Filij, tanquam vnico principio perſonali, vt ait ibi Marcus. § *Tametſi vobis concedamus ſubintelligi verbum eſt: non tamen eſt neceſſe vt illud (ex Patre Filioq; procedit) ſignificet perſonas Patris & Filij, ſed ſolam conſubſtantialem, & coniunctionem cum eſſentia Patris & Filij. proptereaq; S. Cyrillus ait, Spiritus ſanctus ex Patris Filiiq; ſubſtantia eſt* (in genere nimirum principij formalis intranſitiue eſt, ex eadem ſubſtantia) *Sed redeamus vnde ſumus digreſſi, ne Magni Baſilij authoritatem indiſcuſſam tranſeamus, quam bene non dum explicaſti. ex ipſo inquit, ideſt ex Patre, non aliunde. Si ergo ly ex Patre, ideſt ex Patris perſona ſignificat, vt ais, neceſſe eſt vt illud (non aliunde), non ex alia perſona ſignificet. Sin autem vtrumque ad ſubſtantiam referri debet; ita vt ly (ex Patre) ideſt ex ſubſtantia Patris. (& non aliunde) ideſt & non ex aliena natura ſignificet. Ergo falſum eſt quod paulo ante dixiſti, idem eſſe, ex ſubſtantia communi procedere, & ex perſonis vtriuſq; Patris. & Filij procedere, Potius ergo ſentiendum eſt Spiritum ſanctum procedere ex Patre Filioq; ideſt vtriq; conſubſtantialem*; & intranſitiue procedere in genere cauſæ, ſeu principij formalis, hoc eſt exiſtere conſubſtantialem. ac Homouſion eſſe Patri & Filio.

Ecce veram intelligentiam, ac ſenſum SS. Patrum Græcorum, a Marco Epheſio, ſatis orthodoxè allatum, de proceſſione Spiritus ſancti ex Patre & Filio, ideſt conſubſtantialiter ad Patrem, & ad Filium, quod Marcus Epheſus deſumpſit ex S. Th. p. p q. 41. art. 3. ad 1. & 2. § *Ad 2. dicendum quod cum filius dicitur genitus de eſſentia Patris: ſecundum expoſitionem Magiſtri in 1. ſent. d. 5. deſignat habitudinem principij, quaſi actiui, vbi ſic exponit Filius eſt genitus de eſſentia Patris, ideſt de Patre eſſentia, ſeu ex Auguſtino de Patris eſſentia. Sed hoc non videtur ſufficere ad ſenſum huiuſmodi loqutionis. poſſumus enim dicere, quod creatura eſt de Deo eſſentia, non tamen quod ſit ex eſſentia Dei. Vnde aliter dici poteſt, quod hac prapoſitio (De) ſemper denotat conſubſtantialitatem, vt in ijs, in quibus ipſæ formæ ſunt ſubſiſtentes, & non aduenientes alteri. poſſumus enim dicere quod Angelus ſit de natura intellectuali. Et per hunc modum dicimus, quod filius eſt genitus de eſſentia Patris, in quantum eſſentia Patris, Filio communicata per generationem, in eo formaliter ſubſiſtit, ipſumque nimirum hunc Deum conſtituit, &c.* quid clarius, quidue rectius dici poteſt de hac catholica doctrina S. Thomæ, à Marco Epheſio allata?

Obſeruatio ſeſſionis decimanona Concilij Florentini. Cap. 5.

Inſtantia quinta Marci contra Latinos.

VRget hic Marcus Epheſius Ioannem Latinum, ad hoc vt erroneum eius ſenſum agnoſcat. Siue enim dicat Ioannes Latinus Spiritum ſanctum eſſe ex Patre & Filio,

Digitized by Google

Filio, ideſt ex perſonis Patris & Filij tanquam vnico principio: ſiue dicat ex ſubſtantia & eſſentia Patris & Filij, ſemper erroris in fide redarguetur. nam duæ perſonæ non poſſunt eſſe vnum principium perſonale Sabellianum. neq; Spiritus ſanctus procedere poteſt ab vna, eademq; ſubſtantia & eſſentia Patris & Filij, reali habitudine productiua, quin eadem ſubſtantia, ſeu eſſentia Patris & Filij ſit Spiritus ſancti cauſa, dempta tamen imperfectione. Sic autem ait ibi Marcus contra Ioannem. § *Præterea ſiquidem inquis, quod Sanctus Spiritus ex Patris ſubſtantia dicitur eſſe; neceſſe eſt credere ipſum etiam ex Filij quoque ſubſtantia eſſe, quandoquidem Patris & Filij vna, eademq; numero eſt ſubſtantia; ita vt videaris profiteri Patris, Filijq. ſubſtantiam, Sancti Spiritus cauſam eſſe.* Reſpondit Ioannes § *non ita plane ſentimus.*

Elenchus decimus quartus

Ecce verbalem tantum contradictionem proteruam, & falſam. Si enim Spiritus ſanctus reali habitudine productiua, æque procedit à perſona Patris vt *quod*, & à natura Patris, vt *quo*, qui fieri poſſit, vt tam perſona Patris, quàm natura Filij non ſint cauſa Spiritus ſancti dempta imperfectione, ita ad intra, ſicut ad extra?

Vnde à Marco Epheſio iterum interrogatur § *quando Spiritum ſanctum ex Patris, Filijq; ſubſtantia eſſe audimus, eiuſdem Spiritus ſancti cauſam neceſſario intelligimus; an non?* Ioannes reſpōdit §. *Proferentes R.P. Spiritum ſanctum ex Patris, Filijq; ſubſtantia eſſe, ipſum ex cauſa eſſe neceſſario intelligimus, quam quidem cauſam, Doctores noſtri principium appellare ſolent. ex euangelio autem late patet Spiritus ſanctus ex Patre hoc eſt, ex eius ſubſtantia procedere, ſi quidem ex Patre procedit &c.*

Elenchus decimus quintus.

Ecce quà pueriliter, & ſtultè introducitur ab hæreticis adulteratoribus ipſe Ioannes Latinus ſibi contradicere; paulo enim ſuperius negauit Spiritum ſanctum procedere ex ſubſtantia Patris, tanquam ex cauſa: nunc vero pœnitens id affirmat. Et quod magis ſtultum eſt, ait hanc Spiritus ſancti cauſam dici principium. Cum tamen eſſentialiter differat cauſa à principio. nam cauſa eſt ſemper extrinſeca, ac reali habitudine eſt productiua; vt patet in perſona, ac natura creata generante. Principium vero poteſt eſſe intrinſecum & formale, abſtrahens ab omni motu, aut cauſalitate, & reali habitudine productiua.

Elenchus decimus ſextus.

Præterea falſum, immo erroneum eſt in fide illud euangelij Ioannis, 16. *Spiritus ſanctus qui à Patre procedit*, reali nimirū habitudine productiua, nō intelligere de perſona Patris, ſed de eſſentia & natura Patris. quod eſt hæreticum, atq; Arianum. Sequeretur enim quod natura Patris vere eſſet cauſa Spiritus ſancti dempta imperfectione. ſi reali habitudine produceret, vt *quo*, ſeu vt *quod*.

Inſtātia ſexta Marci contra Ioannem Latinum.

Hic rurſus vrgetur Ioannes Latinus vt agnoſcat errorem ſuum, & ſiſtat firmus in reſponſionibus, nam idipſum modo ait. modo negat. inſtat ergo Marcus Epheſus an Ioannes Latinus intelligat Spiritum ſanctum eſſe ex ſubſtantia communi Patris & Filij vt paulo ante dixit, vel potius ſit ex perſona Patris & Filij. ad quod reſpondit Ioannes *Quod quæris P.R. id ſeſſione proxima demonſtraui, videlicet iuxta omnium philoſophorum ſcholam actiones eſſe ſuppoſitorum.*

Elenchus decimus ſeptimus.

Ecce Ioannem confuſum, ac pœnitētē, & mutantem ſententiam ſuam. Superius enim dixerat id intelligendum eſſe de ſubſtantia communi Patris & Filij; nunc vero ſibi contradicens ait, id intelligēdum eſſe de perſonis Patris & Filij. Vbi iure Marcus Epheſius ſic inſurgit contra ipſum Ioannem § Marcus ait: *tua equidem verba P.R. componere, rimariq; nequeo. vt pote quæ mihi videntur plurimum inter ſe oppugnantia, nam quandoq; profers Spiritum ſanctum ex Patris, Filijq; ſubſtantia eſſe, quæ vna eademq; numero eſſe creditur. quandoq; vero mutata ſententia, dicis ſubſtantiam ipſam apud Doctores non eſſe cauſam, &c.*

Inſtantia ſeptima Marci cōtra Latinos.

Ecce Ioannem pueriliter & ſtulte introductum, ſuam ſententiam mutantem, ſibique contradicentem, ac Spiritum ſanctum ex perſona Patris & Filij; non vero ex communi Patris & Filij ſubſtantia procedere ſentientem, ac docentem. Obſeruemus nunc quo modo ſtatim ſibi cōtradicat ac iterum mutet ſententiam § *Marcus ait, ex ſermone tuo P.R. vt puto concluditur Patris, Filijq; ſubſtantiam, quæ vna eademq; numero*

eſt,

Digitized by Google

eſt, Sancti ſpiritus principium eſſe (quo nomine videris uti ſæpiſſime) quod Pater & Filius ſua communi ſubſtantia, & natura, Spiritum ſanctum producunt. Siquidem igitur ex Patris ac Filij ſubſtantia, vt ex cauſa Spiritum eſſe credis, num etiam neceſſe eſt vt intelligamus Patris, Filijq; ſubſtantiam principium & cauſam eſſe? Credis ne modo quodam Patris, Filijq; ſubſtantiam, principium, & cauſam eſſe? Ioannes reſpondit. § *quid ni?*

Elēchus decimus octauus.

Ecce Ioannem ab hæreticis fictum, tanta ſtultitia, & mutabilitate ſibi contradicentem ac ſuam ſententiam mutantem, vt nihil ſupra. Ecce quomodo hic affirmat diuinam ſubſtantiam communem, cauſam eſſe, quod paulo ſuperius negauerat.

Inſtantia octaua Marci contra Latinos.

Obſeruemus nunc an ipſum ſtatim pœnituerit, & hoc omne neget in ſequentibus. Inſtitit enim Marcus Epheſius ſic contra eum. § *ergo ſequitur ſubſtantiam Sancti Spiritus ex communi Patri, Filioq; principio cauſatam eſſe.* quod concedens Ioannes ibi ſic reſpondit, § *ex communi quidem principio, à Patre & a Filio, Spiritui tradita.*

Ad quod ſic iure inſtitit Marcus § *ſiquidem communem Patri Filioq; ſubſtantiam, Sancti Spiritus cauſam vel principium* quo, *dices eſſe; quid obſecro obſtat, cur Sancti Spiritus ſubſtantia cauſata non ſit?* Ecce inſolubile argumentum Marci Epheſij. quod reipſa conceſſit & concedit Ioannes Latinus, nam ex neceſſaria conſequentia concludit, & tamen ab hæreticis adulterantibus ipſum textum Concilij Florentini fingitur id gratis & falſo negare nimirū ſolis verbis abſq; vlla vera ratione ibid § *Nō plane id ſequitur.*

Elēchus decimus nonus.

Ecce mendacium Ioannis Latini hæreticaliter adulterati, quia non poteſt negari talis conſequentia, niſi ſolis verbis, ac proteruè. Si enim communis ſubſtantia diuina ponitur eſſe Spiritus ſancti cauſa; quis vel cæcus non videt, neceſſario ſequi, quod Spiritus ſancti ſubſtantia ſit cauſata? num cauſa cauſabit ſe ipſam, & non potius perſonam à ſe realiter diſtinctam?

Introducitur ergo Ioannes Latinus ab hæreticis deprauatus tot errores docere, & diſſeminare nomine Eccleſiæ Romanæ, quarum tamen neceſſariam conſequentiam ſolis ac nudis verbis ſine vlla vera ratione fingitur negare ad palliādas eaſdē hęreſes.

Inſtātia nona Marci contra Latinos.

Vnde iterum Marcus Epheſius vrget Ioannem Latinum, vt aſſignet rationem, cur Spiritus ſancti ſubſtantia non dicatur cauſata: ſi Patris & filij communis natura ponatur cauſa? § *Marcus ait, Cur non ita ſequitur, obſecro? Ioannes ait,* § *Cur? quia id quod fit in humanis, tantum ab agente ſuppoſito fit; ita vt falſum ſit proferre hoc humanum ſuppoſitum filij ab humana natura* Patris *productum fuiſſe, quandoquidem humanitas eſt nomen abſtractum, ac ſuppoſitum nullum ſignificat, ſed ſuppoſitum humanitate ſua aliud ſuppoſitum producit.*

Elenchus vigeſimus.

Ecce mendacium Ioannis Latini, ecce doctrinam ſophiſticam & æquiuocam, indignamq; tanto philoſopho, ne dum tanto Theologo. Falſum eſt enim inſtrumentum non attingere in virtute principalis agentis eundem numero effectum; ſeu falſum eſt ac ſtultum denegare inſtrumento ſuam cauſalitatem. Ac magis ſtultum eſt denegare principali agenti ſuam cauſalitatem. Suppoſitum ergo humanum denominatiue, & ſecundario, ac concomitanter generat, in virtute ſuæ formæ, principalis agentis, à quo virtutem omnem agendi habet. Vnde ipſa natura creata formaliter & principaliter generat vt quod, licet non ipſa ſola; nam *propter quod vnum quod tale, & illud magis tale.* Suppoſitum vero ſubordinate, & concomitanter & denominatiue dicitur generare in virtute ipſius formæ. Probat id Fauentinus in ſuis Theorematibus Philoſophicis, de actione & paſſione, ex humanitate Chriſti, quæ ſola patiebatur, ac ſatisfaciebat vt *quod* Deo Patri, ac crucifixa eſt & mortua &c.

Inſtantia decima Marci cōtra Latinos.

Sed eſto non generet ipſa natura humana neq; vt *quo*, neq; vt *quod*, iterum inſtat Marcus contra Ioannem Latinum § Itá ne etiam de diuinis poſſumus proferre, vt neq; natura diuina generet, neq; ſpiret? Reſpondit Ioannes. § quid ni? Tunc Marcus ait § *Ex eo tamen non ſequitur* P.R. *vt Sanctus Spiritus ex ſubſtantia ſit & ſpiretur: vel ex* Patris *ſubſtantia generetur Filius; vel ex ſubſtantia* Patris *& Filij ſpiretur ac procedat Spiritus ſanctus* quod nimirum pluries ſupra tenaciſſime defendiſti. ergo tibi turpiter ac ſtulte contradicis, &c. Ecce tam indigne ab hæreticis introductum Ioannem Latinum,

Elenchus vigeſimus primus.

num, nomine Totius Eccleſiæ Romanæ ſibi contradicentem; ac tot ſtultè blaterantem, ac tot hæreticales errores ex neceſſaria conſequentia diſſeminantem; ac ſolis verbis illas palliantem & negantem.

Inſtantia vndecima Marci contra Latinos.

Vnde merito Marcus iterum vrget ipſum Ioannem § *De his paulo poſt, nunc in humano genere ais falſum eſſe hominem ab humanitate fieri: ſi quidem igitur ita quoque de diuinis perſonis credendum eſt, vt falſum ſit dicere, diuinam perſonam à communi ſubſtantia eſſe: quandoquidem ipſa diuina natura non eſt ſuppoſitum: ſequitur nos nullam cauſam (late dictam, ſeu principium) intelligere poſſe quando Spiritum ex Patre Filioq; dicimus eſſe, quandoquidem diuina natura non eſt generare ſicut neq; humana natura eſt generare, vt ais.*

Elenchus vigeſimus ſecundus.

Ecce aliud abſurdum ipſius Ioannis Latini, negantis dari remotè cauſam (de more græco) ac principium ipſius generationis ac ſpirationis: ſeu negantis diuinam eſſentiam dare perſonæ virtutum vt ſua perſonalitate generet, ac ſpiret. quod eſt erroneum in fide, nedum in Philoſophia, vt fuſius infra.

Inſtantia duodecima contra Latinos.

Quare iure Marcus iterum vrget Ioannem inconſtantem, ſibiq; paſſim de more contradicentem, ac ſententiam mutantem § *Communem Patri Filioq; ſubſtantiam P.R. quæ vna, eademq; numero eſt, Sancti Spiritus cauſam, & principium eſſe dicis, quo plane Spiritus ex Patre procedit. Vnde ſequitur manifeſtè ſubſtantiam Sancti Spiritus cauſatam eſſe, ac duas ſubſtantias inter ſe, ſecundum cauſam & cauſatam oppoſitas, in Sacratiſſima Trinitate exiſtere. quod quidem à Chriſtiana Theologia longe alienum, & à nullo vnquam doctore memoria proditum eſt. quippe qui diuinam ſubſtantiam, neq; generare, neque producere profitentur. hoc igitur inconueniens ex tuis verbis ſequi videtur. quæ ſi lubet diligentius contemplemur.* Neq; inquam generare vt *quo.* efficienter, neq; vt *quod.*

Elenchus vigeſimus tertius.

Ecce grauiſſimum elenchum erroris hæreticalis, qui ſequitur ex adulterato hoc textu, ac gratis & fictè introducto Ioanne Latino, ita ſtulte argumentante. Obſeruemus nunc quomodo ab obiecta hac hæreticali opinione ſe purget, ac defendat Ioannes Latinus.

Decem errores in fide ab Aduerſarijs falſo introducti ex perſona Ioannis Latini.

Sic enim reſpondit ibi § Ioannes ait, *quoniam non me benè videris intellexiſſe R.P. iccirco, quæ paulo ante protuli, ea clariora reddam. Subſtantia duobus modis accipi ſolet. vno quidem pro rei ratione, ac definitione, ſeu natura, & entitate. Secundo pro ſuppoſito ex Ariſtotile lib. 5. metaphyſ. quod ſuppoſitum dicitur hypoſtaſis, exiſtentia, & res natura, & eſt incommunicabilis. 1. Doctores noſtri ſubſtantiam ſumunt pro natura, dum dicitur Spiritus ſanctus eſſe ex ſubſtantia Patris. 2. Hæc ergo communis ſubſtantia, quam in Patre protulimus eſſe, cauſa eſt, & principium* quod *per generationem communicatur. 3. Porro Pater generat Filium quem producit, Subſtantia tamen hæc Filio nequaquam communicatur. In quo quidem ſolent homines ſæpiſſimè decipi. 4. Cum enim dicimus Patris ſubſtantiam Filio communicari, non id aſſerimus verum eſſe, quatenus Pater Filium generat, quandoquidem filius etiam generaret. 5. Propterea q; dicere ſolemus nec ipſum eſſe communicari. quia Filius quoq; neceſſario generet 6. Hæc autem ſubſtantia abſolute, ſimpliciterque conſiderata; quæ generandi poteſtas eſt, principium eſt* quo, *vel* per quod, *quod quidem Filio communicatur, non tamen ſecundum abſolutam eius conſiderationem. In generatione autem Filij, omnia Patris communicantur. 7. Quandoquidem principium eſſe communicabile, filiationi ſe non opponit. 8. Pater ergo cum generat, per eandem ipſam ſubſtantiam, quæ principium eſt* quo, *vel* per quod, *id etiam cum Filio communicat, vt Filius Spiritus ſancti principium ſit; 9. quandoquidem eſſe principium Spiritus ſancti nec Patri nec Filio opponitur. 10. Propterea non ſequitur quod hæc ſubſtantia; quæ ſecundum ſuum eſſe commune, & abſolutum, principium eſt (*per quod *ſeu potentia producens; ſit ſimul cauſa, & cauſata, &c.*

Elenchus vigeſimus quartus.

Quoniam ex S.Th. p.p.q. 31. art. 2. corp. ex verbis inordinate prolatis incurritur hæreſis, quod fuſius confirmat ex Hieronymo, & Auguſtino: hinc patere poteſt quot hæreſes hic contineantur. Nullibi enim magis obſcurè, ac callidè, odio habens lucem clari ſermonis, introducitur ab hæreticis loquens, omniaq; confundens, ſibiq; contradicens Ioannes Latinus, quàm hic, vbi tot fere ſunt hæreſes palliatæ, quot ſunt verſus. In primis enim reſpondendo quæſtioni ait, ſeu potius blaſphemat hic

fictè

fictè introductus Ioannes, quod ſubſtantia ſignificat naturam diuinam; non autem perſonam diuinam, dum Spiritus ſanctus dicitur eſſe, ſeu procedere ex ſubſtantia Patris, quem ſenſum erroneum in fide rectè impugnat ſtatim Marcus Epheſus § *Nos quidē iuxta primæ ſynodi Theologiã, ac eius ſymbolum Nicenum P.R. illud (ex Patre, ideſt ex Patris ſubſtantia natum) nil aliud ſignificare putamus, quam ex Patris perſona, eiuſque proprietatibus, &c.* non ergo ſignificare poteſt proceſſionem realem, reali habitudine productã ex natura, ſeu ſubſtantia communi, quia id Arrianum eſt. & a Ioanne in hoc arianizante gratis & ficte introducto, defenditur ſub tali productiua habitudine.

Elenchus vigeſimus quintus.

Secunda hæreſis eſt, quod hæc communis ſubſtantia, eſt cauſa ſimul & principiũ quod communicatur. Sola enim cauſa extrinſeca eſt illa quæ ſimul eſt cauſa & principium. neq; poteſt eadem numero communicari, ſi eſt cauſa: quia ſimul eſſet cauſa, & cauſatum, ac principium efficiens, & principiatum.

Elenchus vigeſimus ſextus.

Tertia hæreſis eſt, quod ait ſibi immediatè contradicens; hanc ſubſtantiam communem de qua loquitur, non communicari Filio, & conſequenter Filium non eſſe Deum.

Elenchus vigeſimus ſeptimus.

Quarta hæreſis eſt, quod ait in generatione Filij non eſſe verum, quod Patris ſubſtantia Filio communicetur, quia talis ſubſtantia Patris eſſet potentia generatiua; & ſic Filius poſſet generare. Cuius totum oppoſitum docet S. Th. p.p. q.41. art. 5. nimirum potentiam generatiuam eſſe ipſam diuinam eſſentiam: Filium vero non generare, non quia non poteſt generare, ſed quia non opus eſt, vel quia eſſet fruſtra talis generatio, vel quia generaret ſe ipſum, vel quia potentia reperitur reducta ad actum. Vnde non eſt de impotentia Filij, quod non poſſit generare; ſed quia terminus ipſe *ad quem* repugnat à parte rei.

Elenchus vigeſimus octauus.

Quinta hæreſis eſt quod ait Filio non communicari ipſum eſſe Patris, quia Filius quoque neceſſario generaret. Cum tamen eſſe Patris, ſit ipſum eſſe, & ipſum velle, ſeu intelligere, & ſapere Filij, ac Spiritus Sancti. Vnde neq; Filius accipit ſuum eſſe a Patre, ſi tale eſſe non ſibi communicatur à Patre.

Elenchus vigeſimus nonus.

Sexto ſibi impudenter contradicit dum ait, hanc ſubſtantiam Patris, quæ eſt poteſtas generatiua, communicari Filio; quod ſupra ſtultè, ſeu proteruè negauit.

Elenchus trigeſimus.

Septimo ſtulta illa ratio aſſignatur, cur eſſe Patris non communicetur Filio: ne ſcilicet Filius generare poſſit, ſicut Pater; ac ſi Pater generaret eſſentia vt *quo*, efficienter. quod eſt erroneum in fide.

Octauo ait communicabile eſſe Filio, quod Filius ſit principium Spiritus ſancti: quæ eſt hæreſis Sabelliana, quia principium ad intra perſonale eſſe debet: & eſſe principium perſonale eſt proprietas paterna incommunicabilis.

Elenchus trigeſimus primus.

Nono ait, quod eſto hæc ſubſtantia ſit cauſa ſeu principium; non tamen ſequitur quod ſimul ſit cauſa & cauſata. Cum tamen ex eo quod ſit cauſa, reali habitudine productiua, vel cauſabit ſe ipſam; vel aliud à ſe ipſa. Vtrumq; eſt hæreticum. Quia nihil reali habitudine productiua eſſe poteſt cauſa, quin ſit cauſa extrinſeca ipſi cauſato; & ſic cauſabit aliud à ſe ipſa eſſentia Diuina.

Decimo ait quod eſſe principium Spiritus ſancti, non opponitur Filio. Cum tamen, quod eſt erroneum, in fide repugnet Deo. Et eſſe perſonale principium Spiritus ſancti non ſolum repugnat Filio, ſed etiam Patri derogat, quod detur aliud perſonale principium Spiritus ſancti.

Inſtantia decimatertia Marci Epheſi contra Ioannem Latinum.

Hic etiam vrgetur Ioannes Latinus à Marco Epheſio, quod ly *A Patre, ſeu à Patris ſubſtantia procedere*, ſignificat proceſſionem à perſona Patris ex ſymbòlo Niceno, non verò ſignificat proceſſionem ab eſſentia Patris; nam tunc eſſentia producens realiter diſtingueretur à re producta, & ſic Filius, ſeu Spiritus ſanctus non eſſent ille Deus eſſentialis, ſeu illa eſſentia producens, ſiue vt *quo*, ſiue vt *quod* producat, vt ait ibi Marcus Epheſius § *Nos iuxta primæ Synodi Theologiam, ac eius ſymbolum Nicenum R.P. illud (ex Patre, ſeu ex Patris ſubſtantia natum,) nihil aliud ſignificare putamus, quam ex Patris perſona, hoc eſt ex Patris ſubſtantia, eiuſq; proprietatibus. non ne ita etiam tibi videtur?*

Digitized by Google

tur? Ioannes reſpondit § *Nonne dixi R. P. duo eſse ſubſtantiarum genera? alterum quatenus ſignificat ſubſtantiam, ſeu eſsentiam communem: alterum quod ſignificat proprietates, & hypoſtaſim. Illud ergo quod ex Niceno ſymbolo celebratur (Ex Patre natum, id eſt ex ſubſtantia Patris natum) neceſse eſt ex hypoſtaſi Patris ſignificet. quod aliud quoque genus ſubſtantię preter illa duo videtur eſse. Ita vt merito nemo nos poſſit accuſare, tria ſubſtantię genera profiteri, quandoquidem Filium eſse conſubſtantialem Patris, quod prima Nicena ſynodus declarauerat, ipſamq; ſubſtantiam, per quam Filius Patri conſubſtantialis exiſtit, tribus perſonis communem eſse, ac illud ex Patris ſubſtantia principium* quo, *ſeu* per quod, *non autem principium generans ſignificare firmiter tenemus.*

Elenchus trigeſimus ſecundus.

Immo tria ſubſtantiarum genera ex Ariſtotile quinto lib. Metaph. in creatis & compoſitis, ac finitis inuenta, profiteri tolerabile eſt; nempe materiam, formam, & ſuppoſitum. At in ſimpliciſſimam illam vnitatem, & entitatem, ſeu diuinam eſſentiam, hęc omnia & ſingula ſubſtantiarum genera transferre, erroneum in fide, ſeu hæreticum eſſe viſum eſt ſemper ignorantiæ meæ. Nam in tali ſimpliciſſima entitate, & maxima vnitate relatio, ſeu perſona diuina, comparata cum eſſentia non eſt perſona, ſed tranſit in eſſentiam: ſecus non different intelligentiæ, ac eſſentia diuina à rebus creatis, ſi æque pariter omnia hæc, ſicut & illa cōſtarent ex illis tribus ſubſtantijs, ab Ariſtotile lib. 5. Metaphſ. celebratis, nempe materia, forma, & compoſito. Idemq; confirmauit ibidem Ioannes Latinus, ac repetere non dubitauit §. *Non ne dixi vobis P. R. quemadmodum Doctores noſtri triplici ratione ſubſtantiam Diuinam intelligunt: videlicet pro ſubſtantia, & pro entitate, ex prs exiſtentia. Perſonam ergo ex diuina ſubſtantia, & proprietatibus conſiſtere credimus: ita vt perſona nihil aliud ſit, niſi ſola ſubſtantia & proprietas eius &c.*

Elenchus trigeſimus tertius.

Ecce nugas, ecce fictas ab aduerſarijs aſſeuerationes, ſeu repetitas erroneas doctrinas in mendoſo hoc textu, diſtinguendo tria genera ſubſtantiæ Ariſtotelicæ, finitæ & creatæ in ſimpliciſſima illa ſubſtantia, & entitate diuina, ac maxima vnitate, vbi non eſt aliud, & aliud apud catholicos. Præterea exiſtentiam aliud genus ſubſtantiæ hic inuexit Ioannes Latinus, quæ licet in creatis apud S. Th. diſtinguatur ab eſſentia, Pererius tamen in Phyſicis ex Scoto & alijs defendit neq; in creatis exiſtentiam diſtingui poſſe realiter ab eſſentia, niſi modaliter.

Ideo autem Ioannes Latinus tria creata illa ſubſtantiarum genera, ex Ariſtotile in quinto Metaphyſicorum, tranſtulit ad increata, vt introducitur ab adulteratoribus Concilij, ad hoc vt conſtituat perſonam ex tribus ſubſtantiarum generibus, nimirum ex eſſentia communi, ex proprietatibus conſtitutiuis, & ex proprietatibus relatiuis. quod repugnat ſimplicitati, & vnitati illius diuinæ entitatis. Aliud eſt enim ratione perſona quatenus perſona eſt, & aliud quatenus hic Deus eſt. Vnde Pater paternitate conſtituitur Pater; non vero Deitate ex Auguſtino de Trinitate Non enim eo Pater, quo Deus eſt, ait.

Vlterius eundem textum mendoſum eſſe conſtat in multis quæ Marcus Epheſus non recte reſpondiſſe conſtat præſertim ibi §. *Marcus ait, ſubſtantia eſt P. R. id quod Patri communicatur, per ipſam tamen nequaquam Pater Filio communicatur: verum per ſuam proprietatem, qua quidem eſt ſua paternitas, ad Filium refertur, atq; principium eſt, non tamen tribus perſonis commune.* quod indignum eſt adſcribere Marco Epheſio, Græcorum omnium Sapientiſſimo Theologo. Vnde potius textus mendoſus eſſe credendus eſt: ac recte id intro ducitur redargutum fuiſſe a Ioanne Latino § *Immo ſubſtantia eſt P. R. id quod Filio communicatur, per quam Pater ipſe communicabilis eſt, quoad eandem ſubſtantiam, ſeu eſſentiam.* Similis etiam error textus alicubi eſſe poteſt tam ex parte Marci, quam Ioannis, pro vtraq; enim parte textus adulterari potuit ab hæreticis. Hic notādum eſt quod ſatis orthodoxe docuit Marcus Epheſus paternitatis proprietatem, eſſe principium incommunicabile alijs perſonis. Vnde neq; Filius, neq; Spiritus ſanctus principium perſonale dici, ſeu eſſe poſſunt.

Elenchus Marci epheſij errantis.

Obſeruatio ſeſſionis vigeſimæ apud Concilium Florentinum.

CAPVT 6. Notandum eſt illud argumentum à Maiori ad Minus, quo Marcus Epheſus probat in hac particula correctos, & immutatos fuiſſe à Latinis omnes fere libros SS. Patrum Græcorum, ſicut immutarũt Nicenum ſymbolum per ſuper additum ly *Filioq;* contra ſenſum, mentem, & doctrinam SS. Patrum Græcorum, vt ait ibi in principio ſeſſ. 21. Marcus §. *Quemadmodum igitur diuinum ſymbolum additionem paſſum conſtat fuiſse; ita quoque credendum eſt, libros hos in hoc loco ab aliquo, qui dogma veſtrum Latinorum ſectaretur, corruptos fuiſse, &c.*

Confirmatur quia etiam in ſymbolo Athanaſij à Latinis addita fuit illa explicatio *Filioq;* contra mentem, & ſenſum, ac doctrinam eiuſdem Athanaſij, ne dum omnium SS. Patrum Græcorum. vt fuſius ſuo loco dicetur contra Suarium.

Neq; placet quod ex Ariſtotele lib. 5. Metaph. eadem ſeſſ. 20. diſtinguit Ioannes Latinus §. *Ariſtoteles lib. 5. Metaph. in cap. de natura docet, quot modis natura intelligitur. Vno quidem modo ait naturam ſumi pro naſcentium generatione. Altero modo ſumi ait pro ordine, ſeu prioritate naſcentium, qui ſecundus modus ordinem originis ſignificat, vt ex prima generentur, quæ ab ipſa ſubſtantia primo fiunt, quo ſane generationis ſignificato Baſilius, Athanaſius, Auguſtinus, & omnes alij Doctores, tam Græci, quam Latini vſi fuerunt; tenentes generationis ordinem vnius perſonæ ab alia, ordinem eſse naturæ. Itaq; neq; Baſilius, neque cæteri Doctores in ambiguo fuerint verſati, credentes proceſſionis ordinem nihil aliud eſse, quam vnius perſonæ ab alia proceſſionem, quemadmodum Ariſtoteles altero modo, vt ſupra definiuit. Siquidem igitur ordo naturæ Spiritus ſancti ad Filium eſt, neceſse eſt vt Sanctus ſpiritus à filio eſſe habeat. id quod Baſilius ſenſiſse videtur &c.*

Elenchus trigeſimusquartus. Immo Ariſtoteles non cognouit hoc myſterium Trinitatis, & multo minus cognouit diſcrimen inter generationem filij, ac proceſſionem Spiritus ſancti, quam falſum eſt ſentire & docere quod ſit generatio, vel generationis ordo, ſeu ordo naturæ id eſt naſcituræ, ſeu naſcentium originis. Vnde non poſſunt diſtinctiones Ariſtotelicæ veræ generationis, aptari illi altiſſimæ & incomprehenſibili Proceſſioni diuinæ Spiritus ſancti, quæ non eſt generatio, ſicut neq; Ariſtotelicę diſtinctiones triplicis ſubſtantiæ, materiæ nimirum, formæ, & compoſiti. poſſunt conuenire illi ſimpliciſſimæ entitati, & vnitati diuinæ, vbi neq; eſt materia. neq; forma. neq; compoſitũ. Non eſt ergo Spiritus ſancti proceſſio via ad generationem vnde non conuertuntur inter ſe hæc duo, ac corruit ordo inferioris naturæ aptatus ſuperiori proceſſioni Spiritus ſancti, in qua non valet ſubſiſtendi conſequentia. Niſi proceſſio æquiuocando ſumatur impropriè, etiam pro generatione: itaut generatio ſit proceſſio & proceſſio ſit generatio: & tunc ordo naturæ eſt via qua vna perſona ſumit naturã ab alia, quocunque modo, ſiue per naſcituram; ſiue ſine naſcitura. quæ eſt ſatis libera & ampla licentia diſputandi, ac concludendi quodlibet, ſeu æquiuocandi.

Obſeruatio ſeſſionis vigeſimæ primæ apud Concilium Florentinum.

CAPVT 7. Initio ſeſſionis Marcus admittit Spiritum ſanctum tertium eſſe à Patre. quod habetur Matth. vltimo *Baptizantes eos in nomine Patris Filij & Spiritus ſancti.* non autem admittit Spiritum ſanctum ordine, & dignitate ſimul, tertium quoque eſſe; neq; Filium eſſe ſecundum dignitate quia id Arianum eſſe ait, ac Macedonianũ. & diſtantiam ac diſparitatem eſse infert primæ, ſecundæ, ac tertiæ dignitatis. Sumit autem Marcus Epheſus dignitatem pro Maieſtate, nomine & Numine: ſed vnum eſt nomen, ſicut vnum eſt numen omnium trium. ergo. Quo ſenſu Catholico nil credo dici poſse magis orthodoxum, vt ait ibi Marcus §. *Nos præſtantiſſimi Patres profitemur Spiritum ſanctum in Trinitate Tertium eſse vt Seruator noſter baptiſma tradens, pronunciauit Matth. vlt. Dignitate vero & natura tertium eſse nequaquam aſserimus, de vobis Latinis mi-*

rum

rum in modum admirantes qui quod à Sanctis Doctoribus ne ſcriptum quidem fuerit, id vt datum, & à nobis conceſſum ſumitis, quemadmodum alias feciſtis ſæpiſſimè. Cum tamen Athanaſius Filium eiuſdem Dignitatis, & eſſentiæ, tanquam Patri conſubſtantialem eſſe ſemper docuerit. Non ergo Spiritus ſanctus eſt tertius dignitate; ſed potius eſt tertius in eadem dignitate, ſicut Filius eſt ſecundus in vna, eademq; dignitate, id eſt Maieſtate, ſeu Deitate, & nomine, &c.

Cur ſolus Pater ſit principium perſonale

Eadem ſeſſ. 21. notanda eſt doctrina Athanaſij, quam ibi affert Marcus in fine primæ argumentationis ſuæ §. *Athanaſius in ſermone de Filij, ac Spiritus ſancti æterna eſſentia, diuinarum perſonarum diſtinctionem edocens, ſolum Patrem diuinitatis fontem, ac ingenitum nominat, ac ſi ſolum ipſum dixiſſet genitorem, ac mittentem eſſe. non igitur ſentiebat Filium Sancti ſpiritus cauſam eſſe, ſi diuinitatis fontem, Patrem ſolum eſſe credebat. Diſiungimur inquit & ab ijs, qui Iudæos ſequuti, cum Deum de Deo negant, Chriſti fidem euertentes, vnum Deum vt Iudæi profitentur; non, quod ſolus ingenitus, & ſolus fons diuinitatis eſt Pater, idcirco Deum ipſum pronunciant: ſed quod non genitor Filij, & abſq; fructu viui Verbi. Siquidem igitur ſolus fons diuinitatis, ac ſolus ingenitus Pater eſt, ſequitur vt ſolus ſit Filij genitor, ac ſolus ſit Spiritum ſanctum mittens. Non igitur apud Athanaſium Filius Sancti ſpiritus cauſa eſt, neq; ab ipſo ſpiritus eſſe habet &c.* Ecce rationem præciſam Sancti Athanaſij, cur ſolus Pater ſit, & dicatur fons Diuinitatis communicandæ: nimirum quia ipſe ſolus Pater eſt ingenitus, quæ eſt cauſa præciſa. In præciſis autem cauſis ſicut ſe habet affirmatio ad affirmationem, ita ſe habet negatio ad negationem. Vnde in illa hypotheſi Scoti in 1. d. 26. q. 1. ſi Spiritus ſanctus prius productus fuiſſet, poſt cognitionem ingenitam, & eſſentialem amorem Deitatis, quàm genitus eſſet Filius, tunc Spiritus ſanctus non fuiſſet congenitor, ſeu compater Filij; vt bene defendit Suarius de Trin. lib. vltimo, in quo diſcedit a ſenſu Scoti, oppoſitum opinantis. Non enim in illo caſu Pater communicare potuiſſet Spiritui ſancto, vt ſit principium perſonale Filij, quia eſt proprietas perſonalis. Et ratio Suarij eſt quia Spiritus ſanctus non eſt ingenitus priuatiue ſicut Pater, vt habere poſſit hanc perſonalem proprietatem principij perſonalis. Ita pariter dicendum de filio, ratione Spiritus ſancti, quod non ſit immediata cauſa & perſonale principium *quod*, Spiritus ſancti neq; ſit per ſe neceſſarium Patri ad ſpirandum, niſi tantum concomitanter ex Scoto in 1. d. 11. & 12. ſeu per accidens negatiuè, tanquam mediatum principium *per quod*, vt fuſius infra. Idem confirmauit plenius ſeſſ. 23. ſtatim in principio ex Gregorio Theologo & ex D. Dionyſio, vbi ſic ait Marcus §. *Porro autem Dionyſius Pauli diſcipulus, ac eiuſdem ſecretorum, & myſteriorum particeps, quid nam in hoc ſentiat videamus: quippe qui in capitulo, quod inſcribitur, Quæ ſit vnitio & diſcretio in diuinis ait: eſt autem & diſcretio in ſuperſubſtantialibus Theologijs. Solus autem fons ſuperſubſtantialis deitatis eſt Pater. Siquidem igitur ſolus fons ſuperſubſtantialis Deitatis eſt Pater, qua quidem ratione à Filio, & Spiritu ſancto ſeiungitur (loquitur autem de perfecta diuinarum perſonarum diſiunctione) ſequitur vt neq; Filius, neq; Spiritus ſanctus cum Patre, quatenus fons eſt, communicet. Alioquin in perſonis ipſis confuſio, non autem ſeiunctio eſſet. Propterea inquit, neq; coniuncta deſtruere, neq; ſeiuncta confundere licet. Fontis autem ratio, nullo pacto refertur ad Filium, ob idq; Sancti ſpiritus cauſa Filius eſſe non poteſt. Nam à ſuperſubſtantiali diuinitatis fonte Spiritus ſanctus ſcaturit. Siquidem igitur ſolus Pater diuinitatis fons eſt, quo quidem à Filio, ſanctoq; Spiritu ſegregatur: ſequitur vt ſolus etiam Pater ſit mittens Spiritum ſanctum. Vnde pariter ſequitur, vt veſtrum Latinorum dogma, ex talis tantiq; Doctoris ſententia, non ſolum nequaquam probetur: verum etiam clariſſimè refellatur, ac repellatur. quam quidem ſententiam Magnus Athanaſius in ſermone, qui inſcribitur de æterna Filij, & Spiritus ſancti eſſentia, confirmat. vbi ſolum Patrem teſtatur eſſe fontem Deitatis, quia ipſe ſolus eſt ingenitus. Vt autem fieri non poteſt, vt eſſe ingenitum alicui aliarum perſonarum communicetur: ita etiam fieri non poteſt, vt fons Diuinitatis cum Filio communicetur. ex quo ſequitur vt filius non ſit fons, neq; conſequenter Spiritus ſancti cauſa exiſtat, &c.* Neq; ad hoc valet ly *Omnia quæcunq; habet Pater, mea ſunt*; id enim intelligitur de eſſentialibus ac communicabili-

Digitized by Google

bus: non vero de perſonalibus & incommunicabilibus, cuiuſmodi eſt, eſſe principium perſonale, & fontale *quod*.

Elenchus trigeſimusquintus.

Ecce catholicam doctrinam Gregorij, & Dionyſij, nedum Athanaſij, & Baſilij, gratis tamen & falsò reiectam à mendoſo, ſeu adulterato textu huius Concilij Florentini: Vbi introducitur Ioannes ille Latinus diſſentiens, ac contradicens eiuſmodi doctrinæ SS. Patrum Græcorum. quod contingere non poterat in illo Sapientiſſimo ac Religioſiſſimo Theologo: vt propterea textum mendoſum eſſe ſuſpicandum ſit.

Confirmatur eadem textus adulteratio, nam in hac eadẽ ſeſſ. 21. in principio postquam primum loquutus eſt Marcus Epheſius, reſpondit ſtatim Ioannes Latinus, excandeſcens contra illum, quod loquutus ſit de temporali proceſſione Spiritus ſancti vt ait ibi Ioannes §. *Hac via P. R. qua quidem ad veritatem illuſtrandam progrederis, tenebras potius obducit, quam lucem affert, tam longis orationibus &c. Deinde ad materiam de temporali proceſſione veniſti, in qua neceſſario concludere poſſumus Spiritum ſanctum ex Filio etiam ab æterno procedere, ex eo quod ab eodem temporaliter procedere creditur &c.* Et tamen textus præcedens nullam mentionem facit tam longæ orationis intempeſtiuè introductam de temporali proceſſione Spiritus ſancti. Non ergo eſt legitimus & integer textus hic qui circumfertur.

Præterea non placet illa argumentatio, quam mendoſus iſte textus adſcribit Ioanni Latino §. *Deinde in noſtro hac verba ſequuntur &c. Si quidem igitur accipere eſſe, ac procedere idẽ ſignificant, & Spiritus ſanctus à Filio accipit eſſe & ordinẽ: ergo à Filio procedit, &c.*

Elenchus trigeſimusſextus.

Non valet inquam hæc conſequentia, quia plus infertur in conſequente, quàm ſit poſitum in antecedente. Procedere enim proprie ſignificat eſſe ab aliquo principio perſonali, tanquam Alpha & Omega fontale Trinitatis. Sed de fide eſt quod Filius neq; eſt, neq; eſſe poteſt principiũ perſonale Trinitatis. ergo pariter de fide eſt quod Spiritus ſanctus non poteſt ab eo fontaliter procedere tanquam à perſonali principio *quod* Trinitatis.

Confirmatur quia ab eo Spiritus ſanctus procedit, ad quem per ſe refertur, tanquam ad Alpha & Omega Trinitatis. Sed non refertur ad Filium correlatiuè, niſi ad Patrem per ſe refertur quatenus perſonaliter principiatum (dempta ſemper omni imperfectione) refertur ad ſuum perſonale principium. Cuiuſmodi eſt ſolus Pater, vt fuſius infra. Pater enim alio modo dicitur in humanis, & alio modo dicitur in diuinis. Dicitur autem Pater Patris in diuinis a Pan, & ter, ſeu Pan, & tris id eſt tris Pan, Ter Deus Pan, & Vniuerſalis perſonalis fons. tã per generationem, quã per ſpirationem, quàm etiam per creationem ad extra. Quoniam ergo Filius non eſt perſonale principium, ideo Spiritus ſanctus vt eſt principiatus (dempta imperfectione) non niſi ad ſuum perſonale principium Paternum & vniuerſale correlatiuè refertur.

Obſeruatio ſeſſionis vigeſimæ ſecundæ apud Concilium Florentinum.

CAPVT 8.

IN principio quæſtionis adeſt longa altercatio illa *ſpiritus*, an ſit nominatiui caſus, apud Græcos, vel potius accuſatiui. Vbi licet non diſpliceat opinio Ioannis, quod ſit accuſatiuus. non tamen inde ſequitur, vt Spiritus ſanctus a Filio procedat. quia à Filio accipit eſſe cõcomitanter, non autem illud accipit fontaliter tãquam à principio perſonali, *quod*, vt gratis contendebat Ioannes Latinus. quod antecedens cõceſſit etiam ibi Marcus Epheſus § *Nos non inficiamur P. R. hanc veſtram expoſitionem nominatiui poſſe ſtare, ac verum eſſe, cum omnes in hoc conueniamus, fieri non poſſe, vt abſq; ſpiritu, nos eius dona accipiamus, quandoquidem ſingula eorum cum eodem ſpiritu ſuſcipimus, totus enim Spiritus in ſuis ſingulis donis exiſtit. adhuc tamen expoſitio noſtra vera põt eſſe, &c.*

Ibidem in principio placet illa ratio à Marco Epheſio relata §. *Si Spiritus ſanctus eſt genitus: ecce duo Filij. § Si vero à Filio procedit, ſicut & à Patre: ecce duo Patres hoc eſt Pater, & Filius, &c.* Non enim Spiritus ſanctus procedere poteſt à Patre, niſi qua perſonaliter Deus Pan ter eſt, id eſt vniuerſale & perſonale, ingenitumque principium om-

nis

Digitized by Google

his emanationis. Quod ſi huiuſmodi eſt etiã Filius: Filius ergo erit Pater, ſeu vnũ idemq; perſonale principium Spiritus ſancti principiati (dempta imperfectione) & ſic erunt duo Patres, ſeu duo Pan tris, ideſt duo vniuerſalia principia fontalia, & ingenita ac perſonalia; Hoc autem falſum eſſe patet. Nam Filius, vel eſt idem principium perſonale *quod* cum Patre. & ſic eſt Sabellianum. Vel eſt correlatiua ſpecie principium perſonale diſtinctum à Patre, ſicut eſt realiter correlatiua ſpecie contradiſtincta perſona, & ſic dabuntur duo principia, perſonali correlatiua ſpecie contradiſtincta. quod eſt fere Manichæum.

Inſtantia decima quarta Marci contra Latinos.

Notanda eſt etiam inſtantia illa Marci §. *Fieri id non poteſt P. A. quoniam generare, producereq; non ſunt naturalia & communia, ſed propria, ſeu perſonalia & hypoſtatica ſunt. Vnde ſequitur, ſi Spiritus ſanctus ex Patre, Filioq; producitur, vt ex duabus perſonis producatur, quæ duæ cauſæ ac duo principia eſſent perſonalia.*

Ecce veram, & rectam, ac neceſſariam conſequentiam Marci Epheſij; dato enim quod duæ perſonæ producant Spiritũ ſanctum, reali habitudine productiua, vt *quod*: quis ſapiens, ſeu quis niſi inſipiens, neget eſſe duas cauſas, dempta ſemper omni imperfectione? Et ſi ad intra principium perſonale eſſe debet: & tamen per te dantur duæ perſonæ principiantes quomodo non erunt duo principia perſonalia? num duæ perſonæ eſſe poſſunt vna perſona Sabelliana? vel vnum principium perſonale Sabellianum? At videamus, an Ioannes Latinus acceptet, vel potius neget hanc neceſſariam conſequentiam Marci Epheſij?

Reſpõſio Ioannis Latini.

Hic Ioannes reſpondit §. *Nequaquam P. R. nequaquam. Non enim duo principia, duaſue cauſas in diuinis. Verum vnicum principium, & cauſam profitemur.*

Ecce Ioannem, ſolis verbis, abſq; vlla vera ratione negantem, neceſſariam illam conſequentiam. Addit autem falſam illam rationem §. *Nam Pater, vt Pater, ad Filium refertur: & Filius, vt Filius ad Patrem refertur. At Spiritus ſanctus neq; ad Patrem, neq; ad Filium, qua tales ſunt, refertur, eſt ne ita: vel non?* Ad quod Marcus ironicè reſpondit §. *quid ni?*

Elenchus 37.

Immo id falſum eſt, & contra Sacram Scripturam Io. 16. *Spiritus Veritatis, qui à Patre procedit*, à Patre nimirum verè, & propriè, ac rigoroſè, in ſenſu literali, qua Pater eſt. Vnde eius contraria, ſeu contradictoria, erronea eſt in fide, ſentiendo, & docendo quod Spiritus ſanctus procedit à non Patre, ſeu non procedit à Patre, qua Pater eſt, in Diuinis. id eſt qua eſt vniuerſale principium & fons perſonalis omnis emanationis, tam ad intra, quàm ad extra. Non enim dicitur Pater in diuinis, quaſi Pætir ex Lexicom Græco; ſed quaſi Deus Pan,ter; ſeu quaſi Pan,tris; vt fuſius infra. Item de fide eſt, quod procedit à Filio, qua Filius eſt, ex Io. 16. *Spiritus Paraclitus, quem mittet Pater in nomine meo*; manifeſtando, euangelizandoq; ac confirmando. Nomen autem perſonale Filij, non eſt nomen ſpiratoris: ſed eſt nomen Filij, ac Verbi. Erronea eſt itaq; in fide contraria doctrina, quã falſo introducitur docere Ioannes ille Theologus excellentiſſimus, ac ſatis Catholicus, & orthodoxus, nomine Totius Eccleſiæ Latinæ, vt propterea ab inuidis, ſeu ab hæreticis adulteratum fuiſſe textum Concilij Florentini non ſit dubitandum.

Non dicitur Pater in diuinis, quaſi Pætir ideſt genitor ſeruans genitum.

Fundamentũ Ioannis Latini de vnico principio eſſẽtiali.

Sed obſeruemus aliam rationem eiuſdem Ioannis Latini §. *Porro Spiritus, vt Spiritus, ad ſpirantem refertur; ſpirantes vero ſunt Pater, & Filius; qui vna, eademque ſpiratione, facultateq; productiua Spiritum ſanctum ſpirant, atq; producunt. Qua quidem potentia, facultaſq; productiua, cum vna, eademq; numero ſit, Patris præcipue creditur eſſe, à quo etiam Filius accipit ipſam. Qua ratione dicere ſolemus Patrem & Filium vnicum Spiritus Sancti principium, & cauſam eſſe.*

Elenchus 38.

Ecce multipliciter falſum fundamentum Ioannis Latini. Primo enim ſupponit dari quartam illam formalitatem Spiratoris Dei ad intra, quæ neq; ſit formalitas Patris. neq; ſit formalitas Filij; ſed ſit quarta formalitas, coniuncta cum Deitate, quæque ſecundum quod ipſum per ſe & primario ſpiret: ita vt Pater & Filius non niſi ſecundario, ſeu per accidens negatiuè, ac per aliud ſpirent. Quod infra oſtendemus

Digitized by Google

mus erroneum eſſe in fide; quia ad intra per ſe & ſecundum quod ipſum, actiones primaria denominatione ſunt ſuppoſitorum; & talis formalitas eſſet quarta incommunicabilis perſona; contra primam Io: cap. 5. *Tres ſunt qui teſtimonium dant in cælo*, non autem ſunt quattuor formalitates relatiuæ; neque ſunt quattuor habentes deitatem. Secundo id falſum eſt in fide, quia non diſtinguit inter principium perſonale ad intra, ſeu in perſonalibus; & principium eſsentiale ad extra, ſeu in eſsentialibus. Et cum amor diuinus dupliciter dicatur, eſsentialiter nimirum, & perſonaliter: Patrem & Filium indifferenter ſentit & docet vnam, eandemq; eſse vtriuſq; cauſam, & principium *quod*; tamen erroneum eſt in fide; quia principium eſsentiale & impersonale, quatenus ipſum impersonale, & eſsentiale eſt, non poteſt eſse cauſa (dempta ſemper imperfectione) ſeu principium reali habitudine productiuum ad intra, ſine hæreſi & dihæreſi Ariana. Nam inter producens & productum, ſemper eſt diſtinctio realis. Vnde ſi Pater & Filius, vt ſunt vnus idemq; ſpirator impersonalis & eſsentialis, ſecundum quod ipſum ſpirant; tunc ſpirant tanquam principium eſsentiale *quod*; & ſic Spiritus ſanctus non erit Deus ille eſsentialis, & impersonalis ſpiratiuus ſecundum quod ipſum. hoc autem eſt Macedonianum, ac manifeſtè hæreticum, atq; indignum Ioanne Latino illo, Theologo Religioſiſſimo & doctiſſimo; ac nefas eſt ſentire & docere, id receptum fuiſse in ſynodo Florentina, ſacro approbante Concilio, nomine Totius Eccleſiæ Romanæ. Tertio id falſum eſt, quia ad intra, ſeu in perſonalibus principium perſonale ſimpliciter neceſsario eſse debet, & nullo modo principium eſsentiale eſse poteſt; quia inter producens & productum, ſemper eſt diſtinctio realis. At duæ perſonæ nullo modo eſse poſsunt vnum, idemque principium perſonale, ſine hæreſi Sabelliana. Vt bene inſtat Marcus Epheſius contra Latinos ibidem § *Fieri ne poteſt P. R. vt duæ perſonæ vna ſint cauſa? Nimirum perſonæ coniungi non poſſunt, alioquin verum eſſet dogma Sabellij.* Obſeruemus nunc reſponſionem Ioannis Latini §. *Si me patienter, & æquo animo auſcultaueris P. R facile intelliges, nam vnicam cauſam, vnicum ve principium Patrem in diuinis eſſe profitemur, Filij quidem per generationem, ac Spiritus ſancti per proceſſionem. Porro quoniam Pater in generando Filio ſimul Spiritum ſanctum producit, idcirco Filius ſimul à Patre accipit eſſe, & Spiritum ſanctum producere, non ex ſe ſe, ſed ab illo ſuo Patre accipit eſſe, qua quidem ratione Pater præcipua ſimpliciterq; Sancti ſpiritus cauſa eſt. Non igitur in diuinis duo principia, &c.*

Elenchus trigeſimus nonus

Inſtantia decima quinta cõtra Latinos.

Elenchus quadrageſim.

Ecce contradictionem, & inconſtantiam Ioannis Latini, nomine Totius Eccleſiæ Latinæ deſtruentem, quæ prius conſtruxerat. Dixit enim ſatis aſseueranter prius, Patrem & Filium non ſpirare, qua tales ſunt: ſed qua vnus, idemq; impersonalis & eſsentialis ſpirator Deus ſunt. Nunc vero è contra ait, ac penitus coincidit, & confirmat doctrinam Græcorum, quod ſolus Pater eſt cauſa Filij & Spiritus ſancti (cauſa nimirum dempta imperfectione) quia dum generat ſimul ſpirat, vnde Filius non poteſt ſimul eſse illa vnica cauſa perſonalis, ſeu principium perſonale Spiritus ſancti quæ eſt ipſiſſima doctrina SS. Patrum Græcorum, abſq; vllo diſcrimine.

Cõcluſio Marci Epheſi.

Qua concluſione habita; hiſq; ſic cõceſſis, ait ibidem Marcus §. *Sed de his hactenus.* quia habito intento fine diſputationis ceſsandum eſt. & iam conceſsum eſt Græcis id quod volebunt. At quis prudens putet Ioannem illum Theologum præſtantiſſimum hæc reſpondere potuiſse, ac victas dediſse manus, & ita ſatis indignè ceſſiſse Græcis, & in eorum ſententiam incidiſse, ſeque conſequenter victum eſse conceſſiſse? ah turpe, ac ſtultum eſt id ſibi quemquam perſuadere. & non potius pro certo habere, adulteratum fuiſse à Græcis, ſeu alijs textum hunc Florentinum.

Confirmat ibidem Marcus doctrinam ſuam ex Sancto Gregorio Theologo §. *Ergo redeamus &c.* & paulo infra. §. *Synodi noſtræ prohibuerunt ſub anathemate; ne cui liceret contra mentem, & ſenſum Patrum Græcorum aliquid addere ſymbolo; quaſi diuinaſſent veſtrum hoc dogma futurum eſſe, vt adderetur ly* Filioq; *Et tamen defenſor & propugnator ſecundæ ſynodi S. Gregorius, cognominatus Theologus, in ſermone, qui inſcribitur de nauigatione ex Ægypto, dicit; Omnia quæ Pater habet, ſunt etiam Filij excepta cauſalitate. Vbi Patrem*

à Filio

Digitized by Google

à Filio cauſalitate ſeiungit ſicut Dionyſius fonte &c. Excepto nimirum fonte perſonali, ac cauſalitate perſonali tanquam vnico principio perſonali, ipſi Filio incommunicabile, abſq; hæreſi Sabelliana. quid clarius? quidue rectius dici potuit à Marco Epheſio?

Hinc corruit illud argumentum Ioannis Latini, deſumptum ab Auguſtino, §. Quoniam Pater Epheſie, &c. ac paulo infra §. *B. Auguſtinus 15. lib. de Trin. Magnum Baſilium imitatus ait, A quo habet Filius, vt ſit Deus, ab illo habet vtiq; vt ab ipſo procedat Spiritus ſanctus. habet enim Filius quæcunq; Pater habet &c.* perquæ nimirum Pater remotè generat, ſeu ſpirat.

Immo Filius habet omnia eſſentialia Patris, non autem perſonalia: per quæ Pater proximè generet, ſeu ſpiret. habet etiam Filius à Patre, vt Spiritus ſanctus per ipſum Filium procedat, tanquam per principium *per quod*, non vero habet, neq; habere poteſt, vt Spiritus ſanctus ab ipſo Patre, & Filio procedere poſſit, tanquam vnico Sabelliano principio perſonali *quod*, ſeu primo ſuppoſito. eſt enim procedere in hac materia, ab aliquo tanquam Pro, ideſt Proto, ſeu primo ſuppoſito cedere & fluere, ſeu eſſe. Nam diuinæ actiones ad intra, primaria denominatione ſunt ſuppoſitorum & ſuppoſitalitatum, non autem ſecundaria denominatione, ſicut ad extra. Elenchus 14.

Obſeruatio ſeſſ. 24. apud Concilium Florentinum.

CAPVT 9.

NOn placet quod introducitur docere Ioannes Latinus §. *Filius eandem patriam facultatem, ac naturam habens, eundem Spiritum ſanctum mittere creditur; non tamen vt Pater præcipuè: quandoquidem Pater ipſe radix eſt, & fons diuinitatis exiſtit. Licet autem Pater & Filius ſint duæ hypoſtaſes, vnica tamen natura ſunt, cum qua Sanctus ſpiritus indiſtinctè cognoſcitur, qui ad ſpiratorem refertur; non vero ad Patrem, ſeu Filium, quâ ſunt tales. Præterea Filius ſecundum diuinitatem ad Patrem reſpiciens dixit, (Ego & Pater vnum ſumus) quæ ego in Patre, & Pater in me manet, ergo vnicum principium ſunt Pater & Filius, ſine vlla confuſione perſonarum. Pater ergo Filium generans communicat cum illo ſubſtantiam ſuam, quatenus communicabilis eſt; & Filius ſic acceptam Spiritui ſancto communicat eandem naturam diuinam. hinc ſequitur Patrem vnicum principium & cauſam eſſe Spiritus ſancti, &c.* Falſum ſuppoſitum Ioannis Latini.

Ecce Ioannem gratis & falſo introductum, probantem nomine Totius Concilij Oecumenici, non contradicentis, ſed tacita approbatione cõſentientis, docentemq; quod Pater generet, ſeu ſpiret vt Deus eſt, non vero vt Pater eſt: & conſequenter quod, vt Deus eſt, communicet ſuam naturam, & deitatem Filio, ad hoc vt Filius ſpiret etiam, non quatenus Filius eſt, ſed quatenus Deus eſt, hoc eſt ſola Deitate. quod infra ſuo loco falſiſſimum, nedum erroneum in fide eſſe oſtendemus tam de Filio, quàm etiam de Patre ipſo &c. Non enim ſpirare ſeu generare poteſt Pater ſuâ diuina voluntate ſeu diuina eſſentia vt voluntas, ſeu natura eſt, niſi generet, ſeu ſpiret vt Deus eſt ſubſtantiue, & eſſentialiter, in genere cauſæ, ſeu principij efficientis, quod eſt extrinſecum ipſi producto, quia nil generat ſe ipſum; ſed generat aliud à ſe ipſo; tam in ſuppoſito, quàm in natura, vt in hoc rectè ſentiebat Arius; nec condemnari poterat, neq; in hoc condemnatus eſt nil in falſo ſuo antecedente quod Pater generat vt Deus eſt, non vero vt Pater eſt. Elenchus 42.

In eadem ſeſſ. 24. iterum repetere introducitur Ioannes Latinus quod Spiritus ſanctus non refertur ad Patrem, qua Pater eſt; ſed refertur ad non Patrem, qua non Pater eſt; & qua ſolum Deus ſpirator eſt, & imperſonalis ſecundum quod ipſum. § *Spiritus ad ſpirantem refertur, qui neq; Pater, vt Pater eſt, neq; Filius, vt filius eſt, &c.* Elenchus 45.

Immo hoc expreſſe eſt contra Sacram Scripturam Io. 16. *Spiritus Veritatis, qui à Patre procedit, &c.* A Patre inquam verè, & propriè Patre, in omni rigore, & ſenſu literali, qua Pater eſt in diuinis: non vero, qua non eſt Pater. Contradictorium eſt enim, quod *procedat à Patre, qua Pater eſt*, vt ait Sacra Scriptura: & quod *procedat à non*

Patre,

Digitized by Google

Patre, qua non Pater eſt, quod ais tu, ſeu *non procedat à Patre, qua Pater eſt in diuinis*?

Elenthus 44. Præterea hæreticaliter introducitur Ioannes Latinus defendere Deũ præciſe ſpiratorem, qui ſecundum quod ipſum, non ſit Pater, neq; ſit Filius, ſed ſit quartus habens Deitatem: neq; ſit Deus perſonalis, & tamen perſonam producat, contra illud axioma *Nemo dat, quod non habet*. Nec non ſit Deus imperſonalis, & ingenitus, ac eſſentialis. In Deo .n. quod non eſt perſona, eſt eſſentia: & quod non eſt Deus perſonalis, eſt Deus eſſentialis, & ingenitus. Et ſic dabuntur duo Dei, & duo ingeniti, & duo principia vt *quod*, & ſecundum quod ipſum imperſonaliter productiua; Pater nimirum, reſpectu Filij, & ſpirator Deus reſpectu Spiritus ſancti, qui ſpirator Deus, neq; eſt formaliter Pater, neq; eſt formaliter Filius. quod eſt pluſquam hæreticum.

Vltimo in eadem ſeſſ. 24. aſſignatur ratio, cur Filius ſpirare poſſit, & illa redditur cauſa §. *quia Ego & Pater vnum ſumus, in potentia ſpiratiua, ob vnitatem naturæ diuinæ &c. quia omnia quia Pater habet mea ſunt &c.*

Elenchus 45. Immo eſſentialia nullo modo ſunt proximè & immediatè productiua, neq; vt *quo*, neq; vt *quod*. niſi remote quatenus dant virtutem ipſi ſuppoſito ad generandum, ſeu ſpirandum. Neq; ſolus Pater & Filius ſunt vnum in eſſentialibus; ſed etiam Pater Filius, & Spiritus ſanctus vnum ſunt, tam in remota generatiua potentia, quam in ſpiratiua: quæ eſt ipſa diuina eſſentia ex S. Th. p. p. q. 41. art. 5. In principio itaq; eſſentiali omnes tres diuinæ perſonæ ſunt vnum ad extra. Ad intra enim principium eſſentiale non poteſt eſſe proximè productiuum ſine hæreſi, ac dihæreſi Ariana, diuiſiua entitatis diuinæ. Nam inter producens & productum, ſemper eſt diſtinctio realis. & oppoſitum eſt Arianum, ſiue producat vt *quo*, ſiue producat vt *quod*. Non enim poteſt Pater producere perſonam diuina eſſentia vt quo, niſi producat vt Deus eſt, non vero vt perſona eſt. quia Pater, vt perſona eſt, non conſtituitur Deitate, ſed paternitate, qua proxime generat, ac ſpirat in uirtute Diuinæ eſſentiæ communicandæ formaliter, ſeu in genere principij formalis. & ideo nullo modo concurrentis efficienter, neq; vt *quo*, neq; vt *quod*. quia vt ſic non poſſet eadem numero communicari, ſi efficienter concurreret vt *quo*, ſeu vt *quod*, nihil enim efficienter producit ſe ipſum neque vt *quo*, neque vt *quod*. ſed ſemper inter producens & productum eſt diſtinctio realis, vt bene inſtabat Arius. Vnde eo ipſo, quod Pater generat, ſeu ſpirat Deitate, ſiue vt *quo*, ſiue vt *quod* ſemper generabit vt Deus eſt ſubſtantiue, & eſſentialiter, non vero vt Pater eſt; & ſic perſona producta, non erit Deus ille ſubſtantialis, à quo producta fuit talis perſona ſiue vt *quo*, ſiue vt *quod*. Notandum eſt enim ex ſubtiliſſimo Doctore Scoto in 1. d. 11. q. 1. & alibi quod Forma eſt illa quæ principaliter dat eſſe rei, ac operari. nemo autem dat quod non habet in ſe. Vnde non ſolus intellectus increatus, ſeu creatus intelligit vt quod, per ſe, & ſecundum quod ipſũ, ac primaria denominatione: ſed etiam ſecundaria denominatione dat ipſi ſuppoſito ſeu ipſi Toti, vt intelligat vt *quo*. Sic diuina, ſeu creata voluntas non ſolum vult vt quod primaria denominatione: ſed etiã dat ipſi ſuppoſito vt ſecundaria denominatione velit, vt quo per ipſam voluntatem nimirum, quæ eſt id, quo ipſum ſuppoſitum vult hoc autem differt in actibus eſſentialibus & perſonalibus in Deo, quod in eſſentialibus actiones proxime, & ſecundum quod ipſum ſunt diuinæ eſſentiæ: ſecundario vero ſunt diuinarum perſonarum. E contra autem in perſonalibus, vbi proxime actiones ſunt ſuppoſitorum.

Obſeruatio ſeſſionis 25. ſeu vltima.

PLacet quod ait Beſſarion, & Mitylenenſis Epheſius eadem ſeſſ. 25. §. *Mitylenenſis præſul protulit Magni Maximi ſententiam, nimirum Spiritum ſanctum ſubſtantialiter quidem ex Patre, ineffabiliter vero per Filium procedere. Beſſarion ipſam Maximi ſententiam, quã plurimis ſanctorum auctoritatibus, præſertim Magni Taraſij longa illuſtrauit oratione, &c.* Ecce catholicam doctrinam ſanctorum Patrum Græcorum, circa proceſſionem Spiritus

ritus ſancti à Patre per Filium; ita vt ſolus Pater ſit cauſa perſonalis (demptis imperfectionibus) ac perſonale principium *quod*; Filius vero nullo modo ſit hæc cauſa perſonalis, neq; hoc principium perſonale *quod*, & immediatum; niſi tantum ſit concomitanter mediata cauſa, ſeu mediatum principium *per quod*.

Vnde ibidem dicitur § *Græci à Latinis quæſierunt, an Sancti Maximi literas ſuſcipere vellent, quibus clariſſimè patet, Filium Spiritus ſancti non eſſe cauſam. Quibus Latini reſponderunt, ſe minime credere Filium principem Sancti ſpiritus cauſam eſſe; ſed Patrem vnicam Filij, ſanctiq; Spiritus cauſam profiteri, illius ſecundum generationem; huius vero ſecundum proceſſionem, &c.*

Ecce Latinos reincidentes in dogma SS. Patrum Græcorũ quod ſolus Pater ſit cauſa (demptis ſemper imperfectionibus) Filij, ac Spiritus Sancti; Filius vero non ſit illa princeps cauſa, quæ eſt Pater. Non ergo dari poteſt duplex cauſa, ſeu duplex principium immediatum *quod*, niſi vnum tantum, quod eſt Pater. non ergo Filium eſt cauſa hæc, ſeu principium hoc perſonale, & oppoſitũ eſt hæreticum, ac Sabellianũ. *Elenchus 46*

At deinde ſibi contradicunt Latini. nam mox in decreto totum oppoſitum profitentur nimirum, Patrem & Filium eſſe vnum, idemq; principium *quod*, ſeu cauſam Spiritus ſancti. quod decretum eſt totum oppoſitum eius, quod hic expreſſe profitentur ipſi Latini. *Elenchus 47.*

Immo ibidem immediate Latini ſibi contradicere introducuntur, nam cum conceſſiſſent Græcis ſolum Patrem eſſe cauſam vnicam Spiritus ſancti: ſtatim pœnitentes ſibiq; contradicentes ſic aiunt §. *Patrem vnicam tantum Filij, ſanctiq; Spiritus cauſam eſſe ſe profiteri reſponderunt Latini: Cum autem pateat vnam, eandemq; ſubſtantiam Patris & Filij eſſe; Græci diuiſibilitatem ſubſtantiæ ab hypoſtaſi profitentur, quia ſi Spiritus ſanctus ſubſtantialiter Patris & Filij eſt; ſubſtantia vero ab hypoſtaſi ſeiungi non poteſt; neceſſe eſt, vt Sanctus ſpiritus ex Filij etiam hypoſtaſi procedat, &c.*

Ecce falſam & Arianam rationem, gratis ſub ficto nomine Latinorum introductã ex parte Eccleſiæ Romanæ, ſacro approbante Concilio. Sic enim argumentabatur Arius: ſicut hic argumentari introducuntur ipſi Latini. nimirum, ſubſtantia, ſeu eſſentia Patris & Filij, non poteſt diuidi à perſonis eorum; quia realiter identificatur cum perſona Patris & Filij. ergo dum perſona generat, generat etiam eſſentia; & dum Filius procedit à perſona Patris, procedit etiam ab eſſentia Patris. Et ſimiliter dum Spiritus ſanctus procedit à perſona Patris & Filij, procedit etiam ab eſſentia Patris & Filij ex tali Ariano antecedente ſuppoſito. Et conſequenter ſicut Filius diſtinguitur realiter à Patre, ita etiam & ab eſſentia Patris, quia vnum idemq; indiuiſibiliter, realiterq; eſt ſimul eſſentia Patris, ac perſona Patris. Ita pariter in proceſſione Spiritus ſancti, non poteſt Spiritus ſanctus procedere a perſona Patris & Filij, quin in eodem genere cauſæ procedat ab identificata realiter perſona Patris & Filij: Ergo Spiritus Sanctus realiter diſtinguitur ab eſſẽtia Patris, & Filij, ſicut diſtinguitur realiter à perſona Patris, & Filij quia idem realiter eſt perſona, & eſſentia Patris & Filij impartibilis, & indiuiſibilis. Ex quo vlterius ſequitur vt Filius non ſit Deus ſed realiter diſtinguatur ab eſſentia Diuina generante cum Patre, ſiue vt *quo*, ſiue vt *quod*, ſeu in eodem genere cauſæ efficientis concurrente, ita ad intra, ſicut ad extra; quia inter producens & productum ſemper eſt diſtinctio realis. Quæ eſt ipſiſſima doctrina Arij & Macedonij, docentium quod Filius & Spiritus ſanctus nõ ſint Deus ex falſo illo ſuppoſito; quod nihil producere poteſt Pater, ſeu Filius, quin illud idẽ reali habitudine productiua producat etiam eorum eſſentia diuina indiuiſibilis & realiter eadem cum ipſis perſonis diuinis *vt quo*, & conſequenter quod Pater generet, ſeu ſpiret vt Deus eſt; non vero vt Pater eſt. *Elenchus 48.*

Neq; placet, quod Latini objiciebant contra Græcos contendentes præpoſitionẽ *A, ſeu ex Patre*, diuerſim modo ſignificare ꝙ præpoſitionẽ *Per Filiũ*, § *Latini ſubtiliter reſpondebant dicentes A & Per ſi quidem diuerſa ſignificant neceſſe eſſe, vt in diuinis duæ ſint operationes, altera quidem Patris, quæ eſt (A Patre, ſiue ex Patre) & altera Filij, quæ eſt (Per*

Filium) *quod quam maximum eſt inconueniens.* Nolebant ergo Latini præpoſitionem *Per* ſuſcipere, nam ſignificat inſtrumentaliter, &c.

Elenchus 49. Immo quia diſtinctus eſt modus eſſendi a ſe in Patre, & operandi à ſe, immediatè; ac diſtinctus eſt modus eſſendi ab alio in Filio, ac operandi ab illo, & non à ſe, ſed mediate, & per ſe tantum: ideo diſtincta præpoſitio, ac diſtincta præpoſitionis ſignificatio, iure optimo vtriq; adſcribitur. Patri enim qui ſolus eſt perſonale Alpha & Omega Trinitatis, vt ſuo loco infra conſtabit, ex Sacra Scriptura tribuitur fontalis præpoſitio illa A ſeu Alpha; quia Spiritus ſanctus procedit à Patre immediate, fontaliter & ingenite, tanquam ab Alpha, & Omega Trinitatis Io: 16. *Spiritus Veritatis, qui à Patre procedit.* E cōntra vero quia Spiritus ſanctus non niſi mediatè procedit à Filio, ideſt *per Filium*; ideo ipſi Filio à Sacra Scriptura tribuitur præpoſitio *Per* Io: 1. *Omnia per ipſum facta ſunt.* Vbi erroneum eſt in fide, ſentire & docere, quod ly *Per* ſignificet inſtrumentaliter. Eadem eſt ergo operatio Patris & Filij, non tamen eſt eodem modo, ſed diſtincto modo. Vnde ex Scoto in 1. d. 11. & 12. Spiritus Sanctus procedit à Patre ſimpliciter; ſed a Filio concomitanter tantum.

Elenchus 50. Neq; placet quod introducitur ex parte Latinorum §. *Quoniam Græci ſuſpicantur nos duo principia, duaſue cauſas in Sancta Trinitate profiteri, idcirco hanc habentes ſententiam, anathemate notamus. quandoquidem ipſi credimus Patris & Filij operationem, poteſtatemque mittendi, vnicam Spiritus ſancti cauſam eſſe. Ita vt Filius non ſit diuerſum principium à Patre. Nam Patrem vnicam cauſam, & radicem, ac fontem diuinitatis profitemur eſſe &c.*

Immo cum ad intra cauſa, ſeu principium ſimpliciter perſonale eſſe debeat: hinc eſt, quod Latini admittunt duas cauſas perſonales, realiter diſtinctas; duoq; principia, realiter diſtincta; dum admittunt duas perſonas; correlatiua ſpecie realiter diſtinctas. Vnde nullo modo effugere poſſunt tale anathema ab ipſis contra ſe ipſos latum, tanquam introducentes duas cauſas perſonales, duoq; principia perſonalia. Neq; valet illud effugium quod potentia ſpiratiua, ſeu eſſentia diuina eſt vna & eadem in Patre & Filio. Quia eſſentia, ſeu eſſentialia nullo modo proximè concurrunt, neq; concurrere poſſunt ad generandum, ſeu ſpirandum in genere cauſæ efficientis *quo* ſeu *quod*, ſine hæreſi, aut dihæreſi Ariana: diſtribuendo identitatem, coniunctionemq; diuinæ ſubſtantiæ generantis, ſeu ſpirantis vt *quo*, ſeu vt *quod*, à perſona genita, ſeu ſpirata. Nam inter producens & productum ſemper eſt diſtinctio realis, ſiue producat vt *quo*, ſiue vt *quod*, tam ad intra quam ad extra.

In hac ſeſſione 25. introducitur Marcus Epheſus blaſphemans Sāctos Eccleſię Romanæ non eſſe Sanctos. quod manifeſtum argumentum adulterationis eſt. qui enim fieri poteſt, vt Doctiſſimus Vir ille Marcus Epheſius, ardentiſſimo zelo religionis Chriſti pleniſſimus, talem ac tantam blaſphemiam impiiſſimè protulerit?

Placet autem quod vltimo loco in vltima hac ſeſſione. 25. proteſtatus eſt Patriarcha §. *Ioſeph Patriarcha Conſtantinop. ait, Occidentalium ac Orientalium SS. Doctorum ſcripta diligenter auſcultauimus. quorum alia Sanctum ſpiritum ex Patre, Filioq; alia vero ex Patre, per Filium procedere teſtantur. quia quidem omnia tamet ſi ſignificent idem, nos tamen Græci illud (ex Filioque poſtponentes) Sanctum ſpiritum ex Patre per Filium ab æterno, ſubſtantialiterq; vt ab vnico principio, vel cauſa vnica procedere profitemur; quandoquidem præpoſitio (per,) in Sancti ſpiritus proceſſione cauſam ſignificat.* mediatum nimirum & paulo infra idem repetit §. *Patriarcha Conſtantinopolitanus, Ego noſtrum paternum dogma nec derelinquam, neq; mutabo ſed in eo quouſq; vixero permanebo. Sed quoniam Latini non temere, nec ex ſententia propria; verum Sanctorum autoritatibus adducti, Sanctum ſpiritum ex Patre Filioq; procedere credunt: idcirco eis aſſentior, & cum ipſis coniungor, ac præpoſitionem (Per Filium) Spiritus ſancti cauſam ſignificare concedo &c.* Quid clarius? Ecce quomodo Græci nunquam receſſerunt à proprio dogmate, ſed in hac ſeſſione vltima firmiter adhæſerunt illi ſingulari doctrinæ, quod Spiritus ſanctus procedat à Patre per Filium, tanquam vnico principio perſonali. quod nullo modo intelligi poteſt de Patre & Fi-

lio

lij ſimul, ſine hæreſi Sabelliana, duas perſonas confundente in vnam, ſeu in vnicum principium perſonale.

CAPVT 10.

De vera intelligentia Decreti Eugenij quarti circa proceſſionem Spiritus ſancti.

ET ideo decretum Eugenij Quarti nullo alio modo intelligi poteſt, quod Spiritus ſanctus procedat à Patre & Filio, tanquam vnico principio; niſi intelligatur iuxta mentem, & ſenſum hunc SS. Patrum Græcorum, in quorum fauorem latum fuit tale decretum, nimirum quod Spiritus ſanctus procedat a Patre & à Filio, tanquam vnico principio perſonali, ideſt iuxta Sanctos Patres Græcos *à Patre per Filium*. non enim Pater & Filius in recto eſſe poſſunt vnum idemq; principium perſonale, niſi ſolus Pater ſit in recto, & Filius ſit in obliquo.

Præter quam quod ex Ariano ſenſu hoc infertur. Deum ſubſtantiuè, perſonam eſſe incommunicabiliter numericè; dum generat ſibi ſimile in perſona & in natura, ſicut fit in creatis. Nunquam enim generari poteſt ſimile in natura, quin generetur ſimile in perſona, niſi æquiuocetur in ſignificatione ſimilitudinis, fingendo dari relationem realem ſimilitudinis ad ſe ipſum, ſicut ad non ſe ipſum; ac confundendo ſimilitudinem cum identificatione. quare illa Maxima, Omne agens vniocum generat ſibi ſimile tam in natura, quàm in ſuppoſito; Ariana eſt ſi applicetur æque in diuinis ac in humanis. non enim, generari poteſt ſimilis natura in diuinis ſicuti in humanis cum ſimili perſona. Cæterum ſatis admiror expoſitionem Ieſuitarum, extorquentium ſenſum catholicum talis Decreti, ipſumq; trahentium ad erroneum in fide, ac hæreticalem ſenſum. Dupliciter enim intelligi poteſt Decretum primum Eugenij Quarti, primo ſecundum ſenſum Latinorum in diſputationibus præcedentibus expreſſum: nimirum quod Spiritus ſanctus procedat à Patre & à Filio tanquam vnico ſpiratore Deo, ac vnico principio eſſentiali. Patre nimirum & Filio ſpirantibus vt vnus idemq; ſubſtantiuè Deus ſunt: & hic ſenſus eſt contra Sanctos Patres Græcos, ac hæreticus eſt, iuxta hæreticaliter adulteratas diſputationes omnes & rationes Latinorum, huc vſq; demonſtratas, vt fuſius infra patebit, ex toto Tractatu. Non enim ſpirator Deus ille eſſentialis, & imperſonalis ſecundum quod ipſum, primaria denominatione ſpirare poteſt vt *quod*, quin realiter diuidatur, ac diſtinguatur à perſona producta, ſeu ſpirata quia inter producens & productum ſemper eſt diſtinctio realis; & ſic perſona producta non erit Deus ille ſubſtantiuè ſpirator. Præter quã quod, ille imperſonalis, & eſſentialis Deus, eſſet quarta perſona; nam actiones ad intra ſunt ſuppoſitorum, ſecundum quod ipſum & primaria denominatione ſunt millies ſuppoſitum, ac receptum fuit inter Doctores, omnes ferè. & in ipſo Concilio Florentino. Nec non tertio talis ſpirator Deus, qui neq; formaliter eſt Pater, neque formaliter eſt Filius. eſſet quartus habens Deitatem, contra illud 1. Ioannis 5. *Tres ſunt in cœlo, qui teſtimonium perhibent*, Pater, *Verbum, & Spiritus ſanctus, & hi tres vnum ſunt*. non autem, *hi quattuor vnum ſunt*: ſed tres tantum relatiuæ formalitates dantur, ac dari poſſunt. Mitto etiam quarto quod hic ſpirator Deus; vel erit genitus, vel ingenitus. quicquid dixeris, hæreſeos conuinceris. Mitto vltimo quod iſte ſpirator Deus, erit alius Deus, & aliud principium. Sicut enim Pater ſecundum quod ipſum, eſt cauſa & principium Filij; ita ſpirator ille Deus imperſonalis & eſſentialis, ſecundum quod ipſum, per ſe & immediatè, ac primaria denominatione erit principium Spiritus ſancti. Pater autem ac Filius non niſi ſecundario, & per accidens negatiuè, ſeu per aliud ſpirant per ſe, ſicut ſecundario creant, &c. Et ſic dabuntur duo principia, & duo Ingeniti, ac duo dei, ſecundum doctrinam hanc Ieſuitarum, contra S. Th. p. p. q 33. art. 4. ad 4. § *In omnibus deueniendum eſt ad vnum tantum primum principium; ſicut ponere duos ingenitos, ſeu duos immediatos eſt ponere duos deos &c.* quid clarius?

Quod autem hæc ſit ipſiſſima hæreſis, & doctrina Arij, probantis ex tali antecedente dato, per neceſſariam conſequentiam Spiritum Sanctum, ſeu Filium, creaturam

Filium) *quod quam maximum eſt inconueniens*. Nolebant ergo Latini præpoſitionem *Per* ſuſcipere, nam ſignificat inſtrumentaliter, &c.

Elenchus 49. Immo quia diſtinctus eſt modus eſſendi à ſe in Patre, & operandi à ſe, immediatè; ac diſtinctus eſt modus eſſendi ab alio in Filio, ac operandi ab illo, & non à ſe, ſed mediatè, & per ſe tantum: ideo diſtincta præpoſitio, ac diſtincta præpoſitionis ſignificatio, iure optimo vtriq; adſcribitur. Patri enim qui ſolus eſt perſonale Alpha & Omega Trinitatis, vt ſuo loco infra conſtabit, ex Sacra Scriptura tribuitur fontalis prepoſitio illa A ſeu Alpha; quia Spiritus ſanctus procedit à Patre immediatè, fontaliter & ingenite, tanquam ab Alpha, & Omega Trinitatis Io: 16. *Spiritus Veritatis, qui à Patre procedit*. E contra verò quia Spiritus ſanctus non niſi mediatè procedit à Filio, ideſt *per Filium*; ideo ipſi Filio à Sacra Scriptura tribuitur præpoſitio *Per* Io: 1. *Omnia per ipſum facta ſunt*. Vbi erroneum eſt in fide, ſentire & docere, quod ly *Per* ſignificet inſtrumentaliter. Eadem eſt ergo operatio Patris & Filij, non tamen eſt eodem modo, ſed diſtincto modo. Vnde ex Scoto in 1. d. 11. & 12. Spiritus Sanctus procedit à Patre ſimpliciter; ſed à Filio concomitanter tantum.

Elenchus 50. Neq; placet quod introducitur ex parte Latinorum §. *Quoniam Græci ſuſpicantur nos duo principia, duaſue cauſas in Sancta Trinitate profiteri, idcirco hanc habentes ſententiam, anathemate notamus. quandoquidem ipſi credimus Patris & Filij operationem, potestatemque mittendi, vnicam Spiritus ſancti cauſam eſſe. Ita vt Filius non ſit diuerſum principium à Patre. Nam Patrem vnicam cauſam, & radicem, ac fontem diuinitatis profitemur eſſe &c.*

Immo cum ad intra cauſa, ſeu principium ſimpliciter perſonale eſſe debeat; hinc eſt, quod Latini admittunt duas cauſas perſonales, realiter diſtinctas; duoq; principia, realiter diſtincta; dum admittunt duas perſonas; correlatiua ſpecie realiter diſtinctas. Vnde nullo modo effugere poſſunt tale anathema ab ipſis contra ſe ipſos latum, tanquam introducentes duas cauſas perſonales, duoq; principia perſonalia. Neq; valet illud effugium quod potentia ſpiratiua, ſeu eſſentia diuina eſt vna & eadem in Patre & Filio. Quia eſſentia, ſeu eſſentialia nullo modo proximè concurrunt, neq; concurrere poſſunt ad generandum, ſeu ſpirandum in genere cauſæ efficientis *quo* ſeu *quod*, ſine hæreſi, aut dihæreſi Ariana: diſtribuendo identitatem, coniunctionemq; diuinæ ſubſtantiæ generantis, ſeu ſpirantis vt *quo*, ſeu vt *quod*, à perſona genita, ſeu ſpirata. Nam inter producens & productum ſemper eſt diſtinctio realis, ſiue producat vt *quo*, ſiue vt *quod*, tam ad intra quam ad extra.

In hac ſeſſione 25. introducitur Marcus Epheſus blaſphemans Sãctos Eccleſię Romanæ non eſſe Sanctos. quod manifeſtum argumentum adulterationis eſt. qui enim fieri poteſt, vt Doctiſſimus Vir ille Marcus Epheſus, ardentiſſimo zelo religionis Chriſti pleniſſimus, talem ac tantam blaſphemiam impiiſſimè protulerit?

Placet autem quod vltimo loco in vltima hac ſeſſione 25. proteſtatus eſt Patriarcha §. *Ioſeph Patriarcha Conſtantinop. ait. Occidentalium ac Orientalium SS. Doctorum ſcripta diligenter auſcultauimus. quorum alia Sanctum ſpiritum ex Patre, Filioq; alia vero ex Patre, per Filium procedere teſtantur. quæ quidem omnia tametſi ſignificent idem, nos tamen Græci illud (ex Filioque postponentes) Sanctum ſpiritum ex Patre per Filium ab æterno, ſubſtantialiterq; vt ab vnico principio, vel cauſa vnica procedere profitemur; quandoquidem præpoſitio (per,) in Sancti ſpiritus proceſſione cauſam ſignificat.* mediatum nimirum & paulo infra idem repetit §. *Patriarcha Conſtantinopolitanus, Ego noſtrum paternum dogma nec derelinquam, neq; mutabo ſed in eo quouſq; vixero permanebo. Sed quoniam Latini non temere, nec ex ſententia propria; verum Sanctorum autoritatibus adducti, Sanctum ſpiritum ex Patre Filioq; procedere credunt: iccirco eis aſſentior, & cum ipſis coniungor, ac præpoſitionem (Per Filium) Spiritus ſancti cauſam ſignificare concedo &c.* Quid clarius? Ecce quomodo Græci nunquam receſſerunt à proprio dogmate, ſed in hac ſeſſione vltima firmiter adhæſerunt illi ſingulari doctrinæ, quod Spiritus ſanctus procedat à Patre per Filium, tanquam vnico principio perſonali. quod nullo modo intelligi poteſt de Patre & Fi-

lio

Digitized by Google

lio ſimul, ſine hæreſi Sabelliana, duas perſonas confundente in vnam, ſeu in vnicum principium perſonale.

CAPVT 10.

De vera intelligentia Decreti Eugenij quarti circa proceſſionem Spiritus ſancti.

ET ideo decretum Eugenij Quarti nullo alio modo intelligi poteſt, quod Spiritus ſanctus procedat à Patre & Filio, tanquam vnico principio; niſi intelligatur iuxta mentem, & ſenſum hunc SS. Patrum Græcorum, in quorum fauorem latum fuit tale decretum, nimirum quod Spiritus ſanctus procedat à Patre & à Filio, tanquam vnico principio perſonali, ideſt iuxta Sanctos Patres Græcos à *Patre per Filium*: non enim Pater & Filius in recto eſſe poſſunt vnum idemq; principium perſonale, niſi ſolus Pater ſit in recto, & Filius ſit in obliquo.

Præter quam quod ex Ariano ſenſu hoc infertur. Deum ſubſtantiuè, perſonam eſſe incommunicabiliter numericè, dum generat ſibi ſimile in perſona & in natura, ſicut fit in creatis. Nunquam enim generari poteſt ſimile in natura, quin generetur ſimile in perſona, niſi æquiuocetur in ſignificatione ſimilitudinis, fingendo dari relationem realem ſimilitudinis ad ſe ipſum, ſicut ad non ſe ipſum; ac confundendo ſimilitudinem cum identificatione. quare illa Maxima, Omne agens vniuocum generat ſibi ſimile tam in natura, quàm in ſuppoſito; Ariana eſt ſi applicetur æque in diuinis ac in humanis. non enim, generari poteſt ſimilis natura in diuinis ſicuti in humanis cum ſimili perſona. Cæterum ſatis admiror expoſitionem Ieſuitarum, extorquentium ſenſum catholicum talis Decreti, ipſumq; trahentium ad erroneum in fide, ac hæreticalem ſenſum. Dupliciter enim intelligi poteſt Decretum primum Eugenij Quarti, primo ſecundum ſenſum Latinorum in diſputationibus præcedentibus expreſſum: nimirum quod Spiritus ſanctus procedat à Patre & à Filio tanquam vnico ſpiratore Deo, ac vnico principio eſſentiali. Patre nimirum & Filio ſpirantibus vt vnus idemq; ſubſtantiue Deus ſunt: & hic ſenſus eſt contra Sanctos Patres Græcos, ac hæreticus eſt, iuxta hæreticaliter adulteratas diſputationes omnes & rationes Latinorum, huc vſq; demonſtratas, vt fuſius infra patebit, ex toto Tractatu. Non enim ſpirator Deus ille eſſentialis, & imperſonalis ſecundum quod ipſum, primaria denominatione ſpirare poteſt vt *quod*, quin realiter diuidatur, ac diſtinguatur à perſona producta, ſeu ſpirata quia inter producens & productum ſemper eſt diſtinctio realis; & ſic perſona producta non erit Deus ille ſubſtantiue ſpirator. Præter quã quod, ille imperſonalis, & eſſentialis Deus, eſſet quarta perſona; nam actiones ad intra ſunt ſuppoſitorum, ſecundum quod ipſum & primaria denominatione vt millies ſuppoſitum, ac receptum fuit inter Doctores, omnes ferè. & in ipſo Concilio Florentino. Nec non tertio talis ſpirator Deus, qui neq; formaliter eſt Pater, neque formaliter eſt Filius, eſſet quartus habens Deitatem, contra illud 1. Ioannis 5. *Tres ſunt in cœlo, qui teſtimonium perhibent*, Pater, *Verbum*, *& Spiritus ſanctus, & hi tres vnum ſunt*. non autem, *hi quattuor vnum ſunt*: ſed tres tantum relatiuæ formalitates dantur, ac dari poſſunt. Mitto etiam quarto quod hic ſpirator Deus; vel erit genitus, vel ingenitus. quicquid dixeris, hæreſeos conuinceris. Mitto vltimo quod iſte ſpirator Deus, erit alius Deus, & aliud principium. Sicut enim Pater ſecundum quod ipſum, eſt cauſa & principium Filij, ita ſpirator ille Deus imperſonalis & eſſentialis, ſecundum quod ipſum, per ſe. & immediate, ac primaria denominatione erit principium Spiritus ſancti. Pater autem ac Filius non niſi ſecundario; & per accidens negatiuè, ſeu per aliud ſpirant per te, ſicut ſecundario creant, &c. Et ſic dabuntur duo principia, & duo Ingeniti, ac duo dei, ſecundum doctrinam hanc Ieſuitarum, contra S.Th.p.p.q 33.art.4.ad 4. § *In omnibus deueniendum eſt ad vnum tantum primum principium; ſecus ponere duos ingenitos, ſeu duos immediatos eſt ponere duos deos &c.* quid clarius?

Quod autem hæc ſit ipſiſſima hæreſis, & doctrina Arij, probantis ex tali antecedente dato, per neceſsariam conſequentiam Spiritum Sanctum, ſeu Filium, creaturam

 eſse,

CAPVT II.

Actiones & generationes tranſeuntes ad intra ſine hæreſi & diæreſi Ariana non poſſunt eſſe ſingularium impersonaliter ſecundum quod ipſum ſubſiſtentium: ſeu ſpiratoris Dei, vt ſic, & impersonalis ſecundum quod ipſum.

eſſe patet: Quoniam vero in Concilio Florentino paſſim fit mentio illius difficilis Maximæ Ariſtotelicæ, ex proœmio Metaphyſicorum, *Actiones, & generationes ſunt ſingularium*: id eſt ſuppoſitorum; ideo dilucidanda eſt. Singulare n. impersonale, ad intra, neq; vniuocè, neq; æquiuocè generare poteſt, ſicut æquiuocè generat ad extra. Si n. ad intra generat, ſicut generat ad extrà; tūc vel generaret ſe ipſum, quod eſt impoſſibile, & contradictorium: Vel generaret aliud à ſe ipſo, quod eſt hæreticū, & Arianum: Deus n. impersonalis, & eſſentialis non pōt eſſe aliud à perſona producta ad intra, ſine hæreſi ac diæreſi Ariana, blaſphemante omne agens creatū, & increatum, generare ſibi ſimile in perſona (ſi illam habet) & in natura, eo quod actiones & generationes indifferenter ſint quorumcunq; ſingularium, ſiue perſonalium, ſiue impersonalium. Ex quo hæretico, atq; Ariano ſenſu euertitur myſterium Trinitatis, teſte ipſo Fonſeca in cit. Proœmio Metaphyſicorū. Si enim actiones, & generationes ſunt ſingularium, non verò ſuppoſitorum: ergo Pater generat vt Deus eſt impersonalis: non verò vt Pater eſt, ſeu perſona eſt, & ſic perſona producta non erit Deus ille eſſentialis productor: quia inter producens & productum, ſemper eſt diſtinctio realis, tam ad intra, quàm ad extra. Vnde Ariana, & hæretica eſt illa propoſitio ad intra, *Actiones, ſeu generationes ſunt ſingularium* ſecundum quod ipſum: non autem ſuppoſitorum: quicquid ſui oblitus diſſentiat, ac contradicat Torres, de Trinitate p. p. q. 36. Sunt autem actiones in duplici differentia, aliæ eſſentiales & per ſe, ac ſecundum quod ipſum ſunt proximè, & primario ſolius formæ, & naturæ, vt eſt intelligere, velle, creare &c. in Deo impersonali, Intellectus n. intelligit vt *quod*: ac voluntas vult vt *quod*. licet ſecundario, & vltima denominatione, ſeu per accidens negatiuè ſint ipſius Totius. Pater enim, vt Pater eſt, ſecundario creat ad extra, ac regit, ſeu prædeſtinat, &c. non vero primario, ex S. Th. p. p. q. 45. art. 6. corp. Creat enim Deitate, non vero Paternitate; ſeu creat vt Deus eſt eſſentialis & ſubſtantiuè; non vero vt Pater eſt, ſeu perſonalis Deus adiectiuè. E contra vero ad intra Pater proximè generat, ſeu ſpirat paternitate, vt Pater eſt in Diuinis, non vero Deitate, quia ex Ariſtotile citat. Actiones tranſeuntes & ſubſtentes, ſicut & generationes proximè ſunt ſuppoſitorum, non autem ſunt ipſius formæ, ſeu naturæ; niſi remotè, & vt *quo* principialiter, non cauſaliter. Anima enim neq; filat, neque texit, neq; ædificat cauſaliter vt *quod*, niſi principialiter vt *quo*, quatenus eſt principium motus, dans virtutem ipſi Toti, vt ipſum Totum generet, filet, texat, comedat, ſeu bibat, &c. quia hæ ſunt actiones perſonales Totius, non vero ſunt actiones eſſentiales ipſius ſolius formæ: ideo per ſe, & ſecundum quod ipſum, ac primario & proximè ſunt actiones ipſius ſuppoſiti; & ſecundario, ſeu vltima denominatione, & per accidens negatiuè ſunt ipſius formæ. Hoc autem differt inter naturam creatam, & increatam, quod natura creata in actibus perſonalibus, influit reali productione vt *quo*; & ideo differt realiter vt *quo*, à re producta. E contra vero natura Diuina eſt tantum principium, non autem eſt cauſa, reali habitudine productiua actuũ perſonalium ad intra, neq; vt *quo*, neq; vt *quod*. & ideo nullo modo differt à perſona producta, neq; vt *quo*, neque vt *quod*, Intelligitur ergo Maxima Ariſtotelica, de actibus perſonalibus, & per ſe ſubſiſtentibus vt fuſius infra, ex Suario de Trin. lib. 6. c. 2. num. 8. Et licet in omnibus ſummittam me ſemper correctioni Sanctæ Eccleſiæ Romanæ; & Sanctiſſimi VRBANI OCTAVI: tamen in defectum probationis proprium caput depono in manibus Chriſtianiſſimi Regis Franciæ LVDOVICI XIII. ac Sereniſſimi Principis Veneti FRANCISCI ERIZZO quorum potentiſſimæ protectioni me humillime commendo, &c.

Digitized by Google

VERA VTRIVSQ; ECCLESIÆ CONCORDIA

Circa Proceſsionem Spiritus Sancti fuſius explicata poſt ſynopſim eius.

AVCTORE

IOANNE BAPTISTA CATVMSTRITO,

Italogræco Rhegyno, Sacræ Theologiæ Doctore.

CAPVT I.

Suppoſitio prima, quod Pater non generat, neq; ſpirat notionaliter vt Deus eſt, ſed vt perſona eſt, ſua proprietate perſonali formaliter conſtitutus, ac diſtinctus à formalitate Dei. Vnde proximè non generat, neq; ſpirat Deitate, ſeu aliquo alio eſſentiali Attributo, ſed ſua perſonali proprietate ex ſubtiliſſimo Doctore Scoto.

POſt inſinuatam tantum, leuiterq; prælibatam vnico quaſi aſpectu, & ſynopſi, ipſam quæſtionem; deuenio nunc ad eandem paulo fuſius illuſtrandam, confirmandamq. præmittens aliquot Suppoſitiones, antequam ſtatuam ipſas Concluſiones. Suppono itaq; primo quod Pater in diuinis non generat, neq; ſpirat, vt hic Deus communis, & eſſentialis eſt, ſua Deitate conſtitutus: ſed vt Pater eſt, formaliter contradiſtinctus, ac ſua proprietate perſonali, diſtincta formalitate conſtitutus. Actiones enim diuinæ ad intra, ſeu notionales, ſunt ſuppoſitorum primo & per ſe, & ſecundum quod ipſum. Sicut è contra actiones ad extra, ſeu eſſentiales, ſunt ipſius ſolius diuinæ eſſentiæ, primo, & per ſe, & ſecundum quod ipſum. (Perſonæ enim non niſi ſecundaria denominatione creant ex Sanctus Thoma p. p. quæſt. 45. art.corp.) Probatur ſuppoſitio euidenter. ex abſurdo, nam ſecus verum eſſet dogma Arianũ, quod Pater generando vt Deus eſſentialis eſt, generaret diſtinctum realiter à ſe ipſo: & ſic filius genitus, non eſſet Deus eſſentialiter, quoniam non eſſet perſona identice vnum cum illo Deo eſſentiali generante. nam inter producens & productum ſemper eſt diſtinctio realis. Item quia ſecus, verum eſſet dogma Macedonianum, quod Spiritus ſanctus non eſſet Deus. ſi à ſpiratore Deo eſſentiali ſpiraretur. quia inter producens & productum, ſemper eſt diſtinctio realis. Vnde conſequenter neq; Filius, neq; Spiritus ſanctus erunt Homouſios Patri, ſeu eiuſdem eſſentiæ: ſed ſolum erunt Homoeuſios, & ſimilis diuinæ eſſentiæ Arianæ. ex quo ſuppoſito non animaduerſo, Aduerſarij multa in contrarium ſupponendo, vel decipiunt alios, vel ipſi decipiuntur. Supponunt enim quod Pater generet, aut ſpiret cum Filio, vt ſunt vnum eſſentialiter, ſeu vt ſunt vnus Deus eſſentialis, ipſa diuina eſſentia concurrente reali habitudine vt *quo*, in genere cauſæ ſeu principij efficientis: perſonis autem concurrentibus vt *quod*, & non ſecundum quod ipſum, niſi ſub quarta formalitate Spiratoris, quartæ perſonæ incõmunicabilis, quia actiones perſonales ad in-

Digitized by Google

bus: non vero de perſonalibus & incommunicabilibus, cuiuſmodi eſt, eſſe principium perſonale, & fontale *quod*.

Elenchus trigeſimusquintus.

Ecce catholicam doctrinam Gregorij, & Dionyſij, nedum Athanaſij, & Baſilij, gratis tamen & falsò reiectam à mendoſo, ſeu adulterato textu huius Concilij Florintini: Vbi introducitur Ioannes ille Latinus diſſentiens, ac contradicens eiuſmodi doctrinæ SS. Patrum Græcorum, quod contingere non poterat in illo Sapientiſſimo ac Religioſiſſimo Theologo: vt propterea textum mendoſum eſſe ſuſpicandum ſit.

Confirmatur eadem textus adulteratio, nam in hac eadẽ ſeſſ. 21. in principio poſtquam primum loquutus eſt Marcus Epheſius, reſpondit ſtatim Ioannes Latinus, excandeſcens contra illum, quod loquutus ſit de temporali proceſſione Spiritus ſancti, vt ait ibi Ioannes §. *Hac via P. R. qua quidem ad veritatem illuſtrandam progrederis, tenebras potius obducit, quam lucem affert, tam longis orationibus &c. Deinde ad materiam de temporali proceſſione veniſti, in qua neceſſario concludere poſſumus Spiritum ſanctum ex Filio etiam ab æterno procedere, ex eo quod ab eodem temporaliter procedere creditur &c.* Et tamen textus præcedens nullam mentionem facit tam longæ orationis intempeſtiuè introductam de temporali proceſſione Spiritus ſancti. Non ergo eſt legitimus & integer textus hic qui circumfertur.

Præterea non placet illa argumentatio, quam mendoſus iſte textus adſcribit Ioanni Latino §. *Deinde in noſtro hac verba ſequuntur &c. Si quidem igitur accipere eſſe, ac procedere idẽ ſignificant, & Spiritus ſanctus à Filio accipit eſſe & ordinẽ: ergo à Filio procedit, &c.*

Elenchus trigeſimusſextus.

Non valet inquam hæc conſequentia, quia plus infertur in conſequente, quàm ſit poſitum in antecedente. Procedere enim proprie ſignificat eſſe ab aliquo principio perſonali, tanquam Alpha & Omega fontale Trinitatis. Sed de fide eſt quod Filius neq; eſt, neq; eſſe poteſt principiũ perſonale Trinitatis. ergo pariter de fide eſt quod Spiritus ſanctus non poteſt ab eo fontaliter procedere tanquam à perſonali principio *quod* Trinitatis.

Confirmatur quia ab eo Spiritus ſanctus procedit, ad quem per ſe refertur, tanquam ad Alpha & Omega Trinitatis. Sed non refertur ad Filium correlatiuè, niſi ad Patrem per ſe refertur quatenus perſonaliter principiatum (dempta ſemper omni imperfectione) refertur ad ſuum perſonale principium. Cuiuſmodi eſt ſolus Pater, vt fuſius infra. Pater enim alio modo dicitur in humanis; & alio modo dicitur in diuinis. Dicitur autem Pater Patris in diuinis a Pan, & ter, ſeu Pan, & tris id eſt tris Pan, Ter Deus Pan, & Vniuerſalis perſonalis fons, tã per generationem, quã per ſpirationem, quam etiam per creationem ad extra. Quoniam ergo Filius non eſt perſonale principium, ideo Spiritus ſanctus vt eſt principiatus (dempta imperfectione) non niſi ad ſuum perſonale principium Paternum & vniuerſale correlatiuè refertur.

Obſeruatio ſeſſionis vigeſimæ ſecundæ apud Concilium Florentinum.

CAPVT 8.

IN principio quæſtionis adeſt longa altercatio illa *ſpiritus*, an ſit nominatiui caſus, apud Græcos, vel potius accuſatiui. Vbi licet non diſpliceat opinio Ioannis, quod ſit accuſatiuus. non tamen inde ſequitur, vt Spiritus ſanctus a Filio procedat. quia à Filio accipit eſſe cõcomitanter, non autem illud accipit fontaliter tãquam à principio perſonali, *quod*, vt gratis contendebat Ioannes Latinus. quod antecedens cõceſſit etiam ibi Marcus Epheſus § *Nos non inficiamur P. R. hanc veſtram expoſitionem nominatiui poſſe ſtare, ac verum eſſe, cum omnes in hoc conueniamus, fieri non poſſe, vt abſq; ſpiritu, nos eius dona accipiamus, quandoquidem ſingula eorum cum eodem ſpiritu ſuſcipimus, totus enim Spiritus in ſuis ſingulis donis exiſtit: adhuc tamen expoſitio noſtra vera põt eſſe, &c.*

Ibidem in principio placet illa ratio à Marco Epheſio relata §. *Si Spiritus ſanctus eſt genitus: ecce duo Filij. Si vero à Filio procedit, ſicut & à Patre: ecce duo Patres hoc eſt Pater, & Filius, &c.* Non enim Spiritus ſanctus procedere poteſt à Patre, niſi qua perſonaliter Deus Pan ter eſt, id eſt vniuerſale & perſonale, ingenitumque principium om-

nis

Digitized by Google

his emanationis. Quod ſi huiuſmodi eſt etiã Filius: Filius ergo erit Pater, ſeu vnũ idemq; perſonale principium Spiritus ſancti principiati (dempta imperfectione) & ſic erunt duo Patres, ſeu duo Pan tris, ideſt duo vniuerſalia principia fontalia, & ingenita ac perſonalia; Hoc autem falſum eſſe patet. Nam Filius, vel eſt idem principium perſonale *quod* cum Patre. & ſic eſt Sabellianum. Vel eſt correlatiua ſpecie principium perſonale diſtinctum à Patre, ſicut eſt realiter correlatiua ſpecie contradiſtincta perſona, & ſic dabuntur duo principia, perſonali correlatiua ſpecie contradiſtincta. quod eſt fere Manichæum.

Inſtantia decima quarta Marci contra Latinos.

Notanda eſt etiam inſtantia illa Marci §. *Fieri id non poteſt P. A. quoniam generare, producereq; non ſunt naturalia & communia, ſed propria, ſeu perſonalia & hypoſtatica ſunt. Vnde ſequitur, ſi Spiritus ſanctus ex Patre, Filioq; producitur, vt ex duabus perſonis producatur, quæ duæ cauſæ, ac duo principia eſſent perſonalia.*

Ecce veram, & rectam, ac neceſſariam conſequentiam Marci Epheſij; dato enim quod duæ perſonæ producant Spiritũ ſanctum, reali habitudine productiua, vt *quod*: quis ſapiens. ſeu quis niſi inſipiens, neget eſſe duas cauſas. dempta ſemper omni imperfectione? Et ſi ad intra principium perſonale eſſe debet; & tamen per te dantur duæ perſonæ principiantes quomodo non erunt duo principia perſonalia? num duæ perſonæ eſſe poſſunt vna perſona Sabelliana? vel vnum principium perſonale Sabellianum? At videamus, an Ioannes Latinus acceptet, vel potius neget hanc neceſſariam conſequentiam Marci Epheſij?

Reſpõſio Ioannis Latini.

Hic Ioannes reſpondit §. *Nequaquam P. R. nequaquam. Non enim duo principia, duaſue cauſas in diuinis. Verum vnicum principium, & cauſam profitemur.*

Ecce Ioannem, ſolis verbis, abſq; vlla vera ratione negantem, neceſſariam illam conſequentiam. Addit autem falſam illam rationem §. *Nam Pater, vt Pater, ad Filium refertur: & Filius, vt Filius ad Patrem refertur. At Spiritus ſanctus neq; ad Patrem, neq; ad Filium, quà tales ſunt, refertur, eſt ne ita: vel non?* Ad quod Marcus ironicè reſpondit §. *quid ni?*

Elenchus 37.

Immo id falſum eſt, & contra Sacram Scripturam Io. 16. *Spiritus Veritatis, qui à Patre procedit*, à Patre nimirum verè, & propriè, ac rigoroſè, in ſenſu literali, qua Pater eſt. Vnde eius contraria, ſeu contradictoria, erronea eſt in fide, ſentiendo, & docendo quod Spiritus ſanctus procedit à non Patre, ſeu non procedit à Patre, qua Pater eſt. in Diuinis. id eſt qua eſt vniuerſale principium & fons perſonalis omnis emanationis, tam ad intra, quàm ad extra. Non enim dicitur Pater in diuinis, quaſi Pætir ex Lexicom Græco; ſed quaſi Deus Pan,ter; ſeu quaſi Pan,tris; vt fuſius infra. Item de fide eſt, quod procedit à Filio, qua Filius eſt, ex Io. 16. *Spiritus Paraclitus, quem mittet Pater in nomine meo*; manifeſtando, euangelizandoq; ac confirmando. Nomen autem perſonale Filij, non eſt nomen ſpiratoris: ſed eſt nomen Filij, ac Verbi. Erronea eſt itaq; in fide contraria doctrina. quã falſo introducitur docere Ioannes ille Theologus excellentiſſimus, ac ſatis Catholicus, & orthodoxus, nomine Totius Eccleſiæ Latinæ, vt propterea ab inuidis, ſeu ab hæreticis adulteratum fuiſſe textum Concilij Florentini non ſit dubitandum.

Non dicitur Pater in diuinis, quaſi Pætir ideſt genitor ſeruans genitum.

Fundamentũ Ioannis Latini de vnico principio eſſẽtiali.

Sed obſeruemus aliam rationem eiuſdem Ioannis Latini §. *Porro Spiritus, vt Spiritus, ad ſpirantem refertur; ſpirantes vero ſunt Pater, & Filius; qui vna, eademque ſpiratione, facultateq; productiua Spiritum ſanctum ſpirant, atq; producunt. Quæ quidem potentia, facultaſq; productiua, cum vna, eademq; numero ſit, Patris præcipue creditur eſſe, à quo etiam Filius accipit ipſam. Qua ratione dicere ſolemus Patrem & Filium vnicum Spiritus Sancti principium, & cauſam eſſe.*

Elenchus 38.

Ecce multipliciter falſum fundamentum Ioannis Latini. Primo enim ſupponit dari quartam illam formalitatem Spiratoris Dei ad intra, quæ neq; ſit formalitas Patris. neq; ſit formalitas Filij; ſed ſit quarta formalitas, coniuncta cum Deitate, quæque ſecundum quod ipſum per ſe & primario ſpiret: ita vt Pater & Filius non niſi ſecundario, ſeu per accidens negatiuè, ac per aliud ſpirent. Quod infra oſtendemus

mus erroneum eſſe in fide; quia ad intra per ſe & ſecundum quod ipſum, actiones primaria denominatione ſunt ſuppoſitorum; & talis formalitas eſſet quarta incommunicabilis perſona; contra primam Io: cap. 5. *Tres ſunt qui teſtimonium dant in cælo*, non autem ſunt quattuor formalitates relatiuæ; neque ſunt quattuor habentes deitatem. Secundo id falſum eſt in fide, quia non diſtinguit inter principium perſonale ad intra, ſeu in perſonalibus; & principium eſsentiale ad extra, ſeu in eſsentialibus. Et cum amor diuinus dupliciter dicatur, eſsentialiter nimirum, & perſonaliter: Patrem & Filium indifferenter ſentit & docet vnam, eandemq; eſse vtriuſq; cauſam, & principium. *quod*; tamen erroneum eſt in fide; quia principium eſsentiale & imperſonale, quatenus ipſum imperſonale, & eſsentiale eſt, non poteſt eſse cauſa (dempta ſemper imperfectione) ſeu principium reali habitudine productiuum ad intra, ſine hæreſi & dihæreſi Ariana. Nam inter producens & productum, ſemper eſt diſtinctio realis. Vnde ſi Pater & Filius, vt ſunt vnus idemq; ſpirator imperſonalis & eſsentialis, ſecundum quod ipſum ſpirant; tunc ſpirant tanquam principium eſſentiale *quod*; & ſic Spiritus ſanctus non erit Deus ille eſsentialis, & imperſonalis ſpiratiuus ſecundum quod ipſum. hoc autem eſt Macedonianum, ac manifeſtè hæreticum; atq; indignum Ioanne Latino illo, Theologo Religioſiſſimo & doctiſſimo; ac nefas eſt ſentire & docere, id receptum fuiſse in ſynodo Florentina, ſacro approbante Concilio, nomine Totius Eccleſiæ Romanæ. Tertio id falſum eſt, quia ad intra, ſeu in perſonalibus principium perſonale ſimpliciter neceſsario eſse debet, & nullo modo principium eſsentiale eſse poteſt, quia inter producens & productum, ſemper eſt diſtinctio realis. At duæ perſonæ nullo modo eſse poſsunt vnum, idemque principium perſonale, ſine hæreſi Sabelliana. Vt bene inſtat Marcus Epheſius contra Latinos ibidem § *Fieri ne poteſt P. R. vt duæ perſonæ vna ſint cauſa? Nimirum perſonæ coniungi non poſſunt, alioquin verum eſſet dogma Sabellij.* Obſeruemus nunc reſponſionem Ioannis Latini §. *Si me patienter, & æquo animo auſcultaueris P. R facile intelliges, nam vnicam cauſam, vnicum ve principium Patrem in diuinis eſſe profitemur, Filij quidem per generationem, ac Spiritus ſancti per proceſſionem. Porro quoniam Pater in generando Filio ſimul Spiritum ſanctum producit, idcirco Filius ſimul à Patre accipit eſſe, & Spiritum ſanctum producere, non ex ſe ſe, ſed ab illo ſuo Patre accipit eſſe, qua quidem ratione Pater præcipuè ſimpliciterq; Sancti ſpiritus cauſa eſt. Non igitur in diuinis duo principia, &c.*

Elenchus trigeſimus nonus

Inſtantia decima quinta contra Latinos.

Elenchus quadrageſim.

Ecce contradictionem, & inconſtantiam Ioannis Latini, nomine Totius Eccleſiæ Latinæ deſtruentem, quæ prius conſtruxerat. Dixit enim ſatis aſseueranter prius, Patrem & Filium non ſpirare, qua tales ſunt: ſed qua vnus, idemq; imperſonalis, & eſsentialis ſpirator Deus ſunt. Nunc vero è contra ait, ac penitus coincidit, & confirmat doctrinam Græcorum, quod ſolus Pater eſt cauſa Filij, & Spiritus ſancti (cauſa nimirum dempta imperfectione) quia dum generat ſimul ſpirat, vnde Filius non poteſt ſimul eſse illa vnica cauſa perſonalis, ſeu principium perſonale Spiritus ſancti quæ eſt ipſiſſima doctrina SS. Patrum Græcorum, abſq; vllo diſcrimine.

Cōcluſio Marci Epheſi.

Qua concluſione habita; hiſq; ſic cōceſſis, ait ibidem Marcus §. *Sed de his hactenus*: quia habito intento fine diſputationis ceſsandum eſt. & iam conceſsum eſt Græcis id quod volebunt. At quis prudens putet Ioannem illum Theologum præſtantiſſimum hæc reſpondere potuiſse, ac victas dediſse manus, & ita ſatis indignè ceſſiſse Græcis, & in eorum ſententiam incidiſse, ſeque conſequenter victum eſse conceſſiſse? ah turpe, ac ſtultum eſt id ſibi quemquam perſuadere. & non potius pro certo habere, adulteratum fuiſse à Græcis, ſeu alijs textum hunc Florentinum.

Confirmat ibidem Marcus doctrinam ſuam ex Sancto Gregorio Theologo §. *Ergo redeamus &c.* & paulo infra. §. *Synodi noſtræ prohibuerunt ſub anathemate: ne cui liceret contra mentem, & ſenſum Patrum Græcorum aliquid addere ſymbolo; quaſi diuinaſſent veſtrum hoc dogma futurum eſſe, vt adderetur ly* Filioq; *Et tamen defenſor & propugnator ſecundæ ſynodi S. Gregorius, cognominatus Theologus, in ſermone, qui inſcribitur de nauigatione ex Ægypto, dicit: Omnia quæ Pater habet, ſunt etiam Filij excepta cauſalitate. Vbi Patrem*

à Filio

à Filio cauſalitate ſeiungit ſicut Dionyſius fonte &c. Excepto nimirum fonte perſonali, ac cauſalitate perſonali tanquam vnico principio perſonali, ipſi Filio incommunicabile, abſq; hæreſi Sabelliana. quid clarius? quidue rectius dici potuit à Marco Epheſio?

Hinc corruit illud argumentum Ioannis Latini, deſumptum ab Auguſtino, §. Quoniam Pater Epheſie, &c. ac paulo infra §. *B. Auguſtinus 15. lib. de Trin. Magnum Baſilium imitatus ait, A quo habet Filius, vt ſit Deus, ab illo habet vti q; vt ab ipſo procedat Spiritus ſanctus. habet enim Filius quæcunq; Pater habet &c.* perquæ nimirum Pater remotè generat, ſeu ſpirat.

Immo Filius habet omnia eſsentialia Patris, non autem perſonalia: per quæ Pater proximè generet, ſeu ſpiret. habet etiam Filius à Patre, vt Spiritus ſanctus per ipſum Filium procedat, tanquam per principium *per quod*, non vero habet, neq; habere poteſt, vt Spiritus ſanctus ab ipſo Patre, & Filio procedere poſſit, tanquam vnico Sabelliano principio perſonali *quod*, ſeu primo ſuppoſito. eſt enim procedere in hac materia, ab aliquo tanquam Pro, ideſt Proto, ſeu primo ſuppoſito cedere & fluere, ſeu eſſe. Nam diuinæ actiones ad intra, primaria denominatione ſunt ſuppoſitorum & ſuppoſitalitatum, non autem ſecundaria denominatione, ſicut ad extra. *Elenchus 14.*

Obſeruatio ſeſſ. 24. apud Concilium Florentinum.

NOn placet quod introducitur docere Ioannes Latinus §. *Filius eandem patriam facultatem, ac naturam habens, eundem Spiritum ſanctum mittere creditur; non tamen vt Pater præcipuè: quandoquidem Pater ipſe radix eſt, & fons diuinitatis exiſtit. Licet autem Pater & Filius ſint duæ hypoſtaſes, vnica tamen natura ſunt, cum qua Sanctus ſpiritus indiſtincte cognoſcitur, qui ad ſpiratorem refertur; non vero ad Patrem, ſeu Filium, quæ ſunt tales. Præterea Filius ſecundum diuinitatem ad Patrem reſpiciens dixit, (Ego & Pater vnum ſumus) quia ego in Patre, & Pater in me manet, ergo vnicum principium ſunt Pater & Filius, ſine vlla confuſione perſonarum. Pater ergo Filium generans communicat cum illo ſubſtantiam ſuam, quatenus communicabilis eſt; & Filius ſic acceptam Spiritui ſancto communicat tanquam in naturam diuinam. hinc ſequitur Patrem vnicum principium & cauſam eſſe Spiritus ſancti, &c.* CAPVT 9. *Falſum ſuppoſitum Ioannis Latini.*

Ecce Ioannem gratis & falſo introductum, probantem nomine Totius Concilij Oecumenici, non contradicentis, ſed tacita approbatione cõſentientis, docentemq; quod Pater generet, ſeu ſpiret vt Deus eſt, non vero vt Pater eſt: & conſequenter quod, vt Deus eſt, communicet ſuam naturam, & deitatem Filio, ad hoc vt Filius ſpiret etiam, non quatenus Filius eſt, ſed quatenus Deus eſt, hoc eſt ſola Deitate. quod infra ſuo loco falſiſſimum, ne dum erroneum in fide eſse oſtendemus tam de Filio, quàm etiam de Patre ipſo &c. Non enim ſpirare ſeu generare poteſt Pater ſua diuina voluntate ſeu diuina eſsentia vt voluntas, ſeu natura eſt, niſi generet, ſeu ſpiret vt Deus eſt ſubſtantiue, & eſsentialiter, in genere cauſæ, ſeu principij efficientis, quod eſt extrinſecum ipſi producto, quia nil generat ſe ipſum, ſed generat aliud à ſe ipſo, tam in ſuppoſito, quàm in natura, vt in hoc rectè ſentiebat Arius, nec cõdemnari poterat, neq; in hoc condemnatus eſt niſi in falſo ſuo antecedente quod Pater generat vt Deus eſt, non vero vt Pater eſt. *Elenchus 42.*

In eadem ſeſs. 24. iterum repetere introducitur Ioannes Latinus quod Spiritus ſanctus non refertur ad Patrem, qua Pater eſt; ſed refertur ad non Patrem, qua non Pater eſt; & quà ſolum Deus ſpirator eſt, & imperſonalis ſecundum quod ipſum. § *Spiritus ad ſpirantem refertur, qui neq; Pater, vt Pater eſt, neq; Filius, vt filius eſt, &c.* *Elenchus 43.*

Immo hoc expreſse eſt contra Sacram Scripturam Io. 16. *Spiritus Veritatis, qui à Patre procedit, &c.* A Patre inquam verè, & propriè Patre, in omni rigore, & ſenſu literali, qua Pater eſt in diuinis, non vero, qua non eſt Pater. Contradictorium eſt enim, quod *procedat à Patre, quà Pater eſt*, vt ait Sacra Scriptura: & quod *procedat à non*

Patre,

Digitized by Google

Patre, qua non Pater eſt, quod ais tu, ſeu *non procedat à Patre, qua Pater eſt in diuinis.*

Elenchus 44. Præterea hæreticaliter introducitur Ioannes Latinus defendere Deũ præciſe ſpiratorem, qui ſecundum quod ipſum, non ſit Pater, neq; ſit Filius, ſed ſit quartus habens Deitatem: neq; ſit Deus perſonalis, & tamen perſonam producat, contra illud axioma *Nemo dat, quod non habet.* Nec non ſit Deus imperſonalis, & ingenitus, ac eſſentialis. In Deo .n. quod non eſt perſona, eſt eſſentia: & quod non eſt Deus perſonalis, eſt Deus eſſentialis, & ingenitus. Et ſic dabuntur duo Dei, & duo ingeniti, & duo principia vt *quod*, & ſecundum quod ipſum imperſonaliter productiua; Pater nimirum, reſpectu Filij, & ſpirator Deus, reſpectu Spiritus ſancti, qui ſpirator Deus, neq; eſt formaliter Pater, neq; eſt formaliter Filius. quod eſt pluſquam hæreticum.

Vltimo in eadem ſeſſ. 24. aſſignatur ratio, cur Filius ſpirare poſſit, & illa redditur cauſa §. *quia Ego & Pater vnum ſumus, in potentia ſpiratiua, ob vnitatem naturæ diuinæ &, quia omnia quia Pater habet mea ſunt &c.*

Elenchus 45. Immo eſſentialia nullo modo ſunt proximè & immediatè productiua, neq; vt *quo*, neq; vt *quod*. niſi remote quatenus dant virtutem ipſi ſuppoſito ad generandum, ſeu ſpirandum. Neq; ſolus Pater & Filius ſunt vnum in eſſentialibus; ſed etiam Pater Filius, & Spiritus ſanctus vnum ſunt, tam in remota generatiua potentia, quam in ſpiratiua: quæ eſt ipſa diuina eſſentia ex S. Th. p. p. q. 41. art. 5. In principio itaq; eſſentiali omnes tres diuinæ perſonæ ſunt vnum ad extra. Ad intra enim principium eſſentiale non poteſt eſſe proximè productiuum ſine hæreſi, ac dihæreſi Ariana, diuiſiua entitatis diuinæ. Nam inter producens & productum, ſemper eſt diſtinctio realis. & oppoſitum eſt Arianum, ſiue producat vt *quo*, ſiue producat vt *quod*. Non enim poteſt Pater producere perſonam diuina eſſentia vt quo, niſi producat vt Deus eſt, non vero vt perſona eſt. quia Pater, vt perſona eſt, non conſtituitur Deitate, ſed paternitate, qua proxime generat, ac ſpirat in uirtute Diuinæ eſſentiæ communicãdæ formaliter, ſeu in genere principij formalis. & ideo nullo modo concurrentis efficienter, neq; vt *quo*, neq; vt *quod*. quia vt ſic non poſſet eadem numero communicari, ſi efficienter concurreret vt *quo*, ſeu vt *quod*, nihil enim efficienter producit ſe ipſum neque vt *quo*, neque vt *quod*. ſed ſemper inter producens & productum eſt diſtinctio realis, vt bene inſtabat Arius. Vnde eo ipſo, quod Pater generat, ſeu ſpirat Deitate, ſiue vt *quo*, ſiue vt *quod*, ſemper generabit vt Deus eſt ſubſtantiue, & eſſentialiter, non vero vt Pater eſt; & ſic perſona producta, non erit Deus ille ſubſtantialis, à quo producta fuit talis perſona ſiue vt *quo*, ſiue vt *quod*. Notandum eſt enim ex ſubtiliſſimo Doctore Scoto in 1. d. 11. q. 1. & alibi quod Forma eſt illa quæ principaliter dat eſſe rei, ac operari. nemo autem dat quod non habet in ſe. Vnde non ſolus intellectus increatus, ſeu creatus intelligit vt quod, per ſe, & ſecundum quod ipſũ, ac primaria denomiuatione: ſed etiam ſecundaria denominatione dat ipſi ſuppoſito ſeu ipſi Toti, vt intelligat vt *quo*. Sic diuina, ſeu creata voluntas non ſolum vult vt quod primaria denominatione: ſed etiã dat ipſi ſuppoſito vt ſecundaria denominatione velit, vt quo per ipſam voluntatem nimirum, quæ eſt id, quo ipſum ſuppoſitum vult hoc autem differt in actibus eſſentialibus, & perſonalibus in Deo, quod in eſſentialibus actiones proxime, & ſecundum quod ipſum ſunt diuinæ eſſentiæ: ſecundario vero ſunt diuinarum perſonarum. E contra autem in perſonalibus, vbi proxime actiones ſunt ſuppoſitorum.

Obſeruatio ſeſſionis 25. ſeu vltima.

PLacet quod ait Beſſarion, & Mitylenenſis Epheſius eadem ſeſſ. 25. §. *Mitylenenſis præſul protulit Magni Maximi ſententiam, nimirum Spiritum ſanctum ſubſtantialiter quidem ex Patre, ineffabiliter vero per Filium procedere. Beſſarion ipſum Maximi ſententiam, quã plurimis ſanctorum auctoritatibus, præſertim Magni Taraſij longa illuſtrauit oratione, &c.* Ecce catholicam doctrinam ſanctorum Patrum Græcorum, circa proceſſionem Spi-

ritus

ritus ſancti, à Patre per Filium; ita vt ſolus Pater ſit cauſa perſonalis (demptis imperfectionibus) ac perſonale principium *quod*; Filius vero nullo modo ſit hæc cauſa perſonalis, neq; hoc principium perſonale *quod*, & immediatum; niſi tantum ſit concomitanter mediata cauſa, ſeu mediatum principium *per quod*.

Vnde ibidem dicitur § *Græci à Latinis quæſierunt, an Sancti Maximi literas ſuſcipere vellent, quibus clariſſimè patet, Filium Spiritus ſancti non eſſe cauſam. Quibus Latini reſponderunt, ſe minime credere Filium principem Sancti ſpiritus cauſam eſſe; ſed Patrem vnicam Filij, ſanctiq; Spiritus cauſam profiteri, illius ſecundum generationem; huius vero ſecundum proceſſionem, &c.*

Ecce Latinos reincidentes in dogma SS. Patrum Græcorũ quod ſolus Pater ſit cauſa (demptis ſemper imperfectionibus) Filij, ac Spiritus Sancti; Filius vero non ſit illa princeps cauſa, quæ eſt Pater. Non ergo dari poteſt duplex cauſa, ſeu duplex principium immediatum *quod*, niſi vnum tantum, quod eſt Pater. non ergo Filium eſt cauſa hæc, ſeu principium hoc perſonale, & oppoſitũ eſt hæreticum, ac Sabellianũ. Elenchus 46

At deinde ſibi contradicunt Latini. nam mox in decreto totum oppoſitum profitentur nimirum, Patrem & Filium eſſe vnum, idemq; principium *quod*, ſeu cauſam Spiritus ſancti. quod decretum eſt totum oppoſitum eius, quod hic expreſſe profitentur ipſi Latini. Elenchus 47.

Immo ibidem immediate Latini ſibi contradicere introducuntur, nam cum conceſſiſſent Græcis ſolum Patrem eſſe cauſam vnicam Spiritus ſancti: ſtatim pœnitentes ſibiq; contradicentes ſic aiunt §. *Patrem vnicam tantum Filij ſanctiq; Spiritus cauſam eſſe ſe profiteri reſponderunt Latini: Cum autem pateat vnam, eandemq; ſubſtantiam Patris & Filij eſſe; Græci diu ſibilitatem ſubſtantiæ ab hypoſtaſi profitentur, quia ſi Spiritus ſanctus ſubſtantialiter Patris & Filij eſt; ſubſtantia vero ab hypoſtaſi ſeiungi non poteſt; neceſſe eſt, vt Sanctus ſpiritus ex Filij etiam hypoſtaſi procedat, &c.*

Ecce falſam & Arianam rationem, gratis ſub ficto nomine Latinorum introductã ex parte Eccleſiæ Romanæ, ſacro approbante Concilio. Sic enim argumentabatur Arius, ſicut hic argumentari introducuntur ipſi Latini. nimirum, ſubſtantia, ſeu eſſentia Patris & Filij, non poteſt diuidi à perſonis eorum; quia realiter identificatur cum perſona Patris & Filij. ergo dum perſona generat, generat etiam eſſentia; & dum Filius procedit à perſona Patris, procedit etiam ab eſſentia Patris. Et ſimiliter dum Spiritus ſanctus procedit à perſona Patris & Filij, procedit etiam ab eſſentia Patris & Filij ex tali Ariano antecedente ſuppoſito. Et conſequenter ſicut Filius diſtinguitur realiter à Patre, ita etiam & ab eſſentia Patris, quia vnum idemq; indiuiſibiliter, realiterq; eſt ſimul eſſentia Patris, ac perſona Patris. Ita pariter in proceſſione Spiritus ſancti, non poteſt Spiritus ſanctus procedere a perſona Patris & Filij, quin in eodem genere cauſæ procedat ab identificata realiter perſona Patris & Filij: Ergo Spiritus Sanctus realiter diſtinguitur ab eſſẽtia Patris, & Filij, ſicut diſtinguitur realiter à perſona Patris, & Filij quia idem realiter eſt perſona, & eſſentia Patris & Filij impartibilis, & indiuiſibilis. Ex quo vlterius ſequitur vt Filius non ſit Deus ſed realiter diſtinguatur ab eſſentia Diuina generante cum Patre, ſiue vt *quo*, ſiue vt *quod*, ſeu in eodem genere cauſæ efficientis concurrente, ita ad intra, ſicut ad extra; quia inter producens & productum ſemper eſt diſtinctio realis. Quæ eſt ipſiſſima doctrina Arij & Macedonij, docentium quod Filius & Spiritus ſanctus nõ ſint Deus ex falſo illo ſuppoſito, quod nihil producere poteſt Pater, ſeu Filius, quin illud idẽ reali habitudine productiua producat etiam eorum eſſentia diuina indiuiſibilis & realiter eadem cum ipſis perſonis diuinis *vt quo*, & conſequenter quod Pater generet, ſeu ſpiret vt Deus eſt; non vero vt Pater eſt. Elenchus 48.

Neq; placet, quod Latini obijciebant contra Græcos contendentes præpoſitionẽ *A, ſeu ex Patre*, diuerſim mode ſignificare q̃ præpoſitionẽ *Per Filiũ*, § *Latini ſubtiliter reſpondebant dicentes A & Per ſi quidem diuerſa ſignificant neceſſe eſſe, vt in diuinis duæ ſint operationes, altera quidem Patris, quæ eſt (A Patre, ſiu ex Patre) & altera Filij, quæ eſt (Per*

I *Filium)*.

Filium) *quod quam maximum eſt inconueniens.* Nolebant ergo Latini præpoſitionem *Per* ſuſcipere, nam ſignificat inſtrumentaliter, &c.

Elenchus 49. Immo quia diſtinctus eſt modus eſſendi a ſe in Patre, & operandi à ſe, immediatè; ac diſtinctus eſt modus eſſendi ab alio in Filio, ac operandi ab illo, & non à ſe, ſed mediate, & per ſe tantum: ideo diſtincta præpoſitio, ac diſtincta præpoſitionis ſignificatio, iure optimo vtriq; adſcribitur. Patri enim qua ſolus eſt perſonale Alpha & Omega Trinitatis, vt ſuo loco infra conſtabit, ex Sacra Scriptura tribuitur fontalis prępoſitio illa A ſeu Alpha; quia Spiritus ſanctus procedit à Patre immediate, fontaliter & ingenite, tanquam ab Alpha, & Omega Trinitatis Io: 16. *Spiritus Veritatis; qui à Patre procedit.* E contra vero quia Spiritus ſanctus non niſi mediatè procedit à Filio, ideſt *per Filium*; ideo ipſi Filio à Sacra Scriptura tribuitur præpoſitio *Per* Io: 1. *Omnia per ipſum facta ſunt.* Vbi erroneum eſt in fide, ſentire & docere, quod ly *Per* ſignificet inſtrumentaliter. Eadem eſt ergo operatio Patris & Filij, non tamen eſt eodem modo, ſed diſtincto modo. Vnde ex Scoto in 1. d. 11. & 12. Spiritus Sanctus procedit à Patre ſimpliciter; ſed a Filio concomitanter tantum.

Elenchus 50. Neq; placet quod introducitur ex parte Latinorum §. *Quoniam Græci ſuſpicantur nos duo principia, duaſue cauſas in Sancta Trinitate profiteri, idcirco hanc habentes ſententiam, anathemate notamus. quandoquidem ipſi credimus Patris & Filij operationem, potestatemque mittendi, vnicam Spiritus ſancti cauſam eſſe: Ita vt Filius non ſit diuerſum principium à Patre. Nam Patrem vnicam cauſam, & radicem, ac fontem diuinitatis profitemur eſſe &c.*

Immo cum ad intra cauſa, ſeu principium ſimpliciter perſonale eſſe debeat: hinc eſt, quod Latini admittunt duas cauſas perſonales, realiter diſtinctas; duoq; principia, realiter diſtincta; dum admittunt duas perſonas, correlatiua ſpecie realiter diſtinctas. Vnde nullo modo effugere poſſunt tale anathema ab ipſis contra ſe ipſos latum, tanquam introducentes duas cauſas perſonales, duoq; principia perſonalia. Neq; valet illud effugium quod potentia ſpiratiua, ſeu eſſentia diuina eſt vna & eadem in Patre & Filio. Quia eſſentia, ſeu eſſentialia nullo modo proximè concurrunt, neq; concurrere poſſunt ad generandum, ſeu ſpirandum in genere cauſæ efficientis *quo* ſeu *quod*, ſine hæreſi, aut dihæreſi Ariana: diſtribuendo identitatem, coniunctionemq; diuinæ ſubſtantiæ generantis, ſeu ſpirantis vt *quo*, ſeu vt *quod*, à perſona genita, ſeu ſpirata. Nam inter producens & productum ſemper eſt diſtinctio realis, ſiue producat vt *quo*, ſiue vt *quod*, tam ad intra quam ad extra.

In hac ſeſſione 25. introducitur Marcus Epheſus blaſphemans Sãctos Eccleſię Romanæ non eſſe Sanctos. quod manifeſtum argumentum adulterationis eſt. qui enim fieri poteſt, vt Doctiſſimus Vir ille Marcus Epheſus, ardentiſſimo zelo religionis Chriſti pleniſſimus, talem ac tantam blaſphemiam impiiſſimè protulerit?

Placet autem quod vltimo loco in vltima hac ſeſſione 25. proteſtatus eſt Patriarcha §. *Ioſeph Patriarcha Conſtantinop. ait. Occidentalium ac Orientalium SS. Doctorum ſcripta diligenter auſcultauimus. quorum alia Sanctum ſpiritum ex Patre, Filioq; alia vero ex Patre, per Filium procedere teſtantur. quæ quidem omnia tametſi ſignificent idem, nos tamen Græci illud (ex Filioque poſtponentes) Sanctum ſpiritum ex Patre per Filium ab æterno, ſubſtantialiterq; vt ab vnico principio, vel cauſa vnica procedere profitemur; quandoquidem præpoſitio (per,) in Sancti ſpiritus proceſſione cauſam ſignificat.* mediatum nimirum & paulo infra idem repetit §. *Patriarcha Conſtantinopolitanus, Ego noſtrum paternum dogma nec derelinquam, neq; mutabo ſed in eo quouſq; vixero permanebo. Sed quoniam Latini non temere, nec ex ſententia propria; verum Sanctorum autoritatibus adducti, Sanctum ſpiritum ex Patre Filioq; procedere credunt: idcirco eis aſſentior, & cum ipſis coniungor, ac præpoſitionem (Per Filium) Spiritus ſancti cauſam ſignificare concedo &c.* Quid clarius? Ecce quomodo Græci nunquam receſſerunt à proprio dogmate, ſed in hac ſeſſione vltima firmiter adhæſerunt illi ſingulari doctrinæ, quod Spiritus ſanctus procedat à Patre per Filium, tanquam vnico principio perſonali. quod nullo modo intelligi poteſt de Patre & Filio

lio

Digitized by Google

lio ſimul, ſine hæreſi Sabelliana, duas perſonas confundente in vnam, ſeu in vnicum principium perſonale.

CAPVT 10.

De vera intelligentia Decreti Eugenij quarti circa proceſſionem Spiritus ſancti.

ET ideo decretum Eugenij Quarti nullo alio modo intelligi poteſt, quod Spiritus ſanctus procedat à Patre & Filio, tanquam vnico principio; niſi intelligatur iuxta mentem, & ſenſum hunc SS. Patrum Græcorum, in quorum fauorem latum fuit tale decretum, nimirum quod Spiritus ſanctus procedat à Patre & à Filio, tanquam vnico principio perſonali, id eſt iuxta Sanctos Patres Græcos *à Patre per Filium*. non enim Pater & Filius in recto eſſe poſſunt vnum idemq; principium perſonale, niſi ſolus Pater ſit in recto, & Filius ſit in obliquo.

Præter quam quod ex Ariano ſenſu hoc infertur. Deum ſubſtantiuè, perſonam eſſe incommunicabiliter numericè, dum generat ſibi ſimile in perſona & in natura, ſicut fit in creatis. Nunquam enim generari poteſt ſimile in natura, quin generetur ſimile in perſona, niſi æquiuocetur in ſignificatione ſimilitudinis, fingendo dari relationem realem ſimilitudinis ad ſe ipſum, ſicut ad non ſe ipſum; ac confundendo ſimilitudinem cum identificatione. quare illa Maxima, Omne agens vniuocum generat ſibi ſimile tam in natura, quàm in ſuppoſito; Ariana eſt ſi applicetur æque in diuinis ac in humanis. non enim, generari poteſt ſimilis natura in diuinis ſicuti in humanis cum ſimili perſona. Cæterum ſatis admiror expoſitionem Ieſuitarum, extorquentium ſenſum catholicum talis Decreti, ipſumq; trahentium ad erroneum in fide, ac hæreticalem ſenſum. Dupliciter enim intelligi poteſt Decretum primum Eugenij Quarti, primo ſecundum ſenſum Latinorum in diſputationibus præcedentibus expreſſum: nimirum quod Spiritus ſanctus procedat à Patre & à Filio tanquam vnico ſpiratore Deo, ac vnico principio eſſentiali. Patre nimirum & Filio ſpirantibus vt vnus idemq; ſubſtantiue Deus ſunt: & hic ſenſus eſt contra Sanctos Patres Græcos, ac hæreticus eſt, iuxta hæreticaliter adulteratas diſputationes omnes & rationes Latinorum, huc vſq; demonſtratas, vt fuſius infra patebit, ex toto Tractatu. Non enim ſpirator Deus ille eſſentialis, & imperſonalis ſecundum quod ipſum, primaria denominatione ſpirare poteſt vt *quod*, quin realiter diuidatur, ac diſtinguatur à perſona producta, ſeu ſpirata, quia inter producens & productum ſemper eſt diſtinctio realis; & ſic perſona producta non erit Deus ille ſubſtantiue ſpirator. Præter quā quod, ille imperſonalis, & eſſentialis Deus, eſſet quarta perſona; nam actiones ad intra ſunt ſuppoſitorum, ſecundum quod ipſum & primaria denominatione ſunt millies ſuppoſitum, ac receptum fuit inter Doctores, omnes ferè, & in ipſo Concilio Florentino. Nec non tertio talis ſpirator Deus, qui neq; formaliter eſt Pater, neque formaliter eſt Filius, eſſet quartus habens Deitatem, contra illud 1. Ioannis 5. *Tres ſunt in cœlo, qui teſtimonium perhibent, Pater, Verbum, & Spiritus ſanctus, & hi tres vnum ſunt*. non autem, *hi quattuor vnum ſunt*: ſed tres tantum relatiuæ formalitates dantur, ac dari poſſunt. Mitto etiam quarto quod hic ſpirator Deus; vel erit genitus, vel ingenitus. quicquid dixeris, hæreſeos conuinceris. Mitto vltimo quod iſte ſpirator Deus, erit alius Deus, & aliud principium. Sicut enim Pater ſecundum quod ipſum, eſt cauſa & principium Filij, ita ſpirator ille Deus imperſonalis & eſſentialis, ſecundum quod ipſum, per ſe & immediatè, ac primaria denominatione erit principium Spiritus ſancti. Pater autem ac Filius non niſi ſecundario, & per accidens negatiuè, ſeu per aliud ſpirant per te, ſicut ſecundario creant, &c. Et ſic dabuntur duo principia, & duo Ingeniti, ac duo dei, ſecundum doctrinam hanc Ieſuitarum, contra S. Th. p. p. q 33. art. 4. ad 4. § *In omnibus deueniendum eſt ad vnum tantum primum principium; ſecus ponere duos ingenitos, ſeu duos immediatos eſt ponere duos deos &c.* quid clarius?

Quod autem hæc ſit ipſiſſima hæreſis, & doctrina Arij, probantis ex tali antecedente dato, per neceſſariam conſequentiam Spiritum Sanctum, ſeu Filium, creaturam

 eſſe,

Digitized by Google

VERA VTRIVSQ; ECCLESIÆ CONCORDIA

Circa Proceſſionem Spiritus Sancti fuſius explicata poſt ſynopſim eius.

A V C T O R E

IOANNE BAPTISTA CATVMSTRITO,

Italogræco Rhegyno, Sacræ Theologiæ Doctore.

Suppoſitio prima, quod Pater non generat, neq; ſpirat notionaliter vt Deus eſt, ſed vt perſona eſt, ſua proprietate perſonali formaliter conſtitutus, ac diſtinctus à formalitate Dei. Vnde proximè non generat, neq; ſpirat Deitate, ſeu aliquo alio eſſentiali Attributo, ſed ſua perſonali proprietate ex ſubtiliſſimo Doctore Scoto.

CAPVT I.

POſt inſinuatam tantum, leuiterq; prælibatam vnico quaſi aſpectu, & ſynopſi, ipſam quæſtionem; deuenio nunc ad eandem paulo fuſius illuſtrandam, confirmandamq. præmittens aliquot Suppoſitiones, antequam ſtatuam ipſas Concluſiones. Suppono itaq; primo quod Pater in diuinis non generat, neq; ſpirat, vt hic Deus communis, & eſſentialis eſt, ſua Deitate conſtitutus: ſed vt Pater eſt, formaliter contradiſtinctus, ac ſua proprietate perſonali, diſtincta formalitate conſtitutus. Actiones enim diuinæ ad intra, ſeu notionales, ſunt ſuppoſitorum primo & per ſe, & ſecundum quod ipſum. Sicut è contra actiones ad extra, ſeu eſſentiales, ſunt ipſius ſolius diuinæ eſſentiæ, primo, & per ſe, & ſecundum quod ipſum. (Perſonæ enim non niſi ſecundaria denominatione creant ex Sanctus Thoma p. p. quæſt. 45. art. corp.) Probatur ſuppoſitio euidenter, ex abſurdo, nam ſecus verum eſſet dogma Arianũ, quod Pater generando vt Deus eſſentialis eſt, generaret diſtinctum realiter à ſe ipſo: & ſic filius genitus, non eſſet Deus eſſentialiter, quoniam non eſſet perſona identice vnum cum illo Deo eſſentiali generante. nam inter producens & productum ſemper eſt diſtinctio realis. Item quia ſecus, verum eſſet dogma Macedonianum, quod Spiritus ſanctus non eſſet Deus, ſi à ſpiratore Deo eſſentiali ſpiraretur. quia inter producens & productum, ſemper eſt diſtinctio realis. Vnde conſequenter neq; Filius, neq; Spiritus ſanctus erunt Homouſios Patri, ſeu eiuſdem eſſentiæ: ſed ſolum erunt Homoeuſios, & ſimilis diuinæ eſſentiæ Arianæ. ex quo ſuppoſito non animaduerſo, Aduerſarij multa in contrarium ſupponendo, vel decipiunt alios, vel ipſi decipiuntur. Supponunt enim quod Pater generet, aut ſpiret cum Filio, vt ſunt vnum eſſentialiter, ſeu vt ſunt vnus Deus eſſentialis, ipſa diuina eſſentia concurrente reali habitudine vt *quo*, in genere cauſæ ſeu principij efficientis: perſonis autem concurrentibus vt *quod*, & non ſecundum quod ipſum, niſi ſub quarta formalitate Spiratoris, quartæ perſonæ incõmunicabilis, quia actiones perſonales ad in-

Actiones ad intra ſunt ſuppoſitorũ, ideſt Incommunicabilium.

tra ſunt ſuppoſitorum, ideſt incommunicabilium. Quod autē decipiant pariter, ac decipiantur, fuſius infra patebit, quando petemus ab eis, An hic eorum contradiſtinctus formaliter ſpirator Deus, qui neq; formaliter eſt Pater, neq; formaliter eſt Filius; An inquã ſit ēt Creator Deus? & quot nam dij habentes deitatē dantur in cœlo? num excitanda eſt maledicta Quaternitas Petri Gnafæi, extincta iam, & ferè ſepulta in quinta ſynodo Oecumenica? Iubemus itaq; valere, & male valere, hunc quartum habentē deitatē ſeu maledictam Quaternitatē Petri Gnafæi, ac falſam eorum ſuppoſitionem, quod Pater generet, ſeu ſpiret cum filio, vt ſunt hic Deus eſſentialis ſpirator, non vero vt perſonæ ordinatæ, ac ſine vlla imperfectione ſubordinatæ ſunt, tam in creando ad extra, quàm in ſpirando ad intra, ſub vno tantum principio perſonali paterno. Ita vt ſicut Pater ad extra creat per Filium, ſaltem vltima denominatione: ſic ad intra Pater ſpiret per Filium, non vt ſpirator eſt Deus quartæ formalitatis, ſed vt Pater eſt in diuinis, ideſt Vniuerſale principium, vt fuſius ſuo *lo*lo.

Obiectio 1.

Dices 1. ex S. Th. p. p. q. 41. a. 5. corp. Vniuocũ agens producit ſibi ſimile in *forma*, & perſona qua agit. Forma vero indiuidualis cõſtituit ſolũ perſonã non vero eſt id, quo generat ſibi ſimile: alioquin Pater generaret Patrē; & ſortes ſortem. ergo ſola eſsentia Diuina eſt forma, *qua*, in genere cauſæ, ſeu principij efficientis, Pater agit.

Reſpondeo (*ly Omne agens producit ſibi ſimile in perſona, & in forma proxima qua agit*) falſiſſimũ eſt nã vt ſic omne agens generaret ſe ipſum producendo propriã perſonã, ac peternitatē (*ly Omne agens, producit ſibi ſimile in perſona & in forma remota*; veriſſimũ eſt & hinc eſt quod perſona, ſeu perſonalitas Patris (quæ prior eſt ipſo actu generãdi vt pſona eſt ex S. Th. p. p. q. 40. a. 4. corp.) aſſimilat ſibi filiũ in pſona, natura & creata remotè generãte vt *quo*. Nõ aũt aſſimilat ſibi Filiũ ĩ natura niſi in ſola pſona: ſed identificat ſibi illum in diuina natura, eadem numero, illi communicata, quia non concurrit in generē cauſæ, ſeu principij efficiētis, vt *quo*, neq; vt *quod*: & hoc diſcrimen non aduertentes Aduerſarij in multos errores inciderunt decepti, alioſq; pariter decipiētes.

Obiectio 2.

Dices 2. ex eodem S. Th. cit. ad 1. §. *Per hoc ergo quod dicimus, quod eſſentia diuina eſt principium* quo, *generans generat, non ſequitur, quod eſſentia Diuina diſtinguatur realiter à perſona genita: ſicut ſequeretur, ſi diceretur, quod eſſentia diuina generat vt* quod. Vnde ais falſam eſſe noſtram concluſionem. & ſic ais neque naturam, neque perſonalitatem diuinam diſtingui realiter, a Filio genito, quia vtraq; concurrit vt *quo*, non vero vt *quod*.

Reſpondeo primo ex paritate rationis, neque ad intra, neq; ad extra per te, ſeu per Sanctum Thoman diſtingui realiter diuinam eſſentiam, à re producta; quia tantum per te producit vt *quo*, ita ad intra, ſicut ad extra: Pater enim creat voluntate, vt eſt eſſentia Diuina, ſic & Filius, &c. ſed conſequens eſt falſum & erroneum. ergo & antecedens. Semper enim diſtinguitur realiter natura dum concurrit efficienter vt *quo* ſiue ad intra, ſiue ad extra. ſiue ſit natura diuina, ſiue humana, ſiue perſona.

Reſpondeo ſecundo Sanctum Thomam intelligendum eſſe in genere cauſæ, ſeu principij formalis; quælibet enim perſona diuina, vt Deus eſt, conſtituitur formaliter ipſa diuinitate, in genere ſolius principij formalis; non vero principij efficientis, quod eſſet hæreticum & Arianum; quia inter producens & productum, ſiue vt *quo*, ſiue vt *quod*, tam ad intra, quàm ad extra, ſemper datur diſtinctio realis, & oppoſitum eſt maxima proteruia, ac deceptio fidelium.

Reſpondeo tertio impoſſibile eſſe Diuinam eſſentiam, eandem numero communicari, vt *quo* formaliter Pater, ſeu Filius conſtituitur Deus; & tamen concurrere in genere cauſæ, ſeu principij efficientis vt *quo*, ſeu *quod*. Nam vt ſic, cauſaret ſe ipſam, ac eſſet principium & principiatum, ſeu cauſa & cauſatum (dempta ſemper imperfectione) & ideo Græci rectè in Conc. Florentino à ſeſſ. 18. vſque in finem inſtabant id eſſe impoſſibile, neque vnquam in hoc acquieuerunt Latinis. Efficiens itaque cauſa, ſeu principium *quo*, ſeu *quod*, nunquam coincidere poteſt cum formali cauſa, ſeu principio *quo*, ſeu *quod*. Secus idem præſupponeretur, antequam eſſet, ac produceret

Digitized by Google

ceret ſe ipſum, ſiue vt *quo*, ſiue vt *quod*. Hoc autem eſt imperceptibile, & impoſſibile, nedum falſum, & erroneum in fide.

Suppoſitio ſecunda quod in Deo perſonali datur formalis diſtinctio quo, *&* quod: *ſed in Deo eſſentiali non datur neque dari poteſt talis diſtinctio formalis: quia Diuina eſſentia eſt ſolum ipſe Deus ſubſiſtens vt* quod *eſſentialiter.*

CAPVT 2.

Suppoſitio prima quod in ſolo Deo perſonali non autē in Deo eſſentiali datur diſtinctio illa formalis quo, *&* quod.

SVppono ſecundò, veram, ac ſatis Catholicam eſſe doctrinam S. Th. p. p q. 38. ar. 4. & Scoti in 1. d. 11. q. 1. quod Deus dupliciter dicitur, primo eſſentialiter, vt ratione præciſus ab omni perſona: & vt ſubſiſtentia eſſentiali, ac imperſonali per ſe ſubſiſtens eſt, cuius ſolius per ſe, & ſecundum quod ipſum, ac primaria denominatione ſunt actiones eſſentiales ad extra, vt cum dicimus, *Deus creat, ſeu prædeſtinat, regit; &c. Deus eſt Pater, & Filius, ac Spiritus S. Deus eſt Trinitas; Regi ſæculorū, immortali, & inuiſibili, ſoli Deo honor & gloria; Redemiſti nos Domine Deus veritatis &c.* Nam Pater ſeu Filius per ſe, & ſecundum quod ipſum non creant, niſi per accidens negatiuè, ſeu per aliud & vltima denominatione, quatenus identicè ſunt ille idem Deus eſſentialis, ac imperſonalis, & communis pluribus, qui per ſe, & ſecundum quod ipſum creator eſt. Secundo Deus dicitur notionaliter, ſeu perſonaliter cuius ſolius ſecundum quod ipſum, ſunt notionales, ac perſonales actiones ad intra, in quacumque emanatione. Hoc autem intereſt inter vtramque hanc ſignificationem, quod Deus perſonaliter dicit duo, formaliter ex natura rei diſtincta. Nam Pater, ſeu Filius dicit perſonam incommunicabilem, vt *quod*: ac etiam dicit naturam communem ſeu communicabilem, vt *quo* formaliter conſtituitur diuina perſona. Vnde Pater communicat Filio, ac Spiritui ſancto propriam naturam Diuinam: non communicat autem, neque communicare poteſt propriam perſonam, ſeu perſonalitatem. Quare in Deo notionali, ſeu perſonali ſunt duo, formaliter ex natura rei diſtincta; nimirum *quo*, & *quod*, ſeu pſona. & natura, qua formaliter cōſtituitur in eſſe ſuo diuino Pater, ſeu Filius, ſeu Spiritus ſanctus. E contra vero in Deo eſſentialiter & imperſonaliter nō eſt niſi vnum; nimirum ipſa ſola Diuina eſſentia, per ſe ſubſiſtens: nō autem habet propriam perſonam, nam eſſet Quarta Perſona. Et ideo in ipſo communi Deo eſſentialiter non datur *quo*, & *quod*, formaliter diſtinctum; ſeu natura, & ſuppoſitum, ſicut in Deo notionaliter: quia nulla diſtinctio neque realis, neq; formalis inueniri poteſt ex natura rei inter Diuinam eſſentiam, per ſe ſubſiſtentem vt in concreto, & hunc Deum eſſentialem. Sed Diuina eſſentia, ſemper eſt *quod*, tanquam ſubſiſtens, vt concretum, tam ad intra, quàm ad extra. Et nihil noſtro imperfecto concipiendi modo præſtare poteſt vt *quo*, ipſa diuina eſſentia, in genere cauſæ, ſeu principij efficientis, tam ad intra, quàm ad extra: quin illud idem præſtet vt *quod*: quia licet in Deo perſonali, ex natura rei, ſit diſtinctio formalis inter *quo*, & *quod*, non tamen id contingit diſtingui poſſe formaliter ex natura rei in Deo eſſentiali, in quo eſt vnum tantum nempe hic Deus eſſentialiter ſubſiſtens, ſeu hæc eſſentia per ſe ſubſiſtens. in qua vnitate formali non poteſt aſſignari pluralitas formalis. Creat ergo ipſa Diuina eſſentia, ſeu hic Deus eſſentialis, ac regit, per ſe, & ſecundum quod ipſum, vt *quod*, non vt *quo*, ſic etiam intelligit, & vult vt *quod*, non vt *quo*. & oppoſitum in fide erroneum eſse viſum eſt ſemper ignorantiæ meæ, quia in Deo eſsentiali non eſt *quo*, & *quod*, niſi tantum *quod*. tam ad intra, quam ad extra, quod enim per ſe eſt tale; ſemper eſt tale. Hinc colligo illud corollarium ſatis admirandum. quod Diuina eſsentia, ſeu hic Deus eſsentialis in ſolo genere cauſæ, (dempta ſemper omni imperfectione) ſeu principij formalis concurrere poteſt in conſtitutione Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, nullo autem modo concurrere poteſt in genere cauſæ, ſeu principij efficientis, neque vt *quo*, neque vt *quod*, ſine hæreſi & diæreſi Ariana. quia eodem modo realiter referretur ad rem productam, ſiue vt *quo*, ſiue vt *quod*, eodemque modo realiter diſtingueretur ab ipſa re producta; quia inter producens & productum, ſiue ad extra, ſiue ad intra, ſemper eſt diſtinctio realis, ſiue producat vt *quo*, ſiue vt *quod*,

Dupliciter dicitur Deus primo eſſentialiter; ſecundo perſonaliter.

& ſic perſona producta non erit eiuſdem naturæ Homouſion ſuppoſitum, ſed erit ſimilitu linariu n, atq; Arianum Homoeuſion. Sic etiam ſi per impoſſibile eadem numero natura patr s creati communicaretur filio, tunc nullo pacto concurreret in genere cauſæ efficientis vt *quo*. ſeu *quod*. quia produceret ſe ipſam, ac realiter referretur ad ſe ipſam, realiterq; diſtingueretur â ſe ipſa, quod eſt impoſſibile: ſed ſolum concurreret in genere cauſæ formalis ponendo in Filio, eandem numero naturam Patris. Ita pariter in Diuinis: quia tam in humanis, quàm in diuinis inter producens & productam ſemper eſt diſtinctio & relatio realis, tam ad intra, quàm ad extrá, ſiue producat vt *quo*, ſiue vt *quod*. ſiue eadem numero natura producatur, ſiue eadem ſpecie. Vnde iure, & recte, ac conſequenter colligebat Arius Filium non eſſe Deum eſsentialiter, ſed realiter diſtinctum â Deo eſsentiali productore, ex conceſsa ſuppoſitione illa, quod Filius diceretur genitus ex Diuina eſsentia, in genere cauſę, ſeu principij *quo*, efficientis; quia inter tale producens & productum realiter, ſemper eſt diuiſio naturæ, & diæreſis ac hæreſis Ariana, ac diſtinctio realis in eſſentia & Homoeuſion ſimilitudinariũ, atque Arianum, non vero Homouſion identicũ & Catholicum intercedere poteſt. quod conſequenter tantum recte colligebat Arius, ex falſo antecedente illo dato, ſeu ſuppoſito, quod Filius erat genitus ex diuina natura, atque eſsentia, in genere cauſæ, ſeu principij efficientis *quo*, ſeu *quod*. in Deo enim eſsentiali, vt dictum eſt millies, non poteſt eſse diſtinctio formalis, ſicut in Deo perſonali, ſed, idem eſt *quo*, & *quod*, ex S.Th p.p.q. 29. art. 4. ad 1. & q. 40. art. 1. argumento Sed contra. & articulo 2. Vnde nihil noſtro imperfecto concipiendi modo præſtare poteſt Diuina eſsentia vt *quo*, quin illud idem producat vt *quod*, eadẽ diuina eſsentia, ſeu idem Deus eſsentialiter. Et huius doctrinæ omiſſio, ſeu inaduertentia, ſeu imperitia multos Theologos decepit, ad condemnandum Arium in recta conſequentia ex dato antecedente: & non potius in condemnando falſum ſuppoſitũ antecedens Arij, qui hæreticaliter errabat in antecedente, ſuoq; falſo ſuppoſito, à multis conceſso; non autem errabat in recta conſequentia, ex gratis & falsò conceſso antecedente, ac ſuppoſito, dato tanquam vero. Eſt itaque Deus eſsentialis, inſtar Totius eſsentialis, ſeu ſecundæ ſubſtantiæ per ſe ſubſiſtentis, ac pluribus communicabilis, ſub eodem indiuiduo naturæ Diuinæ: quod nullo modo diſtingui poteſt nec realiter, nec formaliter in ſe, & à ſe. E contra vero Diuina perſona eſt inſtar Totius indiuidualis, ac primę ſubſtantiæ, quæ formaliter diſtinguitur vt *quo*, & *quod*, ſeu vt natura diuina, & ſuppoſitum; cuius actiones perſonales accidunt Deo eſſentiali, & ideo Deus eſsentialis neque generat, aut ſpirat *vt quo*, neque vt *quod*. Sicut prædicata accidentalia ſubſtantiæ primæ accidunt, ſeu extrinſeca ſunt ſubſtantiæ ſecundæ. quod dictum ſit loco exempli; licet exempla nõ valeant in omnibus. non dixi quod eſsencia diuina ſit ſecunda ſubſtantia, ſed inſtar ſecundæ ſubſtantiæ.

Suppoſitio prima quod in Deo perſonali non autem in Deo eſſentiali datur diſtinctio illa formalis, quo & quod.

Arius condẽnari debebat in falſo antecedente: non autem in recta conſequentia, ex gratis dato antecedente.

Paralleli natura creata & finita; cum diuina natura infinita, & increata.

CAPVT 3.

MVltiplex autem diſcrimen intercedit inter hanc ſubſtantiam ſecundam creatam, & increatam. nam primo ipſa ſecunda ſubſtantia creata non ſubſiſtit per ſe, vt *quod*, ſeu non eſt *quod*. ſed eſt id *quo*. vnde neq; agere poteſt aliquid vt *quod*, & ideo ſuam ſubſiſtentiam mendicat à ſubſtantia prima, in qua eſt & per quam ſubſiſtit. Secundo partialiter concurrit vt *quo*, ad omnes actiones Totius compoſiti, quia eſt partialiter vt *quo*. operari enim ſequitur ad eſse rei. quare generat vt *quo*, influxu reali. Tertio diſtinguitur realiter vt *quo* à re producta, & conſequenter refertur realiter vt *quo*, ad rem productam. Quarto aſſimilatur vt *quo* rei productæ, tam in perſona q̃ in natura. Quinto non communicatur eadem numero, quia finita eſt & non habet diſtinctum *quod*, neque diſtinctam ſubſiſtentiam à ſubſiſtentia, ſeu à *quod*. Totius compoſiti. Sexto relata perſona Patris creati ad Filium, refertur etiam realiter ipſa natura Patris, quia nõ habet diſtinctũ *quod*, neq; diſtinctam ſubſiſtentiã, & quia ĕt ab ipſa natura Patris creati vt *quo*, res producta pcedit. Septimo diſtinguitur

tur realiter vt *quo* natura Patris ab ipſa natura Filij, ac ab eadem natura producente vt *quo*, Filius productus diſtinguitur vt *quod*, quia refertur vt *quod* ad eam, quæ non habet diſtinctum *quod*, neque diſtinctam ſubſiſtentiam à perſona patris creati, & finiti. Octauo tam in genere cauſæ efficientis, quam formalis ſemper concurrit vt *quo*, ſeu partialiter. Nono ipſa natura quæ eſt vt *quo*, non poteſt eſſe, neque operari, ſine ſuo correlatiuo *quod*, ſeu ſuo ſuppoſito, à quo recipit ſuam perfectionem & complementum eſſendi, & operandi. Decimo diſtinguitur realiter à ſuo ſuppoſito, ſeu à ſuo *quod*, quia eſt finita, vt patet in myſterio Incarnationis. Vndecimo non habet proprias actiones, niſi per modum partis: nam actiones ſunt ſuppoſitorum per modum Totius, naturæ enim ſunt partialiter, ſeu vt *quo*, quando dicimus Anima intelligit ſeu vult: Homo verò, ſeu Angelus intelligit, ſeu vult vt Totum, ſeu vt *quod*. Duodecimo ſemper eſt vt *quo*, partiale reſpectu ſui *quod*, totalis, ſeu ſui ſuppoſiti.

E contra vero ſe res habet in ſecunda ſubſtantia increata. Nam primo ſubſiſtit per ſe, & vt *quod*, per ſuam ſubſiſtentiam eſſentialem, neq; ſubſiſtentiam mendicat à perſonis. Secundo non operatur vt *quo*, ſeu partialiter, vllas actiones productiuas, neq; ad intra, neq; ad extra. quia non eſt vt *quo*. Operari enim ſequitur ad eſſe Vnde ad extra creat vt *quod*, & realiter diſtinguitur à re producta, vt *quod*, ad intra vero nil producit vt *quo*, ſeu vt *quod*, nam tunc eſſentia generaret, ſeu ſpiraret aliud à ſe. nihil enim generare poteſt ſe ipſum. neq; vt *quo*, neq; vt *quod*. & ideo quòmodocunque generet, ſeu ſpiret ipſa diuina natura, ſemper generabit aliud à ſe. Tertio non diſtinguitur realiter vt *quo*, à perſona producta ad intra: neque refertur realiter vt *quo*, ad eandem perſonam, ſeu ad rem productam ad extra, quia neque illam producit vt *quo*. Sed ad extra producit vt *quod*. Ad intra vero, nihil producit neque vt *quo*, neque vt *quod*, quia tunc non poſſet producere ſe ipſam, ſed aliud à ſe ipſa. & ſic Filius genitus, ſeu Spiritus ſanctus productus ab ipſa diuina eſſentia eſſet aliud ab ea, quod eſt hæreticum. Quarto nullo modo diuina eſſentia aſſimilatur perſonæ productæ, vt fit in creatis, ſed omnino identificatur ei. quia non concurrit vt *quo*, ſeu vt pars conſtitutiua Totius: ſed vt Totum ipſum eſſentiale *quod*, & identicum cum qualibet perſona, quæ tranſit in eſſentiam, ſi comparetur cum eſſentia. Quinto communicatur eadem numero, quia infinita eſt, omnemque realitatē eſſentialiter identificare ſibi debet; & quia habet diſtinctum *quod*, & diſtinctā ſubſiſtentiam à perſona producente. Sexto relata perſona ad ſuum correlatiuum, ipſa non refertur ad Filiū, quia res producta à ſola perſona Patris ad intra procedit, nullo autem modo procedit ab eſſentia, neq; vt *quo*, neq; vt *quod*, & ideo neq; ad eam refertur vt *quo*, neq; vt *quod*. Septimo non diſtinguitur realiter, diuina natura Patris à Filio, ſed eadem numero communicatur, quia infinita eſt, & vna eſt, ac totalis eſt & vt *quod*: non vero eſt partialis & finita, ſeu vt *quo*. Octauo non ſolum in genere cauſæ, ſeu principij efficientis ad extra producit, ſeu creat, ſeu intelligit, & vult vt *quod*, non autem vt *quo*: ſed etiam ad intra in genere cauſæ, ſeu principij formalis concurrit vt *quod*, conſtitutiuum Patris, ſeu Filij, ſeu Spiritus ſancti: non ſolum ob infinitam ſimplicitatem Dei, ſed etiam quia perſona comparata cum diuina eſſentia, tranſit in eſſentiam vnam, eãdemq; ſimpliciſſimam. Licet ob imperfectionem noſtri modi concipiendi & intelligenda illa infinita & incomprehenſibilia myſteria, à nobis diſtinguatur in *quo*, & *quod*. In Deo enim non eſt talis diſtinctio *quo*, & *quod*, ſicut in nobis creatis ex S.Th.p.p q.29. art.4. ad 1. & q.40.a.1. & 2. ſed potius in Deo eſſentiali eſt vnicum *quod*. & in Deo perſonali eſt duplex ſubſiſtentia, & cõſequenter eſt duplex *quod*, alterum eſſentiale, & alterum perſonale. quod comparatum ad eſſentiam, tranſit in eſſentiam; comparatum vero ad correlatiuam perſonam, permanet, ac tantum formaliter diſtinguitur à quod eſſentiali. Nono ipſa natura Diuina vt infinita operatur per ſe, & ſecundum quod ipſum primaria denominatione vt *quod* ad extra. ſiue in eſſentialibus, nam creat vt *quod*, intelligit, & vult, ſeu prædeſtinat vt *quod*. Perſonæ enim per accidens negatiuè, ſeu vltima denominatione

creant

creant, ſeu intelligunt, ex S.Th.p.p.q.36.art.4.ad 7.& q.45.art 6.quatenus identicè ſunt hic Deus eſſentialis. non enim à perſonis mendicat complementum, ſeu perfectionem ſuam eſſendi, & operandi. Decimo non diſtinguitur realiter à ſuppoſitis, quia eſt infinita, omnemque realitatem illorum ſub eſſe eſſentiali præhabere debet. Vndecimo habet proprias actiones eſſentiales, primaria denominatione ſibi ſoli cõuenientes, per ſe, & ſecundum quod ipſum. ipſa enim Diuina eſſentia creat vt Totum, & vt *quod*, non vero partialiter & vt *quo*. Nam perſonæ creant per accidens negatiue, ſeu per aliud, quatenus identicè ſunt hic Deus eſſentialis. Duodecimo ipſa Diuina eſſentia tam ad intra, quam ad extra ſemper eſt vt *quod* per ſe ſubſiſtens, eſſentialiter, & vt Totum: non vero vt pars, ſeu vt *quo*, niſi imperfecto noſtro concipiendi modo. Intelligimus enim Patrem increatum, ſicut & creatum vt conſtitutum ex ſua perſona vt *quod*, ac ſua natura ſubſiſtente vt *quo* in ipſa perſona, non diſtinguentes *quod*, perſonale à *quod* eſſentiale: neque diſtinguentes ſubſiſtentiam perſonalem à ſubſiſtẽtia eſſentiali. Ex his patet cur nulla perſona realiter referatur ad eſſentiam Diuinam, neque realiter ab illa diſtinguatur, neque vt *quo*, neque vt *quod*; quia nimirum nulla perſona procedit ab eſſentia Diuina, neque vt *quo*, neq; vt *quod*. Diſtinctio enim realis, ſeu relatio realis vt *quo*, ſeu vt *quod*, in diuinis non aliunde habetur, niſi à vera proceſſione, & productione reali. Cũ enim nil generare, ſeu producere poſſit ſe ipſum: tunc ſi aliquid generat, ſeu producit, erit aliud à ſe ipſo, quocunque modo generet, ſeu producat, ſiue vt *quo*, ſiue vt *quod*; & ſiue ad intra, ſiue ad extra. Hinc etiam patet quod nulla perſona Diuina procedere poteſt à ſua eſſentia communi, nã diſtingueretur à ſe ipſa. In eſſentia autẽ vt eſt in Patre, & eadem eſsentia vt eſt in Filio, ſeu Spiritu ſancto, non datur aliqua diſtinctio, neq; realis, neq; formalis. Vnde id quod procedit à ſua eſsentia procedit à ſe ipſo; & quod procedit à ſua eſſentia vt *quo*, procedit etiam à ſe ipſo vt *quod*, præſertim in doctrina Sancti Thomæ, maximam ſimplicitatem & vnitatem dantis inter eſſentiam, & perſonam, neque diſtinctionem formalem, ſeu ex natura rei admittentis, niſi ſolam diſtinctionem rationis. Hinc etiam patet cur Pater communicat ſuam naturam, non vero ſuã perſonam, ac perſonalitatem, & cur eſſentia diſtinguatur formaliter a perſona, licet realiter ſint idem. Nimirum quia eſsentia habet ſuum diſtinctum quod eſsentiale, ac diſtinctam ſubſiſtentiam ſuam eſsentialem a *quod*, perſonali, & à ſubſiſtentia perſonali. Vnde communicata eſsentia, non communicatur perſona; ac relata perſona non refertur eſsentia. Hinc patet vltimo, quàm inepta, & falſa ſit illa paritas Aduerſariorũ, quia nimirũ, *Omne agẽs creatũ, agit ſibi ſimile in perſona, & natura, qua agit: ideo etiam Pater in diuinis generat ſibi ſimile in natura Diuina, qua agit, &c.* quæ multipliciter eſt falſa & Ariana paritas. Nã Pater creatus agit ſibi ſimile in pſona, & natura, cũ relatione & diſtinctione reali ſimilis ad ſimilẽ naturã. Sed in Deo nulla eſt relatio neq; diſtinctio realis ſimilis perſonę & naturæ ad ſimilẽ naturã neq; datur Arianũ Homoeuſion. Sed eſt eadem numero cõmunicata natura. Eiuſdem vero ad idem non eſt relatio, niſi rationis noſtræ imperfectæ. Secundo natura creata concurrit vt quo & partialiter in genere cauſæ efficientis, quia eſt vt *quo*, & quod eſt tale, ſemper eſt tale, & non poteſt concurrere vt, *quod*, & ideo diſtinguitur realiter a perſona producta, ac realiter ad illam refertur. Quod falſiſſimum eſt in natura Diuina, quæ ſemper eſt *quod*, & Totum eſſentiale per ſe ſubſiſtens, & non poteſt ad intra eſse productiua vbi eadem numero communicari debet. & ſi eſset productiua tunc cum Ario aliud à ſe producere deberet. Nã inter producens & productum ſemper eſt diſtinctio realis. Et nihil ſeipſum producere poteſt neq; vt *quo*, neq; vt *quod*, Præter quam quod in Deo non eſt *quo*, & *quod*, ſeu Totum & pars, niſi noſtro imperfecto modo concipiendi ex S.Th.p.p q.29.art.4.ad 4.& q.40.art.1.& 2. Vnde iure optimo Græci in Conc. Florentino a ſeſs.18. vſq; in finem Ioanni Latino tria ſubſtantiarum genera in Diuinis inuehenti ex Ariſtotile quinto Metaphyſ. ſemper reſtiterunt, ac negarunt Spiritum ſanctum produci potuiſse a Diuina natura, ſeu eſsentia concurrente

l) Omne agens vniuocum generat ſibi ſimile in perſona & natura falſum eſt in Diuinis.

rente in genere cauſæ, ſeu principij efficientis, ſiue vt *quo*, ſiue vt *quod*. quia tunc fuiſſet ſimul cauſa & cauſatum, ac producens & productum. Nihil enim producere poteſt ſe ipſum neq; vt *quo* neq; vt *quod*. nam præſupponeretur ante ſe ipſum, ſiue vt *quo*, ſiue vt *quod*, ſed neceſsario producere debet aliud, realiter diſtinctum à ſe ipſo, vt bene, & rectè inferebat Arius, conſequenter introducendo Homoeuſion ſimilitudinarium: ac reijciendo Homouſion conſubſtantiale ex tali ſua ſuppoſitione; qui non fuit condemnatus, nec potuiſset condẽnari in recta & neceſsaria ſua conſequentia, dato ſuo antecedente, quod Filius genitus fuit à Patre vt *quod*, ipſa Diuina eſsẽtia concurrente vt *quo*, in genere cauſæ, ſeu principij efficientis vt *quo*. Sed condẽnatus fuit, ac debuit condemnari in illo ſuo antecedenti falſo & erroneo in fide. quod Filius genitus fuit & proceſſit à Diuina eſsentia concurrente vt *quo*, in genere cauſæ (dempta ſemper omni imperfectione) ſeu principij efficientis *quo*. nam vt ſic Diuina eſsentia genuiſset aliud à ſe: dum non potuit generare ſe ipſam, neq; vt *quo*, neq; vt *quod*. Hæc omnia magis eluceſcent, ſi ſtatuetur verum & firmum, quòd Pater nõ generat, neq; ſpirat vt Deus; ſed vt pſona, ac perſonalis eſt ſua ꝓprietas: ita nec ſpirat Filius. Vnde ſunt duo ordinati, ac realiter diſtincti ſpiratores vt *quod*, ſicut ſunt duæ diſtinctæ & ordinatæ perſonæ. Suppoſito quod ad intra, ſpirator ſecundum quod ipſum, eſse debeat perſonalis, & ſubſtantiuè talis. Vnde Hilarium non intelligo neque gloſso cum S. Th. p. p. q. 36. art. 4. ad 7 quod loquatur de Patre & Filio ſpiratoribus adiectiuè, ſed de ſpiratoribus ſubſtantiuè, non enim ſpirant vt Deus eſsentialis, ſed vt ſunt perſonæ ſua proprietate perſonali conſtitutæ, ac vt ſua proprietate perſonali ſunt operatiuæ. Sic ad extra Pater vltima denominatione creat vt Pater eſt, ſeu perſonalis Creator eſt, non vt Deus eſt. ita & Filius, vt Filius eſt, ſua perſonali proprietate conſtitutus, creat vt principium *Per quod*: non vero vt Deus eſt. nam vt ſic creat; vt vnus eſt cum Patre; ſeu vt indiſtinctus eſt in perſonis. Scio alicui Thomiſtæ diſplicere poſse quod aſsero Filium non eſse idem ſpiratiuum Principium *quod* cum Patre. Sed ſuppoſito quod ad intra actiones ſunt ſuppoſitorum ſm̃ quod ipſum, ſeu per ſe, & primaria denominatione: item ſuppoſito quod non poſſunt dari duo principia perſonalia, neq; ad intra, neq; ad extra, ſecus eſsent duo Dei ſubſtantiuè; Item ſuppoſito ex S. Th. p. p. q. 33. art. 4. ad 4. § *In omnibus deueniendum eſt ad vnum tantum primum ingenitum & immediatum, ſecus eſſent plures Dei, &c.* facile eſt perſuadere, quod Filius non ſit idem principium perſonale *quod* cum Patre; quia eſset eadem Sabelliana perſona prima Patris, dum eſt idem cum Patre perſonale principium Spiritus ſancti.

Arius non fuit condemnatus nec potuiſſet condemnari in ſua recta cõſequentia Ariani Homoeuſij ſimilitudinarij dato antecedente.

Suppoſitio tertia. Idem eſt Spiritum Sanctum procedere a Filio & per Filium, tanquam per principium de principio & mediatum. Sed non eſt idem Spiritum ſanctum procedere à Patre, & per Patrem, tanquam per principium de principio mediatum, & genitum, ſicut ſe habet Filius.

SVppono tertiò idem eſse Spiritum ſanctum procedere à Filio, & per Filium; quia id habet ex vi ſuę proceſſionis, vt omnia non implicantia per ipſum facta ſint notificabilia, tam ad intra, quàm ad extra, ac ſint à Patre per Filium producibilia, & ad Patrẽ referibilia per Filium. Sed nõ eſt idẽ procedere à Patre & per Patrem, quia id non habet Pater ex vi ſuæ ingenitæ fontalitatis, ſeu innaſcibilitatis, vt per ipſum, tanquam per mediatum principium de principio omnià non implicantia procedant: ſicut ſpecialiter habet Filius & fuſius probat S. Th. p. p. q. 39. art. 8. ex illo Io: 1. *Omnia per ipſum facta ſunt.* & ideo in Concilio Florentino, Decreto primo definitum eſt, idem ſentire & docere Eccleſiam Græcam, quod ſentit eccleſia Latina, circa proceſſionem Spiritus ſancti, ſiue dicendo *A Filio, ſiue per Filium*. Non tamen id, docui idem eſse de *Patre, & per Patrem*, ad contradiſtinctionem principij Filialis geniti ac mediati, ab immediato, & ingenito fonte Paterno, vno, & ſolo Alpha & Omega

CAPVT 4.

ga

Suppoſitio ſecunda.

Principiatum & cauſatum dito de more græco. id eſt dempta ſemper omni imperfectione, quo ſenſu idem eſt apud Græcos cauſa & principium, realiter productiuũ ſine imperfectione.

ga perſonali in principiando, cui per ſe conuenit fontalis illa præpoſitio *A*, ſeu *Alpha*. In omnibus enim reſoluendum, ac deueniendum eſt ad vnum tantum primũ, & immediatum fontem, & principium ex S.Th. p.p.q 33.a. 4.ad 4. Huius rationem aſſignat S.Th. p.p.q 36.art.2.& 3. quia ait, *Vbi eſt multitudo realis, ibi eſt confuſio, niſi adſit realis ordo*. E contra vero, vbi eſt ordo, ibi eſt principium ac principiatum; ſeu principium. medium, & finis (quod fuſius confirmat Fonſeca in Metaphyſica lib. 5. de principijs.) nec non ibi eſt proceſsus, ſeu actio ordinata id eſt immediata ſimul, & mediata, ſeu ſubordinata (dempta ſemper omni imperfectione) immediata inquam proceſſio, reſpectu primi, ſeu principij fontalis & ingeniti ſeu Paterni: mediata vero proceſſio reſpectu mediæ, vel ſecundæ perſonæ.. Semper autem in reſoluendo deueniendum eſt ad vnum ſimpliciter, & negatiuè primum ex S.Th cit.p.p.q.33.ar. 4.ad 4 § *In omnibus deueniendum eſt ad vnum ſimpliciter primum, immediatum, & ingenitum principium. Secus ſi plures erunt ingeniti; tunc erunt plures Dei &c.* Vnde conſequenter ex S.Th.cit.proceſſio Spiritus ſancti non poteſt æque reſolui ad Patrem, & Filium; tanquam vnicum principium perſonale Sabellianum: ſed mediatè reſoluenda eſt per Filium, ad Patrem vltimatè & immediate ſpirantem. Secus in diuinis non eſset ordo, niſi eſset etiam ordinata, ſeu ſubordinata ſine vlla imperfectione proceſſio à principio per media; ac ordinata reſolutio per media ad principium perſonale, ſimpliciter, & negatiuè primum, & immediatum, ac ingenitum, & Paternum, & oppoſitum eſt maxima proteruia Aduerſariorum; & deceptio Fidelium. Hunc ordinem vniuerſi, ordinatamq; proceſſionem ad intra, & extra, à Patre per Filium ſpirante, ſeu creante, eleganter explicat S. Thomas p.p.q.39.art. §. *ly Per Filium, non eſt appropriatum Filio, ſed proprium eſt ipſius Filij, ex vi proceſſionis ſuæ* Io:2. *Omnia per ipſum facta ſunt, non tanquam per inſtrumentum Arianum, ſed tanquam per principium de principio, &c.* Quicquid ibi gratis, & falſo Torres in hoc contradicat S.Thomæ, probando quod (*Per mediatum*) non ſit proprium ſolius Filij, ſed ſit appropriatum Filio, ac ſi eſset commune Toti Trinitati, eſse mediatum principium *Per quod* facta ſunt omnia, ex vi originis propriæ, cuiuſcunque perſonæ, in virtute accepta ab aliquo principio. Et ſic per ipſum Torres dabitur aliud immediatum principium de non principio, cui nullo modo competat operari vt *Per quod mediate facta ſunt omnia*: dum ait quod id non eſt proprium ſolius Filij, ſed eſt appropriatum Patri, & Filio, & Spiritui ſancto quod ex diametro eſt contra S.Th.cit.q.39 & q.36 art.2. corp. §. *nunquam inuenimus quod ab vno procedant plura, abſq; ordine; niſi in ijs, quæ materialiter differunt: ſed vbi non eſt materialis diſtinctio, ſemper inuenitur in multitudine productorum aliquis ordo. Vnde etiam in multitudine creaturarum, decor diuinæ ſapientiæ manifeſtatur. Si ergo ab vna perſona procedunt duæ perſonæ, oportet eſſe aliquem ordinem earum ad inuicem. neq; poteſt aſſignari alius ordo; niſi ordo naturæ. ſeu originis; quo alius eſt ab alio. Non eſt igitur poſſibile dicere, quod Filius & Spiritus ſanctus ſic procedant à Patre, quod neuter eorum procedat ab alio; niſi quis poneret in eis materialem diſtinctionem; quod eſt impoſſibile. Vnde etiam ipſi Græci proceſſionem Spiritus ſancti aliquem ordinem habere ad Filium intelligunt. Concedunt enim Spiritum ſanctum eſſe Spiritum Filij, & eſſe à Patre per Filium.* Et in ſequenti articulo tertio probaturus S.Thomas quod Spiritus ſanctus ordinatè procedit à Patre per Filiũ, ſic ait in corp. § *Reſpondeo dicendum. quod in omnibus loquutionibus, in quibus dicitur aliquis per aliquem operari; hæc præpoſitio* (Per) *deſignat in cauſali aliquam cauſam, ſeu principium illius actus. Sed cum actio ſit media inter faciens & factum, quandoque illud cauſale cui adiungitur præpoſitio* (Per) *eſt cauſa actionis, ſecundum quod exit ab agente. & ſic eſt cauſa agenti, quod agat: ſiue ſit cauſa finalis ad lucrandum, ſiue ſit cauſa formalis, operando per artem, ſeu virtutem; ſiue ſit cauſa motiua, vt operando per imperium. Quandoq; vero illud cui additur præpoſitio* (Per) *eſt cauſa actionis, ſecundum quod terminatur ad factum: vt cum dicimus, quod artifex operatur per martellum. Non enim ſignificatur, quod martellus ſit cauſa artifici, vt agat: ſed quod ſit cauſa ipſi artificiato, vt ab artifice ſic procedat, & hoc ipſum martellus habet ab artifice. Quia igitur Filius habet a Patre, quod ab ipſo Filio procedat Spiritus ſanctus*

ideo

ideo dici poteſt, quod Pater per Filium ſpirat: vel quod Spiritus ſanctus à Patre per Filium procedat. Vbi Caiet. § *ly Per Filium denotat medium ex parte producti, ſeu Spiritus Sancti non autem ex parte producentis, ſeu Patris. Quatenus igitur Spiritus ſanctus immediatè eſt à Patre; vt ſic Pater non ſpirat per Filium. Quatenus vero Spiritus ſanctus eſt etiam ab intermedio ſuppoſito Filij, tunc Pater dicitur non ſolum immediatè à ſe, & per ſe ſpirare, ſicut & creare, ſed etiam mediatè per Filium ſpirare ſeu creare ad extra. Et ideo litera ait, quod poteſt dici, Patrem ſpirare per Filium; non autem ait quod oportet Patrem ſpirare per Filium, &c.* quia nimirum Pater ſpirare poteſt ſine Filio. Filius enim non dat Patri virtutem ſpirandi, ſed potius accipit virtutem ſpirandi concomitanter à Patre.

Duæ ſunt eſſentiales conditiones principij ſimpliciter, ſeu Primi principij, quas non habet Filius.

CAPVT 5.

CОnfirmatur primo, quia duas eſſentiales conditiones habere debet principium in diuinis, ſiue ſit principium eſſentiale ad extra, quod eſt commune omnibus tribus: ſiue ſit perſonale ad intra. nimirum quod ſit negatiuè primum ideſt ingenitum; hoc eſt ſit à ſe; & conſequenter ſecundo quod operetur a ſe. Quo ad primum ſeu quo ad eſſentiale principium oẽs tres illæ beatiſſimæ perſonæ ſunt à ſe *αὐτόθεος*, hoc eſt à ſe Deus, negatiuè, non autem à ſe conſtitutiuè, & ſic ad extra operantur, vt vnus, idemque Autotheòs tanquam eſſentiale Alpha & Omega in ipſa Trinitate quo ad actiones eſſentiales. Ad intra vero ſolus Pater eſt negatiuè primum, ſeu negatiuè principium perſonale, ac perſonale Alpha & Omega, excludendo Filium, & Spiritum ſanctum, quia ſolus Pater eſt à ſe, & operatur à ſe, ac eſt primum ſuppoſitum; & conſequenter eſt principium non de principio, excludendo Filium, qui concomitanter tantum ſpirat ex Scoto in 1. d. 11. vel vt conditio, ſine qua non, ex Caiet. p. p q. 36. art. 4. Vnde Filius nullo pacto eſt principium hoc primum. quod .n. eſt principiatum, implicat eſſe principium perſonale hoc in Trinitate. Vbi nullo modo inueniri poteſt, plus quàm vnicum principium perſonale. Ad intra .n. principium non poteſt eſſentiale eſſe; niſi duntaxat perſonale; ob ſimpliciter neceſſariò requiſitam diſtinctionem realem, inter producens & productum. Secus erunt duo principia perſonalia vt *quod*, Spiritus S. quod eſt ferè Manichæum; ac erunt duo Dei ex S. Th p. p. q. 33. art. 4. ad 4. quia ſi daretur vtrumq; perſonale principium, ingenitum, & à ſe eſſe deberet, vt verè ſit primum, ſeu principium perſonale. Duæ autem perſonæ ſpecie ſeu quaſi ſpecie correlatiua diſtinctæ, nullo modo, ſine hæreſi Sabelliana, vnum principium perſonale eſſe poſſunt ad intra; vbi principium eſſentiale, neque vt *quo*, neq; vt *quod*, productiuum eſſe poteſt, ſine hæreſi Ariana diſtinctiua realiter Dei eſſentialiter producentis à perſona producta. Solus ergo Pater in Diuinis eſt *αὐτὸς*, ſeu Author, hoc eſt à ſe; & conſequenter ſolus Pater operatur à ſe, atque eſt principium *quod* fontale, & ingenitum, ex S. Th. p. p. q. 32 art. 3. § *Ad 4. dicendum quod perſona Patris importat dignitatem. Vnde ad perſonam Patris pertinet dignitas Authoritatis, quod ſit à nullo, ſed ſit à ſe, ſeu principium perſonale à quo alius, &c.* Nõ ergo datur neque dari poteſt duplex principium *quod*, perſonale à quo alius. Vnde eſt ſimpliciter ſolus Pater principium *quod*, fontale, & immediatum, quia Filius eſt cum addito principium, nempe principiatum, ac mediatum concomitanter principium *Per quod* Io. 1. facta ſunt omnia notificabilia, & à Patre producibilia, ac ad Patrem referibilia: Confirmatur ſecundo quia S. Th. cit. vtrumq; hunc diſtinctum ordinem eſſendi & operandi elegantiſſimè diſtinguit, & ordinat, ac ſubordinat, ſine imperfectione; dum catholicè docet Spiritum ſanctum procedere à Patre per Filium: vbi vtramque etiam originem diſtinguit, fontalem nimirum, ingenitam, & immediatam ſolius Patris ac genitam & mediatam, ſolius Filij propriam. quod omne ſignificat diuerſa illa præpoſitio fontalis A, ſeu Alpha, ac mediata præpoſitio *Per*, deſumpta ex Sacra Scriptura quæ ſoli Patri ly *A*, ſeu *Alpha*, ſeu *ex* dum ordinem

Omnes Tres perſonæ ſunt Alpha & Omega eſſentiale, ſed ſolus Pater eſt Alpha & Omega perſonale.

Digitized by Google

Præpoſitio illa immediata A, ſeu Alpha *ex vi originis ſoli Patri conuenit: ſicut ſoli Filio conuenit præpoſitio illa mediata* Per.

originis deſignat, & fuſius probat S. Th p.p.q 39.a.8.ex Apoſt. ad Rom 11. § *Ex ipſo (ſeu ab ipſo) per ipſum & in ipſo*. Vnde Filius reijcit à ſe fontalem ſignificationem illius præpoſitionis A ſeu Alpha, eamq; ſoli Patri adſcribit, dum ait, Io: 5. *Filius à ſe non poteſt facere quicquam*. & Io. 16. *Spiritus ſanctus non loquetur à ſe &c. Ego non loquor a me ipſo: Sed quæcunque audiui à Patre nota feci vobis*. & *Spiritus Paraclitus qui à Patre procedit. & Ego mittam vobis Spiritum paraclitum à Patre*, non autem *A me*, & eadem de cauſa dixit, *Doctrina mea non eſt mea originaliter*. quia non eſt *A me* fontaliter. & Apoſtolicus ad Cor. 2. eandem fontalem ſignificationem præpoſitionis A, ſeu Alpha denegat nobis, & ſoli Patri adſcribit; dum ait, *Non poſſumus aliquid à nobis, tanquam ex nobis, cogitare: ſed omnis ſufficientia noſtra eſt à Deo Patre luminum*, & S. Th. eadem p.p. q 39. art. 8. ait §. *Non confuſe accipiendum eſt ex Auguſtino* 6. Trin. cap. 10. *quod ait Apoſtolus ad Rom.* 11. *ex ipſo, per ipſum, & cum ipſo. Ex ipſo dixit, propter Patrem. Per ipſum dixit, propter Filium; Cum ipſo dixit, propter Spiritum ſanctum* Confirmatur tertio, quia alio modo Spiritus S. refertur ad Filium mediatè, & non vltimatè: ſeu tanquā ad mediatum principiatū, ſeu principium de principio, ab alio habens eſſe, & operari. Atque alio, ſeu diſtincto modo refertur ad Patrem, immediatè. & vltimatè, tanquam ad fontem ingenitum ſpirandi, ac ad ſolum Alpha & Omega, principium perſonale ipſius perſonæ Spiritus ſancti ac Filij, ſeu tanquam ad vniuerſalem Authorem perſonalem. Sicut Filius non ſolum refertur ad Patrem, vt ſolum fontalem Authorem Filij per generationem, ſed etiam vt ad fontalem Authorem Spiritus ſancti ad intra, & Authorem perſonalem creaturarum ad extra. Perſona enim Patris dicit fontalē Dignitatē perſonalē oīs virtutis, ac plenitudinis potentiæ, ſiue generatiuæ, ſiue ſpiratiuæ, ſiue creatiuæ. Vnde S. Th. p.p.q 35. a. 2 corp. §. *Spiritus S. ad Patrem refertur non immediatè, ſed per Filium*. Quatenus enim mediatè procedit à Filio, mediatè etiā refertur ad Patrem per Filium. Sed quà immediate eſt à Patre, immediate etiam refertur ad Patrem. Sicut enim ſe habent Pater & Filius ad principiandum Spiritum ſanctum: ita pariter ad terminandam relationem Spiritus ſancti, diſtincto modo reſpicientis eos. Refertur enim Spiritus ſanctus ad Filium mediate, ſeu tanquam ad medium, ſeu intermedium ſuppoſitum, ac principium de principio. Ad Patrem vero tanquam, ad immediatum, ingenitumq; principium. Actio, ſiquidem vt eſt actus agentis, eſt in agente, ex Scoto; & ſic terminat etiam oppoſitam correlationem perſonæ productæ. Vnde plurium agentium, plures ſunt actiones ſubiectiue, vt actio eſt, licet vna ſit actio terminatiuè, vt paſſio eſt. Alio ergo, hoc eſt diſtincto modo ſpirat Pater vt *Quod*, atque alio, ſeu diſtincto modo ſpirat Filius vt *per quod*. Sic alio modo mediate refertur Spiritus ſanctus ad Filium, atque alio modo refertur ad Patrem, fontaliter & immediatè. Licet autē in Deo non ſit actio, & motus, actio, tamen eſt ipſamet habitudo perſonæ diuinæ ex S. Th. p. p. q. 41. a. 1. ad ſecundū § *Origo alicuius ab alio cognoſcitur ex motu (remouente nimirum agens à ſua diſpoſitione, & potentia, ipſumque reducente ad actum, nam motus eſt actus entis in potentia) Vnde actio importat originem motus, ſecundum primam nominis impoſitionem; ſecundum quam originem, motus vt eſt in mobili ab aliquo, dicitur paſſio: vt vero talis origo motus, eſt; ſiue incipit ab alio, dicitur actio. Remoto igitur motu, actio in Diuinis nihil aliud importat, quàm ordinem originis, ſecundum quod à cauſa aliqua, ſeu principio procedit in id, quod eſt à principio. Vnde, cum in Deo non ſit motus, actio perſonalis producentis perſonam nihil aliud eſt, niſi habitudo principij ad perſonam, quæ eſt à principio. quæ habitudines ſunt ipſa relationes, ſeu notiones &c.* Sed diſtincta eſt habitudo principij mediati, non ſpirantis à ſe ſed per ſe tantum, & à Patre, cum duplici relatione ſpiratiua, ſub vna habitudine, altera nimirum relatione ſpiratiua à Patre immediate ad Spiritum ſanctum; & altera à Patre per Filium, hæc eſt mediata, & immediata; mediata quidem reſpectu finis & termini; ſeu Spiritus ſancti ex Scoto concomitanter producti per Filium: ac immediata reſpectu primi, ſeu reſpectu principij fontalis & ingeniti Paterni, à quo Filius habet, vt ſpirare poſſit. Sic pariter Spiritus ſanctus duplici relatione, quaſi diſtinctæ ſpeciei ſub vna habitudine

Digitized by Google

dine refertur ad Filium mediate', ſeu non vltimatè, quatenus eſt ab eo mediate; & ad Patrem immediate & vltimate refertur, quatenus eſt ab eo immediatè & fontaliter. Vnde ad Filium refertur vt ad principiatum ſine imperfectione principium *Per quod*: è contra vero ad Patrem refertur, vt ad immediatum, ingenitumque ſimpliciter primum, & ad perſonale principium *quod*; ac ſolum, & vnum Alpha & Omega principiatiuum perſonaliter, ad quod ſolum vltimatè terminatur, ac vltimatè reſoluitur relatio Spiritus ſancti & creaturarum. Sic dicimus quod ſpecies ſub vna habitudine, duplici relatione refertur ad genus primum, mox ad indiuidua.

CAPVT 6.

Ordinata habitudo multorum agẽtium, non poteſt eſſe, niſi ſit mediata ſimul & immediata.

Confirmatur quarto quia ſicut ordinata habitudo realis, ſeu ordinata proceſſio ad intra ex S. Th. p. p. q 36. art. 2. & 3. non poteſt eſſe niſi ab vno principio perſonali *quod*, licet eſſe poſſit etiam concomitanter per principiatum principium *Per quod*: ſic ordinata reſolutio non eſt, niſi ad vnum immediatum principium & ad vnum Alpha & Omega perſonale *quod*, licet eſſe poſſit per mediatum perſonale principium *Per quod*. Vbi vna dici poteſt actio, ideſt habitudo principij quia eſt ad vnum, ſeu ordinatur ad vnum terminum, & eſt ab vno fontali principio perſonali. Vbi enim ſunt multa propter vnum finem, ſeu propter vnum principium, quod dat pluribus tale eſſe ſpiratiuum concomitanter, ibi eſt vnum tantum principium, & vnus terminus. Quod ſatis eleganter declarat S. Th. p. p. q. 36. a. 3. § *Ad 1. ergo dicendum, quod in qualibet actione eſt duo conſiderare, ſcilicet ſuppoſitum, agens, & virtutem, qua agit. ſicut ignis calefacit calore. Si igitur in Patre & Filio conſideretur virtus qua remotè ſpirant; non cadit ibi medium, quia vna, & eadem eſt hac virtus. Si autem conſiderentur ipſa perſona ſpirantes, ſic cum Spiritus ſanctus communiter procedat à Patre, & à Filio: invenitur Spiritus ſanctus immediatè procedere à Patre, in quantum eſt ab eo; & mediate etiam in quantum eſt à Filio, & ſic dicitur procedere à Patre per Filium, &c* quod etiam confirmat ad 4. § *Ordo autem nõ attenditur inter Patrem & Filium, quantum ad virtutem; ſed ſolum quantum ad ſuppoſita. & ideo dicitur, quod Pater ſpirat per Filium, & non è conuerſo, &c.* quid clarius? Ex hac aurea doctrina S. Thome colligo primum, quod nullo modo indifferenter dicere poſſumus Spiritum ſanctum æquè procedere à Patre per Filium; & è conuerſo à Filio per Patrem, ſumendo vniuoce ly *Per* in ſenſu mediato Sacræ Scripturæ, ſolius Filij proprio ex S. Th. p p. q. 39 art. 8. quia dicitur Io: 1. *Per ipſum Verbum facta ſunt omnia notificabilia &c.* vtrobiq; enim ſignificaretur ex vi originis mediata, & immediata cauſalitas ſeu principiatio a Patre per Filium, quicquid Torres ibi gratis in hoc contradicat doctrinæ S. Thomæ. Erroneum eſt enim in fide ſentire & docere, quod æque mediata, & mutua ratiò, & ſignificatio principiandi tribui poteſt Filio, ac Patri. ita vt Pater creet, ac ſpiret per Filium; & è cõtra Filius creet ac ſpiret per Patrem, vtrobique *Per* mediatam rationem ſignificante. Colligo ſecundo quod nullo modo Pater & Filius ſunt, neque eſſe poſſunt vnum, idemq; perſonale principium *quod* productiuum Spiritus ſancti, ſine hæreſi Sabelliana, vt vrgebant Græci in Cõcilio Florentino ſeſſ. 22. Tale enim Sabellianum principium *quod*, Diuinarum perſonarum Patris & Filij confuſiuũ in vnũ perſonale principium *quod*, neq; eſſet genitũ, neq; ingenitum principium. Pater enim non eſt genitus: neque Filius eſt ingenitus, ſeu ingenitum principium; cum tamen principium vel genitum, vel ingenitum, ſeu alterutrum eſſe debeat ex S Th. p p. q. 33. a. 4 ad 4. neq; eſſet cõſequenter mediatum principium, quia Pater non eſt principium mediatum *per quod*, neque eſſet principium immediatum; quia neque Filius eſt immediatum principium *quod* Neq; tale principium vnum perſonale & Sabellianum eſſe poteſt ex duabus perſonis cõſtituendo & confundendo vnum principium perſonale: neque eſt imperſonale, ſeu eſſentiale principium. nam tunc Pater generaret, ſicut & ſpiraret vt Deus eſt, non vt Pater eſt: ſeu vt principium eſſentiale non vero, vt principium perſonale Cum tamen principium eſſentiale ad intra nullo modo ſit productiuum, neque vt *quo*, neq; vt *quod*. quia vt ſic realiter diſtingueretur à perſona genita, ſeu ſpirata, tanquam producẽs à producto: & conſequenter neque Filius, neque Spiritus ſanctus eſſet Deus, ſed reali-

ter diſtingueretur a Deo illo eſſentialiter producente ſiue *vt quo*, ſiue *vt quod*.

Colligo Tertio quod ſicut primum non poteſt eſſe medium, ſic neque medium poteſt eſſe primum. Vnde à permutata proportione, ſi Filius eſſe poteſt idem primum ſeu immediatum principium perſonale *quod*: tunc Pater eſſe poſſet medium, ſeu mediatum principium perſonale *per quod*, ſed conſequens eſt hæreticum: ergo & antecedens. Colligo 4. quod Eccleſia iure optimo omnes orationes publicas & præſertim practicas & conſecratorias in Sacramentalibus practicis omnia efficaciter impetrat *Per Chriſtum Dominum Noſtrum* ideſt confitendo originem Filij tanquam mediati principij *per quod* facta ſunt omnia, quia ex vi ſuæ originis habet Filius, vt omnia à Patre nobis concedantur, in gratiam Filij, prædeſtinati Primogeniti, *per quem* tollit peccata mundi, omniaque bona electionis, prædeſtinationis, perſeuerantiæ finalis, ac glorificationis ſeu vitæ æternę Pater nobis elargitur, quia Io. 1. *per ipſum* omnia non repugnantia, facta ſunt nobis donabilia, ſeu communicabilia, ac producibilia à Patre. Eſt ergo Filius ex vi ſuæ originis mediatum principium, ac *Mediator* noſter, ac noſter interceſſor, ſeu Aduocatus apud Patrem, ac noſter eſt Paracletus ſeu Conſolator à Patre. Et ideo non valet Arcudiani Euchologij Cryptæ Ferratæ oratio vlla in Sacramentalibus practicisque benedictionibus, ſeu conſecrationibus, quæ non eſt terminata per confeſſionem mediatæ originis Filij *per quem* facta ſunt omnia Io. 1. ſed potius talis Arcudiana oratio fit ei in peccatum, vt ex Auguſtino fuſius probat Durantus de Ritibus Eccleſiæ Catholicæ lib. 2. cap. 16. num. 13. Legatur obſecro Durantus cit. ad cognoſcendum Arianum modum orandi apud Arcudianum Euchologium Cryptæ Ferratæ, contra formam Eccleſiæ, præſcriptam Io. 16. *quacunque petieritis Patrem in nomine meo* (ideſt nominando, & confitendo me Chriſtum ſuum Filium in eadem vnitate Deitatis viuentem & regnantem) *dabit vobis, &c.*

Falſitas modi orandi in Arcudiano Euchologio Cryptæ Ferratæ nō orātis per Chriſtum, neq; ipſum confitentis Dominum noſtrum viuentem, & regnantem, in vnitate Patris. & Spiritus ſancti

Colligo quinto quod non intelligo qua ratione Suarius de Trinit lib. 10. cap. 3. doceat Spiritum ſanctum æque immediatè, immediatione ſuppoſiti, & virtutis, procedere à Patre, ſicut procedit à Filio, quod ex diametro pugnat cum orthodoxa doctrina Sancti Thomæ prima parte quæſt. 36. articul. 3. § *Ad primum dicendum quod in qualibet actione eſt duo conſiderare ſuppoſitum ſcilicet, & virtutem agendi. Si igitur conſideretur virtus ſpirandi; non eſt ibi aliquod medium. Si vero conſiderentur perſonæ ſpirantes: cum Spiritus ſanctus ſit à Patre, & à Filio: inuenitur Spiritus ſanctus immediatè procedere à Patre, inquantum eſt ab eo: & mediatè etiam inquantum eſt à Filio, qui eſt à Patre, &c.* Vbi mediatè, & ſimul immediatè Spiritus ſanctus procedere dicitur reſpectu Patris, dupliciter ſpirantis, ideſt per ſe, & per alium; vnde Pater duplici habitudine principiat ſpirationem in Spiritu ſancto nimirum immediatè per ſe & à ſe: ac mediate per Filium. & hanc duplicem, diſtinctamque habitudinem explicant Sancti Patres Græci per duplicem, diſtinctamq; ſignificationem illius præpoſitionis *A*, & *per*, dum aiunt Spiritum ſanctum procedere à Patre per Filium, nempè ſolum Patrem mediate ſimul & immediate ſpirare ſignificando. Immediatè ergo Pater ſpirare dicitur quatenus ingenite ſpirat: & quatenus a ſe, & prius origine ſpirat, ſeu primo ſimpliciter & negatiuè ſpirat. ex S. Th. p. p. q. 36. art. 3. ad 4. § *Prima principia etiam in ſcientijs dicuntur immediata, quatenus negatiuè ſunt prima, &c.* Idem eſt enim (ex Ariſtotile 1. poſt. cap. 2.) primum, & principium. Idem eſt ergo immediatè immediatione virtutis & ſuppoſiti ſpirare in Patre, ac prius origine ſpirare, ſeu ſpirare à ſe, tanquam Alpha & Omega, non autem ſpirare ab alio. Qua ratione nullo modo Filius dici poteſt æque eſſe principium ſpiratiuum immediatum, tam immediatione virtutis, quàm ſuppoſiti, ſicut eſt Pater, quicquid gratis nobis contradicat Suarius alijque Aduerſarij. Neque valet effugium *Immediati*, ſic dicti, quatenus inter Filium & Spiritum ſanctum nil mediat. Sic enim quælibet litera, ſeu ſyllaba, ſeu dictio, ſeu propoſitio in ſyllogiſmo dici poſſet immediata reſpectu antecedentis, ſeu ſubſequentis immediati. & ſic non daretur propoſitio, neque ſyllogiſmus mediatus, ſed omnis propoſitio & omnis ſyllogiſmus eſſet immediatus & ex immediatis propoſitioni-

Idem eſt immediatum & ingenitum, quod non aduertunt multi æquocantes cū Suario.

quid ſit *Immediatum*.

tionibus, ſeu dictionibus, ac ſyllabis, & literis immediatè conſtans quod eſt ſophiſticum. Dicitur ergo principium immediatum à priori, quatenus caret medio, ſeu argumento à priori, ſeu caret ſuperiori alia ratione, ſeu virtute per quam probetur ſeu operetur illud principium ex S.Th.p.p.q.36.art.3. ad 4. & ſic ſolus Pater eſt immediatum principium perſonale, tam operans immediatè à ſe immediatione virtutis à nullo acceptæ, quam immediatione ſuppoſiti à nullo producti. Quinq; autem conditiones habere debet principium in tranſitiuis actionibus ex Ariſtotile 1. Poſt. cap.4. quod ſit primo perſonale principium, quod de omni emanatione dicatur. vt fuſius probat & confirmat Pauentinus in ſuis Theorematibus philoſophicis. Secundo quod ſecundum quod ipſum, tale principiũ ſit perſonale. Tertio quod ſit à ſe negatiuè, ſeu immediatum hoc eſt ingenitum. Quarto quod ſit cauſa, ſeu ratio aliorum vt ſint talia. Quarum conditionum nullam habet; neque habere poteſt Filius. Et ideo Filius non eſt, neque eſſe poteſt principium perſonale in Sanctiſſima Trinitate. Secus daretur duplex perſonale principium à quo alius; eſſetque correlatiua ſpecie realiter differens perſonale principium duplex quaſi Manichæum. Probatur quia in cauſis præciſis, ſicut ſe habet affirmatio ad affirmationem; ita ſe habet negatio ad negationem. Sed Pater ideo dicitur immediatè ſpirare, tam immediatione virtutis, quàm immediatione ſuppoſiti; quia neutrum per generationem, ſeu productionem ab alio accepit, ſed vtrumque habet à ſe negatiuè & immediatè ideſt ingenitè vnde eſt à ſe, & operatur à ſe. Ergo à contrario ſenſu Filius, qui, neque eſt à ſe, neq; operatur à ſe, nullo pacto eſt, neque eſſe poteſt primum & immediatum principium hoc perſonale *quod*: licet concomitanter ſit principiatum ſine imperfectione, ſeu mediatum principium *per quod* Io.1. facta ſunt omnia. tam enim virtutem, quàm ſuppoſitum per generationem ſuſcepit ab alio. Vnde potius Filius eſt principiatus, ſeu principium paſſiuum de quo intelligitur illud Io.15. *Ego principium; qui & loquor vobis*, quia nimirum ſum principium mediatum *per quod*. de immediato principio fontali *quod*. nam ex S.Th.p.p.q.33.art.4.ad 4.§ *In omnibus reſoluendum, & deueniendum eſt, ad vnum tantum primum principium perſonale, immediatum & ingenitum. Secus ponere pro principio plures immediatos, ſeu ingenitos, eſt ponere plures Deos, &c* Idem eſt enim immediatum & ingenitum principium perſonale, ad quod Sancti Patres Græci reſoluunt fontaliter omnem mediatam ſpirationem, ſeu creationem Filij, vt conſtantiſſimè proteſtati ſunt Patres Græci, in Concilio Florentino à prima vſque ad vltimam ſeſſionem 25. § *Patriarcha Conſtantinop. ait, ego noſtrum paternum dogma, quod Spiritus ſanctus procedit à Patre per Filium, nunquam derelinquam &c.* Dices, quomodo Pater immediatè ſpirat, ſi ſpirat per Filium? Reſpondeo quod ſi ſpiraret ſolum per Filium, tunc mediatè tantum ſpiraret Pater. Sed ſpirat etiam immediatè ſine Filio, dum ſpirat à ſe & per ſe. Sit exemplum trianguli iſopleuri: vbi ponatur vnus angulus eſſe primus ac productiuus aliorum duorum: tunc ille primus angulus immediatè vnitur ex vna parte alteri angulo; ex alia vero parte mediatè vnitur eidem tertio angulo, hoc eſt per ſecundum intermedium. & ſic etiam mediatè, & immediatè eſſet productiuus illius tertij, per ſecundum angulum, cui communicauerit virtutem productiuam.

Suppoſitio tertio.

Obiectio.

Ly Actiones tranſitiuæ, ſeu notionales & generationes ſunt ſingularium, intelligitur de ſingularibus perſonaliter ſubſiſtentibus. & oppoſitum eſt erroneum in fide, neque enim Ariſtoteles cognouit in Myſterio Trinitatis ſubſiſtentiam imperſonalem Dei eſſentialis, vt de ea loqui & docere potuerit, quicquid grauis contradicat Tores.

SVppono quarto de fide eſſe quod in Concilio Florentino ſæpius docetur, nimirum *Actiones notionales ad intra, eſſe ſuppoſitorum*; ideſt ſingularium incommunicabilium, ſecundum quod ipſum: ac nullo modo eſſe poſſe ſingularium, imperſonaliter ſecundum quod ipſum ſubſiſtentium. & oppoſitum, eſt erroneum in fide: Si enim eſſent huius Dei communicabilis duobus: cur non eſſe poſſent huius Dei com-

Suppoſitio quarta.

CAPVT II.

communicabilis tribus ſuppoſitis? Vel ergo eiuſmodi actiones notionales & perſonales, ſunt eiuſdem Dei eſſentialis qui ſpecificatiuè eſt communicabilis tribus, quod eſt Arianum. quia perſona producta erit ſimilis ipſi Deo eſſentiali & communicabili, non autē erit ille idē Deus, neque erit eiuſdem numero naturæ: nam inter producens & productum ſemper eſt diſtinctio realis. Vel ſunt actiones alterius Dei ſpiratoris, communicabilis tantum duobus, & non communicabilis tribus. & ſic erit aliud principium ad intra, ſub alia formalitate realiter ſubſiſtente. nec non erit alius Deus. Alius Deus inquam perſonaliter generans, & alius imperſonalis ſecundum quod ipſum ſpirans. quod eſt ferè Manichæſi, ac diuiſiuū principatus ex S. Th. p.p.q.33.art.4.ad 4. § *In omnibus deueniendum eſt ad vnum tantum primum principium ingenitum. quia ponere duos ingenitos, eſt ponere duos Deos, &c.* Ex quo ſequitur erroneum pariter eſſe in fide, introducere ſpiratorem Deum, ſeu quartum habentem Deitatem, qui ſit imperſonalis ſecundum quod ipſum ſpirans. & ideo ſit communicabilis pluribus perſonis. Quare ſatis cautè lego Becanum, Vaſchez Suarium, omneſq; Ieſuitas, gratis contradicentes huic orthodoxæ doctrinæ, & Euangelicæ Veritati primæ Io. 5. *Tres ſunt qui teſtimonium dant in cœlo Pater Verbum, & Spiritus ſanctus.* Tres inquam ſunt relatiuæ formalitates, ac realitates; non autem ſunt quattuor formalitates relatiuæ, & perſonales, ac conſequenter realiter diſtinctæ in cœlo, &c.

Eſſentia Diuina nullo modo concurrere poteſt in genere cauſa, ſeu principij efficientis, neque vt quo, *neque vt* quod. *& oppoſitum hæreticum eſſe videtur ignorantia mea.*

Suppoſitio 5.

CAPVT 8.

SVppono quinto non poſſe in eodem genere cauſæ, ſeu principij efficientis concurrere reali habitudine productiua naturam diuinam Patris in generando, ſeu ſpirando vt *quo*, ſicut concurrit paternitas, ſeu perſonalitas eiuſdem Patris. nam vt ſic, vtraque diſtingueretur realiter à perſona producta; ſicut vtraque per te æquè concurrit reali habitudine productiua, vt *quo*. Sed natura Diuina concurrit vt *quo* remotum, quod eſt principium tantum; non autem eſt cauſa: neque eſt realis habitudo productiua. E contra vero perſonalitas, ſeu Paternitas concurrit vt *quo* proximum, & cauſaliter; & ideo realiter diſtinguitur à perſona producta. Semper enim inter producens & productum, eſt diſtinctio realis, ſiue producat vt *quod*, ſiue vt *quo* proxime & cauſaliter. Nam ſi concurrat vt *quo* remotum, & principialiter tantum, non autem cauſaliter: tunc poteſt non diſtingui realiter; dum eadem natura numericè communicatur in genere cauſæ formalis, noſtro concipiendi modo imperfecto. Ideo autem Pater remote generat, ſeu ſpirat Deitate, vt *quo*; non quidem cauſaliter (dempta imperfectione) ſed ſolum principialiter. quia non generat vt Deus eſt, ſua Deitate proximè vt *quo* concurrente, in genere cauſæ, ſeu principij efficientis: ſed generat vt perſona eſt, & vt Pater eſt, ſua paternitate, ſeu perſonalitate concurrente proximè in genere cauſæ, ſeu principij efficientis vt *quo*. Aliud eſt autem principium proximum *quo*, quod eſt etiam cauſa reali habitudine productiua, dempta ſemper omni imperfectione in Diuinis, & increatis in generando, ſeu producendo: atque aliud ratione eſt principium remotum *quo* in diuinis, quod eſt ſolum ratio agendi ad intra, ſeu in notionalibus, quæ ratio agendi in diuinis ad intra non agit cauſaliter, ex Scoto in quodl. art. 4. & alibi. Licet in creatis ac finitis ratio agendi immediate agat vt *quo* cauſaliter. Vnde diſtinguitur realiter vt *quo*, à re producta, vt fuſius probat Suarius de Trin. lib. 6. cap. 2. num. 8. Ex quo colligo erroneum eſſe in fide, Aduerſariorum ſuppoſitum Arianum, quod idē ſit eſſe principium *quo* remotum, & principium *quo* proximum. Nec non idem eſſe principium *quo* ſola ratione, ex imperfecto noſtro concipiendi modo, ac eſſe principium reali cauſalitate (dempta ſemper imperfectione) productiuum. Non ergo valet ly *Natura diuina eſt principium quo, reali habitudine productiuum ad extra, & ad intra, ergo non diſtinguitur realiter à re producta*. quod eſt hæreticum, quia natura diuina quatenus eſt produ-

ctiua

Digitized by Google

ctiua ſiue vt *quò*, ſiue vt *quod*, ſemper realiter diſtinguitur à re producta, ſiue ad intra, ſiue ad extra. quod autem communicetur, vel non communicetur vniuoce ad intra, ſeu extra, impertinens eſt ad hoc vt producens diſtinguatur realiter à re producta, vt patet ad extra. Mitto quod falſum eſt idem concurrere poſſe in genere cauſæ (dempta ſemper omni imperfectione) ſeu principij extrinſeci, ſeu efficientis, aut producentis vt *quo*, ſeu vt *quod*, & tamen coincidere cum cauſa, ſeu principio formali. Quare erroneum eſſe videtur ignorātiæ meę ſentire, & docere, quòd Filius, ſeu Spiritus ſanctus ꝓcedat à ſe ipſo, vt Quo in genere cauſæ, ſeu principij extrinſeci & efficientis, ſeu producentis; & tamen quod coincidat idē principium productiuum vt *quo*, ſeu *quod*, cum cauſa, ſeu principio formali. Mitto etiam quod in Deo eſſentiali non eſt illa diſtinctio formalis *quo*, & *quod*, niſi in Deo perſonali. Hæc dum ſcriberem, forte fortuna euenit, vt quis Doctor Bellus, ſeu vt melius dicam Doctor Bellum, & contradictio meæ catholicæ doctrinæ, hæc legens, mihi obiecerit, quod ſicut Pater creat (ſaltem vltima denominatione) cum Filio, non autem per Filium: ſic ſpirat cum Filio; non autem per Filium: quicquid contradicat S. Th. p. p. q. 39. a. 8. ex cap. 1. Io. *Omnia per ipſum facta ſunt*. Reſpondi primo tali Doctori Bello hæreticam eſſe hanc eius propoſitionem, ſi ly *Cum Filio*; ſignificat eandem Sabellianam concomitanter fontalitatem ingenitam, & immediatam in creando, ac ſpirando in Filio, ſicut in Patre. E contra vero catholicam eſſe, ſi ly *Cum Filio*, ſignificat mediatam, ac genitam concomitantiā reſolubilem in præpoſitionē illam mediatam *cum Filio*, ideſt *per Filium*: Sed tunc eſt æquiuocatio, quia Filius eſt vnum principium cum Patre in eſſentialibus. Non autem eſt vnum cum Patre principium perſonale, ſeu in perſonalibus, nam id Sabellianum eſt.

CAPVT 9.

De fide eſt quod in Diuinis relationibus & ſubſiſtentijs eſt ordo naturæ, quo vnus eſt ab alio: vel a quo eſt alius.

SVppono ſexto quod in Diuinis nullus alius ordo eſſe poteſt niſi ordo naturæ, quo aliquis eſt ab alio, vel a quo eſt alius, ex S. Th. p. p. q. 36. a. 2. corp. ſi enim non eſſet hic ordo, tunc eſſet confuſio in multitudine diuinarum perſonarū ex S. Th. p. p. q. 42. art. 3. corp. Sed per te ſpirator eſt à quo alius, nempe Spiritus ſanctus eſt. Ergo ſpirator eſt principium Spiritus ſancti. Hoc autem principium de fide eſt, quòd eſſe debet vel genitum, vel ingenitum principium ex S. Th. p. p. q. 33. art. 4. corp. Item de fide eſt, quòd principium hoc ad intra perſonale eſſe debet, quia dicere debet reſpectum ad perſonam principiatam ex S. Th. p. p. q. 33. art. 1. & 4. Actiones enim perſonales ad intra ſunt ſuppoſitorum, ſecundum quod ipſum; ſicut è contra eſsentiales actiones ad extra ſunt non ſuppoſitorum ſecundum quod ipſum, ſed huius Dei eſſentialis. Ergo pariter eſt de fide, quod ordo eſse debet non ſolum inter omnes has quattuor formalitates, ne dum inter Spiritum ſanctum & ſpiratorem tuum Patrefilium illum Deum, qui eſt illa quarta formalitas, quæ neq; eſt formalitas Patris, neque Filij: ſed indiſtincte & in confuſo ſupponit pro Patre & Filio ex S. Th p. p. q. 36. art. 4. ad 4. 5. & 6. & ex Scoto in 1. d. 11. q. 1. § *Ad argumenta dico ad ſecundum quod ſpirator ille præ intellectus Patri & Filio, ac realiter relatus, inconueniens eſt &c.* Vel itaq; ille ſpirator Deus qui eſt principium Spiritus ſancti eſt etiam principium Patris & Filij, vel e contra eſt principiatus & cauſatus ab eis (dempta ſemper omni imperfectione) quia ordo originis eſse debet inter omnes has quattuor formalitates diuinas per ſe ſubſiſtentes. non enim ſpirator dici poteſt eſse vnus in perſona, vel in perſonis cum Patre & Filio; quia id Sabelliana confuſio eſt. Neq; dici poteſt quod ſit vnum cum Patre & Filio, quia vt ſic eſset vnum eſsentialiter productiuum: nam in Deo nihil aliud repetitur, niſi vnus & vnum, ideſt perſona & eſsentia. Si dicas eſse ingenitum principium Patris & Filij; tunc Pater erit Filius ipſius ſpiratoris; & Filius erit nepos eius: præter quàm quòd dabuntur duo principia, & duo ingeniti, &

duo

duo Dei ſubſtantiuè ex S. Th.p.p.q.33.art.4.ad 4. Si vero è contra dicas eſſe principium genitum, ſeu principiatum & cauſatum, (dempta ſemper omni imperfectione) tunc dabuntur duo geniti, & duo Filij. Præterea non valet illa Fauentini, & Suarij, ac Becani paritas, quod ſicut Deus eſſentialis creat vt vnus, per ſe, & ſecundum quod ipſum, licet per accidens negatiuè, tanquam ex conditione ſine qua *Non*, ſubſiſtat in tribus perſonis, ſecundario creantibus ex S.Th.p.p.q.45.art.6. corp. ſic ad intra ſpirator ille tuus, adiectiuè quarto Deus, per ſe, & ſecundum quod ipſum ſpiret vt ſpirator, licet per accidens negatiuè ſubſiſtat in Patre & Filio, ſecundario & non ſecundum quod ipſum ſpirantibus, vt Pater & Filius, ſed vt Spirator Deus tuus ſunt vt fuſius infra.

Erronea in ſide paritas.

Quod Pater & Filius nullo modo eſſe poſſunt vnus, idemque perſonaliter ſpirator Deus; ſeu perſonale principium ſpiratiuum, ſine hæreſi Sabelliana.

CAPVT 10.

Suppoſitio 7.

SVppono ſeptimo quod Diuina eſſentia non potuit immediatè vniri, ſeu identificari Patri & Filio, ſine ordine originis: ita vt ambo fuerint immediati, & ambo ingeniti, Nam vt ſic fuiſſent duo ingeniti Dei ex S.Th.p p.q.33.a.4.ad 4.§ *In omnibus deueniendum eſt ad vnum primum principium ingenitum, & immediatum. ponere enim duos ingenitos, ſeu immediatos, eſt ponere duos Deos &c.* ex quo colligo primo quod ſicut Pater & Filius immediatè, & ſine ordine originis, non poſſunt eſſe vnus ille idemq; Deus eſſentialiter: ſic multo minus eſſe poſſunt vnus, idemque Creator Deus perſonaliter, immediatè & ſine origine: & pariter neq; eſſe poſſunt vnus, idemque perſonaliter ſpirator Deus immediatè & ſine ordine originis inter ſe. Sicut neque eſſe poſſunt vnus, idemq; perſonaliter Redemptor Deus de quo dicitur *Redemiſti nos Domine, Deus veritatis* ex S. Th.p.p.q.39.art.4. Colligo ſecundo quod ſi datur ſpirator Deus ſub tertia illa formalitate, qua neq; eſt Pater, neque eſt Filius, ſed eſt quid formaliter diſtinctum, per ſe ſubſiſtens: tunc ex tam falſo fundamento Fauentini & Becani multa ſequentur abſurda contra doctrinam Scoti, quam gratis reijcit & impugnat Fauentinus in 1.d.12.diſp.41.& Becanus de Trin.cap.6.q.5. Sequitur enim primo confuſio & imperfectio in multitudine tot ſuppoſitorum, ſeu per ſe ſubſiſtentium abſque vno primo perſonali principio. Vbi enim non eſt ordo, ibi eſt confuſio. & imperfectio, ex S.Th.p.p.q.42.art.3.corp. § *In multitudine vbi non eſt ordo, ibi eſt confuſio.* Tunc vel ergo ſpirator ille erit ordine ſuperior ad Patrem & Filium, & ſic ſpirator ille ſpirabit à ſe, & ſecundum quod ipſum; & ſic erit à ſe, & ingenitus, ac immediatus erit & conſequenter operabitur à ſe. Vnde Pater & Filius non niſi ſecundario, non ſecundum quod ipſum, ſed per accidens negatiuè ſpirabunt ab illo ſpiratore, ac conſequenter erunt ab illo, & dabuntur duo ingeniti. Sequitur ſecundo quod ille Spirator per ſe ſubſiſtens ſit ſubſiſtentia ſua relatiua, realiter contradiſtincta à Spiritu ſancto & conſequenter erit quarta perſona, quia actiones ad intra ſunt ſingularium ſuppoſitorum per ſe, & ſecundum quod ipſum, ac primaria denominatione producentium. Nihil enim aliud eſt perſona diuina niſi ſubſiſtentia relatiua, realiter contradiſtincta à ſua correlatiuè oppoſita ſubſiſtentia perſonæ productæ. Sed hoc expreſſe, & ex diametro pugnat cum doctrina Scoti in 1. diſtinctione 11.q.1.§. *Ad ſecundum dico quod actio ſpiratiua eſt alicuius ſingularis incommunicabilis, per ſe exiſtentis ſicut dictum eſt d. 4. Sicut enim hæc eſt vera; Deus creat, Deus eſt Trinitas, ſeu Deus eſt Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus; ita ponitur hic, quod eſt aliquis Spirator ſingularis ad intra, cui primo id eſt adæquatè id conuenit, qui præintelligitur aliquo modo in Patre, & Filio; quibus conuenit actus ſpirandi, quatenus vterq; eſt hic ſpirator Deus &c.* Ecce communem doctrinam quæ vigebat tempore Scoti, quod ſicut datur ad extra vnus, idemque Deus ſubſtantiuè ſubſiſtens, ac præintellectus in ſuppoſitis, ſibi non eſſentialibus, primaria denominatione, creans, ſeu regnans, aut prædeſtinans, &c. (nam perſonæ vltima denominatione, ſeu per accidens negatiuè creant &c.) ſic ad intra detur

Abſurda quæ ſequuntur ex introductione illius quartæ formalitatis & realitatis Dei ſpiratoris, confuſè ſupponentis pro Patre, & Filio ex S.Th.p.p.q.36 art.4. ad 4.5. & 6.

Digitized by Google

detur vnus, idemque Spirator Deus, præintellectus Patri, & Filio, ac ſubſiſtens in alijs ſuppoſitis, ſibi non proprijs quarto modo, vni, ſoli, & ſemper. quæ eſt ipſiſſima doctrina Fauentini in 1.d. 12. diſp.41.admittentis Spiratorem Deum, qui neq; præciſè ſit Pater, neque ſit Filius; ſed præintelligatur vtrique, & ab vtraque formalitate abſtrahat. Sed videamus nunc modo Scotus hanc opinionem antiquorum, quæ etiam eſt ipſius Fauentini, reijciat, & impugnet ibidem, § *Iſtud autem non videtur hic probabile, ſicut ibi. (Deus creat) quia non videtur hic aliquis per ſe exiſtens, communis Patri & Filio, non autem communis Spiritui ſancto, quia tunc illud ſingulare per ſe exiſtens, licet non incommunicabiliter, realiter tamen referretur ad Spiritum ſanctum (nota bene contra Fauentinum) & eſſet aliquod relatum ad intra, prius aliquo modo, quàm intelligatur eſſe perſona. Ita quòd non omnis relatio realis ad intra, eſſet perſona. quod non videtur probabile, &c.* Ecce aureā doctrinam Scoti impugnātis, expugnantiſque Spiratorem Fauētini Deū, cōmunem duobus ſuppoſitis tātū, quia eſſet diſtincta ſpecie ſubſiſtens relatio diuina, realiter contradiſtincta à Spiritu ſancto, & cōſequenter eſſet quarta perſona, ad quam per ſe & ſecundum quod ipſum primario referretur realiter Spiritus ſanctus. nihil enim aliud eſt perſona Diuina, quam per ſe ſubſiſtens relatio Diuina, relatiua ſpecie contradiſtincta à ſuo oppoſito termino correlatiuo: præſertim ſi ſit productiua perſonæ, nam tunc & eſt perſona, quia actiones ad intra ſunt ſuppoſitorum; & conſequenter eſt incommunicabilis perſona quarta. Implicat enim quod ſit productiuus perſonæ, & ſit communicabilis ſpirator. Qui ſi eſſet præintellectus Patri & Filio, ſpiraret à ſe, & eſſet à ſe, ingenitus, & immediatus: & cōſequenter Pater & Filius ſecundario ſeu per accidens negatiuè ſpirarent ab illo Spiratore, non quidem ſecundum quod ipſum vt Pater, ſeu Filius ſunt: ſed quatenus identificantur cum illo Spiratore Deo, quæ eſt ipſiſſima doctrina Fauentini. Quod omne repugnat Authoritati, ac ingenitæ fontalitati Patris, introducitque plures ingenitos, & conſequenter plures Deos ex S. Th.p.p.q.33 art.4.ad 4. § *In omnibus deueniendum eſt ad vnum tantum primum principium ingenitum, ſecus ponere plures ingenitos, eſt ponere plures Deos, &c.* ac ex diametro opponitur doctrinæ Scoti cit.in primum d. 12. q. 1. § *Ad 2. &c.*

Ecce Scotum impugnantem & reprobantē eos, qui introducunt Spiratorē præintellectum Patri & Filio contra doctrinam Fauentini eiuſq; aſſeclarum.

CAPVT III.

Non poteſt dari Pater quin ſit Amans Pater: neque Filius, quin ſit Amans Filius.

Dices, Spiritus ſanctus relatiuè refertur ad ſuum correlatiuum Spiratorem, vt ſpirator eſt, ergo falſo dicitur Spiritus ſanctus referri ad Patrem, qua Pater eſt. Reſpondeo diſtinguendo antecedens, *Spiritus ſanctus refertur ad Spiratorem, vt Spirator eſt imperſonalis, & eſſentialis, ac imperſonaliter & vt eſſentialiter ſpirans eſt ad intra*. Nego antecedens. nam actiones ad intra ſecundum quod ipſum ſunt ſuppoſitorum: licet ad extra, ſeu in eſſentialibus ſecundum quod ipſum, ſint non ſuppoſitorum, *Refertur ad ſpiratorem vt perſonalis ſpirator eſt, ac perſonaliter ſecundum quod ipſum ſpirans.* Concedo antecedens. *Ergo non refertur ad Patrem abſolute, vt genitor eſt tantum, vt in humanis.* Concedo. *Ergo non refertur ad Patrem, qua Pater eſt in diuinis, id eſt vniuerſale principium omnis emanationis.* Nego conſequentiam. Non enim Pater in diuinis eſſet Pater, niſi etiam eſſet Amans Pater, ſeu ſpirans principium vniuerſale in generando & amando, ſeu ſpirando. eſt ergo Pater in diuinis quid ſuperius ſeu vniuerſalius ad Filium tantum, ſeu Spiritum ſanctum tantum. nam eſt vniuerſalis Authoritas, & plenitudo omnis virtutis ex S.Th.p.p.q.33.art.4.corp.§ *Pater importat vniuerſalem authoritatem, ac fontalem plenitudinem omnis virtutis*. Ex his colligo tertio, quod Spiritus ſanctus refertur quidem ad Patrem & ad Filium, non qua ſimpliciter Pater eſt, ſeu Filius eſt: ſed qua Pater Amās eſt perſonale & vniuerſale principium *quod*, & qua Filius Amans eſt notionale principium *per quod*. Duplici enim ordinata, ac ſubordinata proprietate, noſtro concipiendi modo conſtituitur Pater ſeu Filius in ſuo perſonali eſſe Paternitatis amantis, amantiſque Filiationis. Neque mirum eſt, ſi ex vna eademque perſona Patris, ſeu Filij plures emanant proprietates, ordine tamen inter ſe connexæ,

Obiectio.

atque ordinatè fluentes ab inuicem. Sicut enim homo quatenus homo, eſt per ſe diſcurſiuus, & riſibilis, ſeu flebilis, ac admiratiuus, ſciendique rem per cauſam eſt naturaliter cupidus: ac ſicut ignis qua ignis eſt; plures habet naturales proprietates, ordine tamen ab inuicem fluentes (nihil enim inordinatum eſt in natura) quia non ſolum ignis ſecundum quod ipſum habet ignire, ſed etiam habet rarum facere, leuitare, ſurſum tendere, diſgregare heterogenea, cõgregare homogenea, &c. Sic Pater qua Pater eſt in diuinis, per ſe, & ſecundum quod ipſum, habet plures proprietates naturales, ordine tamen ab inuicem fluentes. Non ſolum enim generat; verum etiam per ſe, & ſecundum quod ipſum ſpirat, quia Amans eſt genitor. Sed ita ordinate, ſpirat vt *quod*, ac dempta omni imperfectione ſubordinate ſpirat per Filium vt *Per quod*, vt non ſpiraret, niſi prius origine Pater eſſet. Ita etiam filius habet generari, & ſimul amare mediatè, vt mediatum principium *per quod*, ita tamen ordinatè, vt non amaret notionaliter, niſi prius origine genitus eſſet à Patre, & ad Patrem referretur, tam in paſſiuè generando, quàm in actiue poteſtatem ſpirandi accipiendo à Patre. Colligo vltimo quod ſicut Pater eſt alius perſonaliter Creator Deus atq; alius perſonaliter Creator Deus eſt filius: ſic alius perſonaliter ſpirator Deus eſt Pater, atque alius Spirator perſonalis Deus eſt Filius. Et conſequenter ad alium perſonaliter & notionaliter Spiratorem Deum refertur Spiritus ſanctus dum refertur ad Patrem, tanquam ad Alpha & Omega perſonale, ſeu ad terminum vltimatum, fontalem, atque ingenitum principium *quod*. nec non ad alium formaliter & indiuidualiter ſpiratorem Deum perſonalem refertur Spiritus ſanctus dum refertur ad Filium, tanquam ad mediatum, & non vltimatum, ſed concomitanter ſpiratiuum & principiatum ſine imperfectione principium *per quod* Non ergo datur, neque dari poteſt vnus perſonaliter ſpirator Deus, ſine Sabelliana hæreſi, ſicut neque datur, neque dari poteſt vnus, idemque perſonaliter Creator Deus, ſine eadem hæreſi Sabelliana. Sed ſicut de fide eſt dari plures vltima ſaltem denominatione perſonaliter Creatores, habentes diuinitatem. Sic pariter eſt de fide, dari plures perſonaliter ſpiratores, & habentes unam eandemq; Diuinitatem, ac exiſtentes vnum, eundemque ſubſtantiue Deum. Sabellianum eſt itaque ſentire & docere quod Pater & Filius ſint vnus, idemq; ſpirator Deus. Spirator enim ad intra non niſi perſonalis eſſe debet, ſicut ſpirator eſſentialis ad extra, ſeu in eſſentialibus, non niſi eſſentialis, & imperſonalis, & communis omnibus tribus beatis perſonis, ac vnus idemque ſubſtantiuè Deus ſpirator eſſe poteſt, & debet. quod fuſius infra probabimus oſtendentes, quod in Filio & Spiritu ſancto non eſt potentia ad generandum, ſecus de facto generarent. Nam in æternis idem eſt eſſe & poſſe, & fruſtra eſt illa potentia in tali ſubiecto in quo & à quo non poteſt reduci ad actum. Vnde potentia generandi eſt perſonalis ſolius Patris: non autem eſſentialis & communis eſt, neq; pertinet ad eſſentialem, ſed ad perſonalem omnipotentiam ſolius Patris, tanquam ſolius Alpha & Omega perſonalis, & authentici principij *quod*, à ſe generandi, ſeu ſpirandi fontaliter vt *quod*, & à ſe.

De fide eſt in diuinis dari plures perſonaliter Spiratores ſicut dantur plures perſonaliter creatores.

Quod Diuina eſſentia, ſeu hæc Diuina eſſentia, neque eſſe poſſit principium efficientis quo, *neq;* quod. *niſi ſola ratione ex imperfecto noſtro, & inadæquato intelligendi modo, ex Suario contra ipſos Ieſuitas reale.*

CAPVT 12.

Suppoſitio 8.

SVppono ſeptimo quòd Diuina eſſentia ſola ratione, ſit principium *quo* efficiens, non autem ſit principium ſimul & cauſa realis, dempta ſemper imperfectione. Secus primo Deus eſſentialis eſſet principium *quod*, ſi Diuina eſſentia, eſſet principium *quo*. Secundo Diuina eſſentia realiter diſtingueretur a perſona producta, ſiue diſtinguatur vt *quo*, ſiue ut *quod*, tam ad intra, quam ad extra. Nam inter producens & productum (ſiue vt *quo*, ſiue vt *quod*) ſemper eſt realis diſtinctio. Tertio Diuina eſſentia realiter referretur ad perſonam productam, ne dum realiter ab ea diſtingueretur,

retur. Quarto perſona producta procederet à ſua diuina eſſentia, ſiue vt *quo*, ſiue vt *quod*. Cum tamen id implicet, quia proprie procedere dicit diſtinctionem realem, tam ad intra, quam ad extra. In qua re ſatis placet doctrina Suarij de Trin. li. 6. c. 2. num. 8 § *Tertio notanda eſt ratio quod ad intelligendam emanationem realem vnius perſonæ ab alia, neceſſe eſt, vt etiam intelligamus realem influxum perſonæ producentis in productum. quem influxum, actionem appellamus. Hic autem influxus realis non poteſt intelligi in formali principio* quo, *vna perſona ab alia producitur. Ergo debet intelligi, quod ſit ipſamet proprietas perſonæ producentis. Maior ex terminis videtur nota, quia ſine reali influxu non concipimus proceſſionem realem. Minor vero probatur ex differentia inter emanationes diuinas, & creatas. nam in creatis actio ipſa diſtinguitur non ſolum à principio* quod, *ſed etiam à principio* quo, *agendi. nam ab vtroque realiter fluit. In Deo autem hoc dici non poteſt. quia illud principium* quo, *eſt eſſentia; à qua nihil in re ipſa diſtinguitur. Ergo non poſſumus concipere in Deo originem actiuam, vt realiter fluentem à principio* quo *agendi, ſed ratione tantum. Aliunde vero ipſum etiam principium* quo *producendi, in Deo non eſt, quid diſtinctum à termino producto. quod eſt etiam ſingulare in Deo. Ob quam cauſam non poſſumus concipere illud principium* quo, *vt realiter, & quaſi actiuè influens in perſonam productam, cum ſit intrinſeca, & eſſentialis forma eius. Ergo vt intelligatur ibi realis influxus, rectè concipitur ipſa actio productiua, vt diſtincta ratione à termino adæquatè producto in re ipſa, & conſequenter, vt idem re cum productiuo principio* quod, *&c.* quid clarius dici poteſt ex Suario? Confirmatur ex S. Th. p. p q. 32. art. 2. corp. § *Reſpondeo dicendum quod Præpoſitinus attendens ſimplicitatem diuinarum perſonarum, dixit non eſſe ponendas proprietates, & notiones in diuinis. & ſicubi inuenitur, exponit abſtractum pro concreto. Sicut cum dicimus, Rogo benignitatem tuam, ideſt te benignum. Ita cum dicitur Paternitas, intelligitur Deus Pater. Sed diuinæ ſimplicitati non præiudicat, quòd vtamur nominibus concretis pro abſtractis. quia ſecundum quod intelligimus, ſic nominamus. Intellectus autem noſter non poteſt pertingere ad ipſam ſimplicitatem diuinam, ſecundum quod eſt in ſe. & ideo ſecundum modum ſuum diuina apprehendit, & nominat; ideſt ſecundum quod inuenitur in rebus ſenſibilibus: à quibus cognitionem accipit. In quibus ad ſignificandum ſimplices formas, nominibus abſtractis vtimur. Ad ſignificandum verò res ſubſiſtentes vtimur nominibus concretis. Vnde & diuina, ratione ſimplicitatis per nomina abſtracta ſignificamus: ratione vero ſubſiſtentiæ, & complementi, per nomina concreta. Ad quod nos cogit hæreticorum inſtantia. Cum confiteamur Patrem, & Filium, ac Spiritum ſanctum eſſe vnum Deum, & tres perſonas: quærentibus* quo *ſunt vnus Deus. &* quo *ſunt tres; reſpondetur, quòd ſunt vnum eſſentia, vel Deitate: ſed ſunt tres proprietatibus notionalibus, nempe Paternitate, Filiatione, & Proceſſione. &* § *Ad 2. dicendum, quod notiones in diuinis ſignificantur non vt res, ſed vt rationes quædam, quibus cognoſcuntur perſonæ, &c.* Vbi Caietanus ait § *Eſſe aliquid ſecundum rationem, non eſt ita eſſe ſecundum rem: ſed ita à nobis intelligi. Sicut eſſe quantum ſecundum rationem, non eſt quantum ſecundum rem. Sed ſolum intelligi à nobis, vt quantum, &c.* Ecce quomodo ex S. Thoma, ac Caietano aliud eſt Diuinam eſſentiam eſſe principium quo ſola ratione ad intra; & aliud eſt eſſe principium *quo* ad extra, reali habitudine productiuum. Confirmatur primo quia in Deo eſſentialiter ob diuinam ſimplicitatem non datur abſtractum & concretum, neq; diſtinctio *quo*, & *quod*, niſi ſola ratione ex imperfecto noſtro intelligendi modo quatenus aliter non poſſumus percipere intelligibilia, niſi ad modum ſenſibilium. In Deo ergo eſſentiali idem eſt *quo* & *quod*; nullaque intercedit diſtinctio realis, neq; formalis, ex natura rei, inter Habens & Habitum ex S. Th p. p q. 29. art. 4. ad 1. & q. 40 art. 1. & 2. Ob importunitatem item Hæreticorum ſola ratione diſtinguimus *quo* & *quod* in Deo perſonali. Vnde aliud eſt quod Pater ſola ratione noſtra, ex Diuina eſſentia, tanquam principio *quo* remoto, in genere cauſæ efficientis (dempta omni imperfectione) generet Filium quod eſt Catholicum. Atque aliud eſt quod ex Diuina eſſentia, tanquam vere & realiter influente & cauſante in genere principij efficientis, ſiue vt *quo*, ſiue vt *quod* generet Filium quod eſt erroneum in fide, ſeu Arianum. Confirmatur ſecundo quia licet Diuina eſſentia ſit principium

Notanda doctrina Suarij cōtra eundē Suarium eiuſq; aſſerlas alibi cōtradicētes ſibi.

Sola perſona eſt realis habitudo productiua & relatiua non vero eſſentia.

Digitized by Google

quo eſſendi, ſeu eſſentiale, non tamen eſt ſimul principium & cauſa ad intra niſi ad extra. & oppoſita Aduerſariorum doctrina eſt maxima proteruia Ariana, ac deceptio fideliū. Secus diuina eſsētia realiter diſtingueretur a re producta ad intra, ſicut realiter diſtinguitur à re producta ad extra. Nil enim cauſare poteſt Diuina eſſentia ad intra, ſeu ad extra in abſtracto vt *quo*, quin illud idem cauſet eadem diuina eſſentia in concreto vt *quod*, ſeu vt eſt Hæc, ſingulariter ſubſiſtens; ſeu vt eſt Hic Deus eſſentialiter, in quo idem eſt *quo*, & *quod*. & ſic realiter ſemper diſtingueretur à re producta; ſiue dicatur cauſare vt *quo*, ſiue vt *quod*; quia inter producens & productum eſt diſtinctio realis, vt millies dictum eſt, ac millies dicetur contra inueteratam in Mundo Aduerſariorum doctrinam. Secus Diuina eſſentia, ſi eſſet principium realiter influens & cauſans efficienter, ſiue vt *quo* ſiue vt *quod*: tunc non ſolum reali habitudine referretur & contradiſtingueretur à re producta: ſed etiam cum Ario vel diuideretur à ſe ipſa, vel produceret ſe ipſam, vel aliud à ſe ipſa. Vtrumque eſt hæreticum. Confirmatur 3. quia ex Scoto beatæ perſonæ diuinæ referuntur quidem relationibus, ſed conſtituuntur ſuis abſolutis perſonalitatibus, quibus etiam operantur. Et ſic Pater paternitate refertur: ſed perſonalitate generat ſimilem perſonam in Filio. Et ideo Pater non generat Patrem, vt ait S. Th. p.p.q.41.art.3.& ar.5. corp. § *Licet paternitas vt forma Patris ſignificetur, eſt tamen proprietas perſonalis, habens ſe ad perſonam Patris, vt forma indiuidualis ad aliquod indiuiduum creatum. Forma autem indiuidualis in creatis conſtituit perſonam generantem, non autem eſt id quo generans generat (in genere nimirum cauſæ formalis) alioquin ſortes generaret ſortem. Vnde neque paternitas poteſt intelligi vt Quo* Pater *generat, nempe in ratione cauſæ formalis, ſed vt conſtituens perſonam* Patris. *alioquin* Pater *generaret* Patrem *(ſi paternitatem ſuam formaliter poneret in Filio) Sed id quo* Pater *generat, eſt natura diuina, in genere cauſa nimirum formalis ſine imperfectione in qua ſibi aſſimilatur ideſt identificatur Filius, & ſecundum hoc dicit Damaſcenus, quod generatio eſt opus naturæ, non ſicut generantis, ſed ſicut eius quo Pater Deus generans generat*, in ratione nimirum principij formalis. Ecce quomodo ex S.Th. neq; in Deo, neq; in nobis paternitas, eſt formale principium *quo* generationis ſeu paſſiuæ productionis perſonarum, ſed ipſa ſola natura eſt principium hoc formale *quo*. Non enim hic loquitur, neq; loqui poteſt S. Thomas de principio *quo* in genere cauſæ efficientis (dempta ſemper imperfectione) ſed loquitur de principio formali, quia Pater, vel Sortes non ponunt in Filio eorum propriam formalemque paternitatem, aut Sorteitatem, ſed diſtinctam realiter perſonalitem ſolam ponunt & ideo Pater non generat Patrem, neque ſortes ſortem. Neq; perſona Patris producit eandem numero ſuam perſonam in Filio, quia non generat perſonalitate in genere cauſæ formalis, ſed in genere cauſæ efficientis. Inter producens autem & productum, ſiue vt *quo*, ſiue vt *quod* producat, ſemper eſt diſtinctio realis.

Confirmatur 4. quia nō valet illa diſparitas ex creatis ad increata, ex S. Th. p.p.q.41. a.5. corp § *Omne agens agit ſibi ſimile in forma qua agit, ſicut homo genitus eſt ſimilis generāti in natura humana; cuius virtute Pater pōt generare hominem, &c.* Reſpōdeo exēpla

CAPVT 13. S. Thomæ non afferuntur vt in omnibus valeant. Vnde id verum eſt in creatis: in quibus, fit aſſimilatio ſola naturæ; falſum autem id eſt in diuinis in quibus non fit Ariana aſſimilatio ſeu Homoeuſion Arianum, neq; reſultat aſſimilationis relatio realis: ſed fit realis communicatio, & identificatio eiuſdem numero naturæ diuinæ, ac Catholicum Homouſion intercedit. Et ratio diſparitatis eſt, quia in alio genere, cauſæ nimirum efficientis vt *quo* concurrit creata. E contra vero natura diuina concurrit in genere ſolius formalis cauſæ, ſeu principij *quo* conſtituitur paſſiuè quælibet perſona ſiue Patris ſiue filij in ratione huius Dei. Non autem concurrit in genere cauſæ & principij efficientis vt *quo*, niſi ſola ratione, vt rectè aduertit Suarius lib.6. c.2. num.8. ex imperfecto noſtro concipiendi modo. Et patet euidenter, quia ſi Diuina natura eſt terminus formalis generationis Filij, ſeu productionis Spiritus ſancti, qua ratione eſſe poteſt cauſa, ſeu principium efficiens ſui ipſius, ſine Ariana partitio-

Digitized by Google

titione ac reali diſtinctione ſui ipſius? & tamen (o proteruiam Aduerſariorum) totum oppoſitum ſentire & docere non verentur multi Theologi. Confirmatur quinto, quod diuina natura, ſola ratione ſit principium *quo*, non autem reali habitudine, ſeu cauſalitate, & efficienter, quatenus nimirum dat perſonæ Diuinæ, vt ipſa cauſet & principiet reali cauſalitate ſine vlla tamen imperfectione. Eſt enim Diuina natura principium tantum non vero cauſa ad intra. Sic Suarius primo tom. Metaph. diſp. 1. probat quod Ens habet ſua principia, non autem habeat cauſas ſui eſſe. Item probat quod vnum Attributum diuinum, habet aliud Attributum pro ratione formali cognoſcendi, non autem pro cauſa eſſendi. Deus enim eſt æternus, quia immutabilis, nec non eſt infinitus, quia eſt ſimpliciter ens neceſſarium; & eſt liber, quia intelligens, &c. Sic Diuina eſſentia eſt ratio ipſi perſonæ, vt producat, ſed non eſt cauſa, reali habitudine influens ex Suario cit. ſecus realiter referretur, & contradiſtingueretur cum Ario: Item ipſa diuina eſſentia eſt virtus, & radix, ac ratio ipſi perſonæ, vt generare poſſit ſibi ſimilem perſonam non autem identificatam cum propria perſona; E contra vero eſt ratio eidem perſonæ, vt generare poſſit idem in natura, non autem ſimile in natura; ſicut ſimile in natura creata producitur, ac ſicut ſimile in natura Diuina produci contendebat Arius, in ſua hæreſi, ac dihæreſi eiuſdem ſimpliciſſimæ naturæ.

CAPVT 13.

Confirmatur 5. quod ſola ratione natura Diuina ſit principium *quo* efficiens, ex S. Th. p. p. q. 32. art. 2. corp. § *Intellectus noſter non poteſt pertingere ad ipſam ſimplicitatem diuinam, ſecundum quod eſt in ſe; & ideo ſecundum modum ſuum diuina apprehendit, & nominat, ſecundum quod inuenitur in rebus ſenſibilibus, a quibus cognitionem accipit &c.* Ecce auream doctrinam S. Thomæ quod ex analogia rerum ſenſibilium, ac iuxta modum noſtrum intelligendi, loquendum eſt de diuinis. Ex paritate enim rationis, ex imperfecto noſtro concipiendi modo, Diuinas emanationes cognoſcimus, ex emanatione creata, in qua Pater generat ſibi ſimile in natura, concurrente vt quo efficienter, atq; ita eſſe ratione apprehendimus in diuinis. Sed exẽpla non valent in oĩb.

Confirmatur ſexto ex abſurdis, quia ſi Diuina natura per ſe, & ſecundum quod ipſum eſſet principium *quo* efficienter in Patre, ita etiã eſſet in Filio, & Spiritu ſancto. quod enim per ſe eſt tale, ſemper, & vbique & intrinſece eſt tale. Secus Filius non eſſet conſubſtantialis Patri: Non enim ex Scoto in 1. d. 11. eſſentia Diuina recipit perfectionem, neque complementum, neque conditionem aliquam (nota bene ex Scoto) ſimpliciter neceſſariam à perſonis: Neque Filio, ſeu Spiritui ſancto communicatur ſterilis diuina eſſentia, ſeu exhauſta; ſed eadem, eodemque modo eſsentiali communicatur omnibus tribus perſonis: Conſubſtantialitas itaque pertinet ad ſolos actus eſſentiales, quia actus notionales pertinent ad ordinem ſolius originis fontalis in ſolo Patre principio *quod* & ideo Filius eſt conſubſtantialis Patri, licet generare non poſſit. Generatio enim non eſt ex Diuina eſſentia in genere cauſæ, ſeu principi j efficientis *quo* (niſi ſolum in genere conſubſtantialis principij formalis *quo*) ſed eſt ſolius perſonæ Patris cui tribuit Diuina eſſentia vt ordinate multiplicet Trinitatem perſonarum. Vnde S. Th. p. p. q. 41. art. 5. docet quod non pertinet ad potentiam perſonalem Filij poſſe generare, neq; ad potentiam eſſentiæ pertinent actiones perſonales, ſed id ſolius eſt Patris. § *Ad 2. dicendum quod ex Auguſtino Filius non generat, quia non oportet, non autem quia non poteſt generare, hoc eſt quia non eſt de impotentia perſonæ Filij quod non generet.* Vel quia inuenit potentiam reductam in actu ab alia perſona, vel quia ſequitur abſurdum, nam generaret ſe ipſum, & ipſemet bis generaretur, ac eſſet Pater ſui ipſius, vel quia non fuiſset ordo Diuinus cõſtituere plura principia *quod* perſonalia. Vel, quia id eſset fruſtra, neque oportet. Vnde Filio dedit Pater vt concomitanter ſpiret; tanquam principium *per quod*.

Diuina eſſentia non recipit à perſonis perfectionem aliquam neque conditionem aliquam ſimpliciter neceſſariam.

Confirmatur ſeptimo quia ſicut de fide eſt, quod Hic Deus eſsentialis, neq; generat, ſeu ſpirat, vt *quo*; neque vt *quod*: ita eſt de fide quod neque hæc diuina eſsentia generat vt *quo*, neq; vt *quod*, reali habitudine productiua, niſi ſola noſtra ratione, ex

imper-

imperfecto noſtro modo intelligendi ſpiritualia ex ſenſibilibus. nil enim aliud eſt Diuina eſsentia, niſi hic Deus eſsentialis. neque datur in Deo eſsentiali diſtinctio realis, ſeu formalis inter *quo* & *quod*; neque aliquid præſtare poteſt hæc ſubſiſtens diuina eſsentia efficienter vt *quo*; quin illud idem præſtet realiter vt *quod*; quia non datur eſsentia diuina in abſtracto, & in concreto ex S. Th. p. p. q. 29. art. 4 ad 1. & q 40. art. 1. & 2. Vnde recte Scotus ait quodl. quæſt. 4. & alibi *Ratio agendi non agit*, neque vt *quo*, neque vt *quod*. quod ſimpliciter dixit Scotus pro Diuinis Attributis, ac eſſentialibus omnibus, & præſertim in actibus perſonalibus ad intra, vbi actiones ſunt per ſe, & ſecundum quod ipſum; ſuppoſitorum, ac ſuppoſitalitatum; nullo autem modo ſunt ipſius eſſentiæ neque vt *quo*, neque vt *quod*; niſi ſola ratione noſtra imperfecta, ad imperfectũ noſtrum modũ intelligendi ſpiritualia, ex analogia ſenſibilium.

Suppoſitio 4.

Confirmatur octauo quia non valet Aduerſariorum illud argumentum ſophiſticum, Pater & Filius ſunt idem ſpiratiuum principium eſſentiale *quo*, ergo ſunt idem ſpiratiuum principium *quod* in concreto. Non valet inquam primo, quia principium productiuum ad intra, perſonale eſſe debet; nam actiones perſonales, ſunt diuinarum perſonarum ſecundum quod ipſum. Pater autem & Filius non poſſunt eſſe vna, eademq; Sabelliana perſona; ſeu vnum, idemq; Sabellianum principium productiuum *quod*. Nõ valet ſecundo, quia ſemper *quo*, eſſentiale reducitur ad ſuum proportionatum *quod* eſſentiale. neque operari poteſt *quo* eſſentiale, ſeu ipſa diuina eſſentia, quin pariter operetur *vt quod*, eſſentiale, Hic Deus eſſentialis, ſeu vt hæc eſſentia diuina. Sicut pariter non poteſt perſonalitas Patris noſtro intelligendi modo imperfecto, aliquid producere vt *quo*, quin illud idem producat Pater, ſeu perſona Patris, vt *quod*. Non enim vnum *quo*, noſtro intelligendi modo principare poteſt ſine ſuo proportionato *quod*, quia non datur vlla diſtinctio neque realis neque formalis inter *quo*, & *quod* ſuum porportionatum in Diuinis. Pater enim eſt ſua paternitas, & Deus eſſentialis eſt ſua eſſentia. Dices ex Scoto in 1. d. 11 q. 11. § *Habens principium perfectum productiuum, prius quam intelligatur habere terminum productum, poteſt illo principio producere: ſed Filius habet voluntatem fœcundam, ergo aquè producere poteſt ſicut & Pater*. Reſpondeo primo non ſufficere tale principium *quo*, quia etiam Hic Deus eſſentialis habet illud idem principium & tamen nõ poteſt generare. Reſpondeo ſecundo principium productiuum reali habitudine in actibus perſonalibus, eſſe ſolam perſonam, ſecundum quod ipſum: non autem diuinam eſſentiam, ſeu diuinum intellectum, aut diuinam voluntatem, quia Diuina eſſentia generat ſola ratione noſtra imperfecta ex Suario cit. Patet adhuc, quia ſi Pater per impoſſibile, non crearet prius origine ad extra, neque prius origine ſpiraret ad intra; tunc neque Filius crearet ſeu ſpiraret, quia ſecunda perſona ſeu mediatum principium *per quod* non niſi ordinate, ac ſubordinate (dempta omni imperfectione) exire poteſt in actum cum immediato principio *quod*, ac cum Prima perſona. Vnde in illa hypotheſi Suarij de Trinitate ſi poſt ſapientiam, ſeu intelligentiã ingenitam, Pater ex amore Diuinæ eſſentiæ produxiſſet prius Spiritum ſanctum, quam genuiſſet Filium, tunc (vt recte ſentit Suarius) Spiritus Sanctus non fuiſſet compater, ſeu congenitor Filij, in quo diſcedit ab opinione Scoti, in 1. d. 26. q. 1. docentis, quod tunc Spiritus ſanctus fuiſſet compater ſeu congenitor Filij, ſi ante Filium productus fuiſſet. Et ratio Suarij eſt quia nõ ſufficit habere idem principium *quo*, ipsã diuinã eſſentiam ad generandum, ſeu ſpirandum *vt quod*, ſed ſimpliciter requiritur fontalitas ingenita. & Authoritas anarchica Paterni Principij *quod*. Secus ſi Diuina eſſentia eſſet principium *quo* efficiens. tunc vt bene inſtabant Græci in Concilio Florentino eadem Diuina eſſentia ſimul fuiſſet cauſa & cauſata, ſimulque concurriſſet in genere cauſæ ſeu principij effientis, ac cauſæ formalis, quod eſt erroneum in fide.

Quod

Digitized by Google

Quod introductis pluribus perſonis, ex æquo immediatè principiantibus vt quod *introducentur plures ſpiratores, ſeu plura ex æquo principia perſonalia, cum derogatione vnius & ſolius dignitatis, & authoritatis Paternæ, ac cum deſtructione eius perſonalis Alpha & Omega, ſeu fontalis principij* quod *Paterni.*

CAPVT 14.

Suppoſitio 9.

Atque hinc ex præcedenti ſuppoſitione patet quod ſi Diuina eſſentia, & Diuinus intellectus, ſeu voluntas, ſunt tantum principium, & ratio ipſi ſuppoſito, vt ſuppoſitũ ipſum reali habitudine producat efficienter; non aũt eſſentialia, ſunt principium ſimul, & cauſa: hinc inquã patet quarto quod introductis (cũ Suario de Trin. l. 10. c. 3. & cum Vaſchez de Trin. c. 6. & cum Fauentino in 1. d. 12. diſp. 4 r.) pluribus ſuppoſitis, æquè principaliter, & immediatè, tam immediatione ſuppoſiti, quàm immediatione virtutis ſpirantibus, introducentur conſequenter plures ſpiratores, & plura perſonalia principia, immediata, atq; ingenita; & conſequenter plures dij, ex S. Th. p. p. q. 33. a. 4. ad 4. quia non reſoluuntur in vnũ ordinatũ, & ſubordinatum (dempta ſemper omni imperfectione) cõcurſum & principium ingenitũ, & immediatum *quod*, ac in mediatum, genitumq; principium *per quod*. contra doctrinam S. Thom. cit. § *In omnibus reſoluendum eſt, ac deueniendum ad vnum tantum principium* quod *ingenitum & immediatum: ſecus ponere duos ingenitos, ſeu immediatos, eſt ponere duos Deos, &c.* & ideo Sancti Patres Græci cum S. Th. p. p. q. 36. a. 2. & 3. ponunt ordinatam, & ſubordinatam ſpirationem; ac diſtinguũt mediatam ab immediata productione: necnõ diſtinguunt fontale ingenitumque ſpiratiuum Alpha & Omega perſonale paternum principium *quod*, à genito, & concomitanter ſpirante Filiali principio perſonali *per quod*, quia in omnibus reſoluendum eſt, ac deueniendum ad vnum tantum primum principium perſonale, prius origine ſpirans, ſeu creans: quàm reliquæ perſonæ ad hoc, vt euitetur omnis confuſio; & diſtincta, ac ordinata declaretur fidei Catholicæ profeſſio. fontalem principiationem & Authoritatem ac Dignitatem ſimpliciter principiandi ad intra ſoli Patri adſcribendo, tanquã ſoli fonti, & ſoli primo negatiuè, ac ſoli ſimpliciter Principio, ac ſoli Authori, ideſt à ſe exiſtenti, & à ſe negatiuè operanti. Vnde ſi ſpirator non poteſt ſpirare ex ſua eſsentiali forma vt viſum eſt ex præcedenti ſuppoſitione: hinc ſequitur neceſsario quod ſpiret ex ſua indiuiduali, ac perſonali forma, vt perſona eſt, non vt relatio eſt, nam actiones ſunt ſuppoſitorum, non autem ſunt Relationum neque relatiuorum reduplicatiuè, cum relatio non ſit actiua, neque ad relationem detur motus, ſeu productio. ad quam ſequitur non ſolum diſtinctio realis, ſed etiam relatio realis. Et ideo eſsentialia nullo reali modo, ac reali habitudine, ſeu influxu efficienter, noſtro intelligendi modo influunt, quia etiam realiter referrentur, ac realiter diſtinguerentur in Diuinis, ſicut in creatis, ſi vtrobique æque efficienter influerent ſiue vt *quo*, ſiue vt *quod*. Quod autem ſint plures ſpiratores vt *quod* ſecundum Latinos aliquos, ſi actus referatur ad perſonas, earumque perſonales, & indiuiduales formas patet ex S. Th. p. p. q. 36. a. 4. § *Ad 7. quidam dicunt, quod Pater & Filius ſunt duo ſpiratores, propter diſtinctionem ſuppoſitorum; ſicut etiam ſunt duo ſpirantes, quia actus referuntur ad ſuppoſita. Nec eſt eadem ratio de Creatore, & ſpiratore. quia creaturæ procedunt ad extra à tribus perſonis, vt ſunt vnum in eſſentia. Spiritus ſanctus autem procedit à Patre, & Filio, vt ſunt diſtinctæ perſonæ. Sed melius videtur dicendum quod ſint duo ſpirantes, & vnus ſpirator propter vnicam formam ſpiratiuam, &c.* Sed falſum eſt formam eſsentialem generare ſeu ſpirare vt *quo*, ſeu *quod*; nam id habetur à forma indiuiduali, ergo multiplicata hac forma multiplicantur Spiratores. Ecce quomodo ex S. Th. Pater & Filius ſunt vnus Creator, quatenus creant per ſe. & ſecundum quod ipſum, vt vnus hic Deus; nam perſonæ per accidens negatiuè creant, & vltima denominatione. E contra vero ait S. Th. quod ſi actio ſpirandi referatur ad perſonas primaria denominatione, & per ſe, ac ſecundum quod ipſum ad intra ſpirantes (vt referri reuera debet) tunc erunt duo ſpiratores, quia actiones

Si datur Spirator, non ſolum erit Author, ſed etiam ſpirabit ex ſua indiuiduali forma: cum forma eſſentialis non ſit productiua.

ctiones

Digitized by Google

ctiones perſonales ad intra per ſe, & ſecundum ipſum ſunt ſuppoſitorum, & nullo modo ſunt diuinæ eſſentiæ, neque vt *quo*, neque vt *quod*. Actio enim vt actus eſt, eſt actus agentis ſubiectiuè, licet terminatiuè vt paſſio eſt, ſit actus termini producti. Et ideo Sācti Patres Græci ad effugiendam introductionem hanc duorum Spiratorum, ſeu principiorum perſonalium, orthodoxè ſatis ſentiunt dari vnum ſolum fontalem Spiratorem, & vnum Authorem, tanquam principium *quod*, reſoluendo omnia cum Sancto Th.p. p.q. 33. art. 4. ad 4. in vnum tantum, ac ſolum ingenitum principium perſonale *quod*; licet concomitanter etiam ſpiret per Filium, tanquam per mediatum, ac principiatum principium *per quod* dicendo Spiritum ſanctum procedere à Patre per Filium, & conſequenter Spiritum ſanctum referri ad Patrem per Filium ex S.Th.q.35.a.2.corp.§ *Spiritus ſanctus autem refertur ad Patrem per Filium, &c.* Confirmatur ex Concilio Florentino in Decreto primo §. *Idem ſentiunt Latini per ly Spiritus ſanctus procedit à Patre & Filio; quod ſentiunt Græci per ly Spiritus ſanctus procedit à Patre per Filium: procedit enim à Patre & Filio tanquam ab vnico principio, &c.* quod nullo modo poteſt intelligi de vnico principio eſſentiali, vt gratis intelligit Suarius, Becanus, Fauentinus, & eorum aſseclæ omnes. quia principium eſſentiale nullo modo ad intra productiuum eſſe poteſt, ſine Ariana diſtinctione reali, inter producens & productum ita ad intra, ſicut ad extra. ergo neceſſario id intelligendum eſt de vnico principio perſonali, quod verè, & ſimpliciter ſit principium, ſeu Primum ſuppoſitum, ac ſit à ſe, & ingenitum, ſeu in principiatum, & authenticum *quod* quamuis concomitanter det Filio eſſe principiatum, ac genitum, & mediatum principium *per quod*. Licèt autem genitum, & ingenitum principium *quod*, ſeu *per quod* non pertineant ad eſſentiam: pertinent tamen ad formam indiuidualem talis perſonæ. *Vnde* ſicut habet Pater ex vi ſuæ conſtitutiuæ indiuidualis. & perſonalis formæ, quod ipſe ſolus Pater ſit ingenitum principium perſonale & fontale *quod*, & authenticum, ſeu à ſe cuiuſcunque emanationis, tam ad intra, quàm ad extra, tanquam perſonale Alpha, & Omega cuiuſcunque productionis: Ita Filius ex vi ſuæ originis habet, *vt ſit* principiatum principium, genitum, & mediatum *per quod* (Io: 1.) omnia non implicantia, facta ſunt notificabilia, & à Patre per Filium producibilia, ſiue ad intra, ſiue ad extra; ac tandem ad eundem Patrem, tanquam ad ſolum perſonale Alpha & Omega ſint referibilia per ipſummet Filium. quicquid gratis & falsò, ſeu non belle contradicat quidam Doctor bellus, immo non bellus, neque bella, ſed bellum & contradictio vana cuiuſcunque eiuſmodi doctrinæ catholicæ & orthodoxæ, negans hanc diſtinctionem modi eſſendi, & modi operandi cum diſtincta & ordinata habitudine Patris per Filium, & Filij à Patre pertinere ad indiuidualem, & perſonalem formam conſtitutiuam Patris & Filij, cum tamen ordinata origo geniti & ingeniti, afferat ſecum diſtinctam habitudinem realem vnius per alium, ſeu ab alio.

Quomodo intelligatur illa Maxima, In Deo omnia ſunt vnum, vbi non obuiat relationis oppoſitio, ideſt ordo originis. Vnde quia inter Patrem & Filium eſt ordo originis in ſpirando, ideo in ſpirando perſonaliter non poſſunt eſſe vnum ſpiratiuum principium perſonale ad intra ſine Sabelliana hæreſi.

CAPVT 15.

Suppoſitio 10.

SVppono ſeptimo quod talis Maxima intelligitur in Deo, non autem in nobis, noſtriſque inadæquatis conceptibus de Deo, vt ait Caietanus de ente & eſſentia. Item in Deo eſſentiali, & ſubſtantiuè; non autem in Deo perſonali, & adiectiuè ſumpto. Non ergo reſpectu plurium perſonarum omnia in Deo ſunt vnum. Vnde Pater & Filius non ſunt vnus idemque perſonaliter Creator Deus, ſine hæreſi Sabelliana. neque ſine eadem Sabelliana hæreſi Pater, & Filius ſunt vnus, idemque perſonaliter Spirator Deus. Neque Hic Deus perſonaliter vt probat Torres (oſtenſo Patre) eſt idem hic Deus perſonaliter qui eſt Filius (oſtenſo Filio.) In Deo itaq; abſolute ideſt in eſſentialibus, Diuiniſque Attributis, omnia ſunt vnum realiter, non

autem

Digitized by Google

autem formaliter. nam Diuinæ perſonæ non opponuntur vt perſonæ, & hypoſtaſes ſunt, neque in Deo, neque in nobis, neq; vt Diuinæ ſunt, nam vt ſic ſunt ratio communis & conſubſtantialis. licet opponantur vt ſunt Pater, & Filius. non vero vt Prima, & Tertia, vel Secunda perſona ſeu hypoſtaſis. Et ideo Diuinæ perſonæ non participant definitionem relatiuorum, ita vt vna perſona ſit ſui oppoſiti correlatiui perſona, & conſequenter non ſunt correlatiuæ. Cui enim non competit definitio relatiui; neque competit definitum. Et tamen falſum eſt omnes diuinas perſonas, eſſe vnam perſonam Sabellianam. Vnde S.Th.p p. q.29. art.4. exponens illud Auguſtini ſeptimo de Trin.§ *Cum dicimus perſonam Patris, non aliud dicimus quam ſubſtantiam Patris, ad ſe quippe dicitur perſona, non ad Filium*, ſic ait in corpore § *Perſona non dicitur ad aliquod, ſicut nomina, quæ relationem ſignificant. Significat enim relationem, non tamen per modum relationis, in quantum eſt relatio, ſed in quantum ſignificatur per modum hypoſtaſis*. Vnde ex Boetio defendit definitionem perſonæ S Thomas p p. q. 29. art.3.ad 4.quod ſit *Rationalis naturæ incommunicabilis ſubſtantia*, vel ex Riccardo de Sancto Victore quod ſit *Diuinæ naturæ incommunicabilis exiſtentia*. Et ibidem ad ſecundum § *Perſona ſignificat dignitatem: Vnde quidam definiunt perſonam, quod ſit hypoſtaſis, proprietate diſtincta, ad dignitatem pertinente*. Vbi Caiet. ait § *ex perfectione diuina prouenit, quod Deus ſit trinus in perſonis, quia perſona includens naturam, eſt perfectiſſimum quod eſſe poſſit in natura*. & q.3 1.a. 1.ad 1.ait § *Trinitas perſonarum non eſt nomen relatiuum, quia non dicitur ad aliud*. Perſona ergo conſequenter ſignificare poteſt relationem, ac materialiter, non autem formaliter. Vnde Caietanus ibi ait S.Th.de potentia, q.8.art. 4 docere, quod perſona formaliter dicit hypoſtaſim, ſupra quam addit dignitatem naturæ intellectualis; materialiter vero dicit relationem. Confirmatur quia Pater in diuinis prius eſt hypoſtaſis, quam operetur hypoſtaticè, ſicut prius eſt actus primus quam actus ſecundus, ſeu prius ratione & naturali ordine, eſt vniuerſale principium, quam principiet ſeu generet aut ſpiret, nam actiones perſonales ſunt ſuppoſitorum. Generat enim Pater in Diuinis, quia hypoſtatice pater eſt. non autem Pater eſt, quia generat vt contingit in humanis ex S.Th.p p.qu.40.ar.4.arg. *Sed contra*, ſecus haberet ſuum eſſe à Filio, ſeu ab actu generandi Filium. Legatur ibi Caietanus de Patre concepto, & de Patre exercito.

Perſona de materiali dicit relationem ex S.Th.de potentia q.8.a.4

Confirmatur primo, quia neque Pater, neque Filius, qua tales, opponuntur Spiritui ſancto; & tamen Pater non identificatur Spiritui ſancto, niſi ex Sabelliana hæreſi, ſed realiter à Spiritu ſancto diſtinguitur diſparatè qua Pater eſt, non qua Spirator, eſt quid commune, & confuſum, ac indiſtinctum in Patre & Filio. Sic & Filius diſparate, ſeu mediatè diſtinguitur realiter à Spiritu ſancto, qua Filius eſt. Licet ergo vt ſic, immediatè Pater, qua genitor eſt, non opponatur Spiritui ſancto: non tamen tales entitates perſonales, identificantur, eò quod relatiuè & immediatè non opponantur, quia ſufficit ex Scoto diſparata, ſeu mediata oppoſitio, qua vnum incompoſſibiliter ſit aliud. Sic exiſtentia, & ſubſiſtentia perſonalis ſunt in ordine ad ſe, non autem in ordine ad aliud. Vnde non eis competit definitio relatiuorum, & tamen falſum eſt ſentire & docere quod omnes exiſtentiæ, vel ſubſiſtentiæ perſonales ſint vna exiſtentia, ac vna ſubſiſtentia Sabelliana. Vlterius ſex illa prædicata tranſcēdentalia, quæ abſtrahunt ab abſoluto *Res, Ens, Vnum, Verum, Bonum, Aliquod*, non ſunt vnum in perſonis, quia id Sabellianum eſt, ſed quælibet diſtincta perſona ſuam habet diſtinctam entitatem, realitatem, veritatem, bonitatem, vnitatem, & aliqueitatem. quod fuſius probat Suarius de Trinitate. Ex his ſequitur quod ly *Ego & Pater vnum ſumus* non poteſt intelligi de prædicatis tranſcēdentalibus, neque de perſonalibus ſubſiſtentijs, neq; de relationibus. Sed tantum de eſſentia & eſſentialibus, in quibus non eſt ordo originis: & etiam Spiritus ſanctus eſt vnum cum Patre & Filio, Vnde Spiritus ſanctus eſt vnum cum Patre in ſpirando amorem eſſentialem, ſeu eſt vnus idemque eſſentialis ſpirator. ſi enim Pater & Filius eſſent vnum in relatione ſpiratiua tunc etiam eſſent vnum in perſona (quæ nihil aliud eſt quam ſubſi-

D ſtens

Digitized by Google

ſtens relatio diuina) Duplici enim proprietate relatiua conſtituitur quælibet perſona & per duplicem relationem connectitur cum qualibet perſona. Pater enim in diuinis eſt ſimul Pater & Amans, ſeu Pater Amans vt *quod*: ac, reſpicit ſimul Filium & Spiritũ ſanctũ. Filius vero refertur ſimul ad Patrem à quo habet eſſe & ſpirare vt *per quod*. & ad Spiritũ S. Spiritus S. item ſimul refertur ad Patrẽ vltimatè, & immediatè; ac ad Filium mediatè, ſeu, non vltimatè. Et ſine tali ordine confunderentur diuinæ relationes, ac perſonæ non diſtinguerentur, neq; vna ſpiratiua relatio ordinaretur ad aliam, ita vt Filius ſpiret à Patre, & Spiritus ſanctus ad Patrem vltimatè & immediatè referatur, ſed per Filium mediatè & non vltimatè (quæ quidem duplex relatiua proprietas conſtitutiua perſonæ eſt vna ſubiectiuè, licet ſit duplex terminatiuè) At nihil confuſum & inordinatum eſſe poteſt in Deo, eo vel maximè quia proprietas ſpiratiua non aduenit Patri, & Filio, ſed præuenit eorum conſtitutionem vt fuſius infra ex Suario de Trin.lib.5.cap 6.num 7.

Confirmatur ſecundo, quia ideo Pater & Filius, & Spiritus S. ſunt vnus Deus eſſentialis, & vnus Creator, vnus Æternus ſubſtantiuè, & vnus ſpirator eſſentialis, quia nulla oppoſitio eſt, ac nullus ordo originis eſt inter perſonam quamlibet, collatam cum ipſo Deo eſſentiali: in quo etiam ipſæ perſonæ tranſeunt in ſubſtantiam Dei, ex S.Th p.p.q 39.ar.1.ad 1. Vnde ipſa perſona Patris eſt ipſa ſubſtantia Patris ex Auguſtino, vt probat ibi S.Th. Si ergo Pater & ſpirator notionalis, ſeu paternitas & ſpiratio ſunt vnum, id erit quia neque relatio vlla, neq; vllus ordo originis eſt inter Patrem & Filium, ac ſpiratorẽ, ſeu in ordine ad ſpiratorem, ſed hoc eſt erroneum in fide; quia vt ſic conſequenter neque Pater erit à Spiratore, neq; ſpirator erit à Patre, ſi nullus eſt ordo originis inter eos. Vnde Filius vt Spirator non erit à Patre. Sed Pater & Filius erunt vnum in ſpiratore, ſeu erunt vnus ſpirator, quia vt ſic non eſt ordo originis in ſpirando inter Patrem & Filium. Sed hoc eſt erroneum in fide: quia in ſpirando eſt ordo originis inter Patrem & Filium: ergo Pater & Filius non ſunt vnum in ſpirando perſonaliter, ſicut non ſunt vna perſona, ſed diſtinctũ principium perſonale *quod*, & *per quod*.

Confirmatur tertio, quia ſpirator ille Deus, adiectiuè, ſub tali diſtincta formalitate Spiratoris, ſub qua neque eſt formaliter Pater, neque eſt formaliter Filius, peto primo an ſubſiſtat & operetur propria ſubſiſtentia ſua relatiua, realiter contradiſtincta à ſubſiſtentia Spiritus ſancti (& vt ſic talis eius ſubſiſtentia relatiua non poteſt eſſe vnum cum alia ſubſiſtentia cuiuſcunque perſonæ; Sed erit realiter diſtincta relatio, & diſtincta perſona, nam perſona eſt relatio ſubſiſtens, & actiones ſunt perſonarum) Vel peto ſecundo an talis ſpirator ſubſiſtat, & operetur ſubſiſtentia eſſentiali, & communi, vt Deus ſubſtantiuè eſt (Et vt ſic ſequetur quòd perſona producta non eſſet ille idem ſubſtantiuè Deus, quia inter producens & productum ſemper eſt diſtinctio realis.)

Confirmatur quarto, quia vbi eſt pluralitas agentium, ibi eſt confuſio, niſi ſit ordo, & ordinis vnitas, nempe principium, medium, & finis, ſeu immediata principiatio vnius, & mediata ſeu ordinata, ac ſubordinata principiatio alterius ex S.Th. p.p.q.42.art 3 corp. In omnibus enim deueniendum eſt ad vnum tantum primum, ingenitum, & immediatum principiũ, quod ſit à ſe, & per ſe, & ſecundũ quod ipſum ſit tale; nec non alijs ſit ratio eſſendi tale, ac taliter operandi, ex eodem S. Th p.p. q.33.art.4 ad 4. Vel ergo ſpirator ille Deus ſpirat per ſe, & ſecundum quod ipſum, & à ſe, prius ordine originis, quam ſpiret Pater & Filius; qui ſecundario ſpirent non à ſe, ſed ab illo ſpiratore Deo. Vel è contra ſpirator ille Deus non ſpirat à ſe, ſed à Patre, neque ſecundum quod ipſum, ſed per accidens negatiuè. Et vt ſic, fruſtra multiplicantur entia ſine neceſſitate, ac fruſtra introducitur alius adiectiue Deus ſpirator præintellectus Patri, & Filio, quod Scotus in primum d. 11. q.1. abſurdum eſſe proteſtatur § *Ad argumenta, Illud non videtur probabile* &c. quicquid ergo dicas redargueris. Siue enim dicas quod ſpirator ſpirat à ſe, ſiue quod Pater ſpiret ab il-

lo,

Digitized by Google

lo, ſemper erit ordo originis inter Patrem & ſpiratorem, & ſic dabitur quarta perſona Trinitatis, (nam actiones ſunt ſuppoſitorum) ſicut per te datur quarta formalitas, relatiue & realiter contradiſtincta à relatione Spiritus ſancti & conſequenter ab omni alia ſpecifica relatione, omne enim conſtitutiuum, eſt etiam diſtinctiuum à quocunque etiam diſparato ex Scoto.

Confirmatur quinto, quia non valet illa conſequentia, ſeu paritas immo diſparitas tua, *Pater & Filius ſunt vnus idemque ſpirator Deus eſſentialis amoris: Item ſunt vnus idemque eſſentialis Creator Deus: ergo ſunt pariter vnus, idemque perſonalis ſpirator Deus, ſeu vnum, idemque perſonale principium ſpiratiuum Sabellianum ſicut ſunt vnum idemque eſſentiale principium.* Neque valet illa tua Maxima praue intellecta quod *Omnia in Deo ſunt vnū, vbi non obuiat relationis oppoſitio,* quia id intelligitur de oppoſitione ordinis originis. E contra vero quia in ſpirando, ſicut & in creando eſt ordo originis inter diuinas perſonas, ideo omnes perſonæ non poſſunt eſſe vna perſona creatrix, ſaltem vltima denominatione: neque pariter perſonæ Patris, & Filij poſſunt eſſe vna perſona Sabelliana; ſeu vnum in perſona ad ſpirandum perſonaliter neque vnum principium ſpiratiuum. hoc enim perſonale eſſe debet ſecundum quod ipſum, quia actiones perſonales ad intra ſunt per ſe ſuppoſitorum tantum; & nullo modo ſunt diuinæ eſſentiæ, neque vt *quo*, neq; *vt quod.*

Quod proprietas indiuidualis ſpiratiua prauenit conſtitutionem Patris & Filij: non autem aduenit accidentaliter eiſdem conſtitutis in eſſe perſonali, & indiuiduali.

CAPVT 16

Suppoſitio 11

SVppono vndecimò proprietatē indiuidualē ſpirandi non aduenire Patri, & Filio conſtitutis in eorum eſſe perſonali, atque actu perfecto, tanquam accidentalem proprietatem perfectiuam præexiſtentis perſonæ Patris. quicquid enim aduenit poſt eſſe indiuiduale, ſeu perſonale, eſt accidens. quod ipſemet Suarius præclare fatetur & confirmat de Trin. lib. 5. cap. 6. n. 7. § *Ad reſpondendum autem fundamentis in contrarium, duobus modis procedi poteſt. Prior eſt defendendo hanc relationem ſpiratiuam non eſſe intelligendam quò ad entitatem ſuam, vt reſultantem in Patre, & Filio, ex productione, ſeu origine Spiritus ſancti, ſed vt per ſe, & ex ſe conuenientem Patri, abſque origine: & Filio per productionem eius. Quod ſentiunt omnes, qui putant hanc relationem eſſe neceſſariam conditionem ex parte virtutis, ſeu actus ſpirandi. Indicat hoc Henricus, in Quodlib. 6. q. 1. quatenus ait non poſſe dari in Deo rationem aduenientem perſona conſtituta, quia eſſet accidentaria. Ratio eſt non ſolum quia ſit neceſſaria conditio prauia ad productionem per voluntatem (hoc enim eſt certiſſimum) ſed maximè quia Pater ex ſe habet omnem perfectionem realem, ſiue abſolutam, ſiue relatiuam, ſibi poſſibilem. Et ideo non expectat, vt ſic dicam, productionem Spiritus ſancti, vt illam conſequatur. Sed potius prahabendo illam producit Spiritum ſanctum tanquam terminum talis eius habitudinis. Et iuxta hoc ruit fundamentum prima ſententia, quia non eſt hac relatio merè reſultans. Sic etiam optimè intelligitur, quomodo hac relatio præexiſtat in Patre, & communicetur Filio, concomitanter cum diuinitate; quia ei non repugnat. Neque obſtat, quòd hec relatio ſit reſpectiua proprietas perſona Patris, & ideo non poſſit communicari; quia etiam illa habet ſuam infinitatem; & intimè includit diuinam eſſentiam; ideoque communicabilis eſt perſonis, cum quibus non habet oppoſitionem. Alio modo procedi poteſt intelligendo hanc ſpiratiuam relationem, vt reſultantem poſita productione Filij; quia hac reſultantia non eſt quo ad rem; ſed quo ad rationem tantum, & quo ad noſtrum intelligendi modum. Sicut vnum Attributum eſt ratio alterius, ſola ratione noſtra, &c.*

Pater alio modo dicitur in Diuinis, & alio modo dicitur in humanis.

CAPVT 17.

QVid clarius dici poteſt ab ipſomet Suario? Confirmatur quia alio modo dicitur Pater in diuinis, atque alio modo in humanis. In humanis enim dicitur Pater ex Lexicon græco quaſi Pætir hoc eſt παῖδας τηρῶν. Filios curans, & ſeruans.

Vnde niſi homo generet nunquam erit Pater, prius enim natura & cauſalitate eſt generans, quàm ſit Pater, qui eſt effectus generationis. Sed è contra res ſe habet in Diuinis vbi Pater Patris non dicitur tantum à generando ſeruandoque creatos Filios genitos, ſed dicitur, à παν & τρεῖς, hoc eſt Deus *Pan tris*, ſeu Pā Ter, hoc eſt *Tris Pan*, *Ter omne*, & Tripliciter omnipotens à ſe, fontaliter, & ingenite, tanquam perſonale & vniuerſale Alpha & Omega; ac principiũ perſonale omnis emanationis perſonalis à ſe, tam ad intra, quàm ad extra. Vnde ſi Pater qua Pater eſt, non referretur vniuerſaliter ad Spiritum ſanctum & ad Filium qua ſcilicet ſimul eſt Amans, & intelligens principium fœcundum, non eſſet *Pater*, ideſt non eſſet *Ter Pan*, & ter omne, ſeu Ter omnipotens principium ex S. Th. p.p.q.33. ar. 4. ad primum § *Pater importat vniuerſalem authoritatem, & fontalem plenitudinem omnis virtutis, &c.* Proprietas enim Patris eſt infinita in ſuo genere, & ideo habet etiam omnes alias proprietates ſibi non repugnantes. Quare non eſt idem Pater in diuinis, quod eſt in humanis genitor, qui reſpectu ſolius Filij eſt genitor; ſed reſpectu vtriuſque perſonæ eſt Pater ideſt vniuerſalis fontalitas omnis emanationis ad intra, tam intellectus amantis, quàm amoris intellectualis. Atque hinc per tranſennam patet, cur non valeat Baptiſma collatũ in nomine genitoris, geniti, & procedentis ab vtroque. Primo, quia Genitor ſignificat in fieri, Pater vero ſignificat in facto eſſe, tanquam complementum generationis, ſeu ſignificat ipſam perſonam & hypoſtaſim genitoris ex S. Th. p. p.q.33 art. 2. ad 2. & q. 40. art. 2. corp. § *Hoc nomen* (Pater) *non ſolum ſignificat proprietatem, ſed etiam hypoſtaſim: ſeu perſonam Patris. Sed hoc nomen (Genitor, ſeu Generans,) ſignificat tantum proprietatem. Pater item ſignificat relationem conſtitutiuam, & diſtinctiuam perſonæ Patris. Genitor vero ſignificat originem quæ neque eſt diſtinctiua, neque conſtitutiua hypoſtaſeos.* Secundo non valet tale Baptiſma, quia non eſt collatum in nomine Patris, qua Pater eſt in Diuinis, ideſt qua eſt vniuerſale principium, quod non prius eſt genitor, quam ſit fœcundus Amator, ac Spirator. Secus in aliquo rationis eſſet Pater, in quo non eſſet Spiritus ſanctus, & ſic Spiritus ſanctus non eſſet coæternus Patri, qua Pater eſt in Diuinis, quod non aduertit Caietanus. Sed miſſo Baptiſmo redeo ad inſtitutum. Pater ergo eſt nomen primæ Dignitatis, ſeu primæ perſonæ vniuerſalis fœcunditatis, non autem *Genitor*; ſic etiam Filius, ſeu potius Philius, eſt nomen ſecundæ Dignitatis, quaſi ſit Dilectiſſimus ſuperlatiuè, à philos poſitiuè: *Hic enim eſt Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui.* & Spiritus ſanctus eſt nomen perſonæ Tertiæ: quæ mittitur e Patre in nomine Filij, ſeu ad ipſum nomen Filij manifeſtandum & glorificandum. Non autem dixit Chriſtus Io: 16. *Spiritus quem mittet Pater in nomine ſpiratoris*, quia non datur ſpirator iſte Deus qui ſub tali quarta formalitate, & entitate, ac quarta realitate relatiua, neque ſit Pater, neq; ſit Filius, ſed ſit quartus habens deitatem, & quarta perſona incommunicabilis, nam actiones perſonales, ſeu ad intra, ſunt ſuppoſitorum, & ſuppoſitum eſt ipſa quælibet Diuina relatio ſubſiſtens ex S. Thoma p.p.q.29. art. 4. corp. § *Relatio in Diuinis eſt ipſa Diuina eſſentia, vnde eſt ſubſiſtens. Perſona autem diuina ſignificat relationem, vt ſubſiſtentem, &c.* Vnde ſi ſpirator realiter refertur ad Spiritum ſanctum, ac realiter contradiſtinguitur ab eo, ſub illa ſpecifica formalitate, qua ſpirator eſt, non qua Pater eſt, neque qua Filius eſt; conſequenter erit perſona incommunicabilis, & realiter contradiſtingueretur non ſolũ à perſona Spiritus ſancti, ſed etiam ex paritate rationis realiter cõtradiſtingueretur à quacunque alia perſona, quia omne cõſtitutiuum eſt etiam diſtinctiuum ex Scoto, ne dum ex ipſomet Sancto Thoma ſexcentis in locis. Non enim poteſt vna formalitas ſubſiſtens, realiter diſtingui ab aliqua alia formalitate, quin diſtinguatur ab alijs: ſicut non poteſt vna perſona diſtingui ab alia, quin diſtinguatur ab omnibus. Confunduntur ergo hæ tres relationes Patris, & Filij, ac ſpiratoris in vnam Sabellianam relationem, ac perſonam ſpiratoris, incommunicabilis re ipſa; ac communicabilis ſolo ficto nomine; cum tamen diſtinguendæ, ac ordinandæ ſint hæ quattuor formalitates (ſi tamen dantur) ordine & prioritate originis naturalis

Non valet Baptiſma collatũ ĩ nomine genitoris, geniti, & procedentis ab vtroque, quia Pater non eſt idem in Diuinis, quod eſt in humanis, ſeu quia aliud eſt Pater in diuinis atq; in humanis.

turalis

Digitized by Google

turalis intereas. Vbi enim eſt multitudo ſine ordine, ibi eſt confuſio ex S.Th.p.p.q. 42.a.3.corp. Vnde rectè Torres de Trinit.q.39.art.4.probat & docet, quod Hic Deus ſeu hic Creator Deus vltima denominatione oſtenſo Patre; nõ eſt hic Creator Deus, oſtenſo Filio; nam tunc eſſent vna, eademque Sabelliana perſona. Deus enim adiectiuè, & perſonaliter, ac realiter diſtinctè, dicitur de ipſis perſonis, licet omnes ſint vnus Deus eſſentialiter, & ſubſtantiuè. Ita pariter Hic ſpirator Deus, oſtenſo Patre, non eſt hic ſpirator Filius, oſtenſo Filio. Non eſt ergo vnus, idemque ſpirator Deus, Pater & Deus, ſine hæreſi Sabelliana, quia ſpirator dicitur perſonaliter ad intra, non autem eſſentialiter, & conſequenter non datur hic Fauentini, & Suarij, ac Becani Spirator vnus Deus perſonalis, & notionalis, ſeu ad intra. nam actiones ad intra ſunt ſuppoſitorum, ob ſimpliciter neceſſariam diſtinctionem realem inter producens & productum: Neq; datur ſpirator notionalis, qui ſit vnus, ac eſſentialis & imperſonalis ad intra, nam realiter diſtingueretur à perſona producta, & ſic Spiritus ſanctus realiter diſtingueretur ab eſſentiali Deo ſpiratore notionali, quod eſt erroneum in fide. ergo nullo modo datur vnus ſpirator Deus ad intra neque perſonalis, neq; imperſonalis, quia ſimul eſſet Deus eſſentialis.

Quòd Pater gignendò Filium non potuit ei dare ſuam authoritatem vnius, eiuſdemq; ingeniti, ac immediati fontalis principij quod *& fontalis Alpha & Omega ad intra, neq; extra vt* quod, *ſed concomitanter ei tradidit eſſe mediatum principium* Per quod *Io. 1. omnia non implicantia facta ſunt notificabilia, & à Patre producibilia per ipſum Filium, ac ad Patrem referibilia per eundem Filium.*

SVppono duodecimo quod Pater generando Filium tradidit ei omnia non implicantia; communicando ei idem principium eſſentiale *quo*, ſeu *quod*, vt per hoc vterque eſſet Autotheòs, hoc eſt ipſemet Deus ſubſtantiuè, de quo principio dixit Chriſtus, *Ego & Pater vnum ſumus, & ego principium, qui & loquor vobis* Io. 16. Non autem Pater tradidit Filio, vt eſſet *Autotheos* perſonaliter & adiectiuè Deus à ſe ipſo, ſeu quod ſit *αὐτὸσ*, perſonaliter, vel Author perſonalis, ideſt, quod ſit à ſe. *αὐτὸσ* enim græcè ſignificat *à ſe*, ſeu idem quod Author, & authentica, aut authoritatiua fontalitas, ac ſimpliciter & negatiuè primum ſeu principium (idem enim eſt Primum ac principium ex Ariſt.1.poſt.c.2.) hoc inquam Pater non tradidit, neque tradere potuit Filio, quia fuiſſent duo Ingeniti, & duo Patres, & duo ſubſtantiuè Dei ex S. Th p.p.q.33.art.4.ad 4.ac fuiſſent duo Alpha & Omega perſonaliter. Ex quo patet quam rationabiliter Scotus in 1.d.11.dicat quod Filius concomitanter ſpirat per ſe, tanquam principium mediatum *per quod*, non autem ſpirat vt *quod* à ſe, & fontaliter, vt Pater. Et S.Th.p.p.q.39.art.8 rectiſſimè probat quod eſſe mediatum principium *per quod* ex vi propriæ originis, non eſt appropriatum Filio, ſed eſt proprium vnius, & ſolius Filij. quicquid ibi, ſui oblitus Torres, contradicat Sancto Thomæ. Non ergo Pater dare potuit Filio ſuo, vt eſſet vnum, idemque perſonale principium *quod* cum ipſo Patre, ſiue generatiuum, ſiue ſpiratiuum; ac vt eſſet vnus, idemque ſpirator perſonaliter Deus, quod eſt hæreticum dogma Sabellij: vt bene inſtabant Græci in Conc. Florentino ſeſſ.22. Sed Pater tantum dedit Filio ſuo, vt concomitanter eſſet mediatum, ac principiatum principium *per quod* omnia non implicantia, tam ad intra, quàm ad extra producerentur à Patre per Filium & per eundem Filium ad Patrem referrentur, ex vi originis Filij, tanquam ad vnum, & ſolum perſonale Alpha, & Omega, ad intra, & extra. Ideo .n. Filius ſpirat, ſeu creat; quia prius origine Pater creat, ſeu ſpirat; non autem è contra. Sicut ergo ad extra Pater non potuit tradere Filio, vt eſſet vnum idemque principium perſonale creatiuum vltima denominatione, ſeu vt eſſet vnus, idemque perſonaliter Deus Creator, ſine hæreſi Sabelliana: ſed ſolum tradere potuit, vt eſſet realiter diſtinctus adiectiuè, ſeu perſonaliter Deus, ſeu alius perſonalis Creator Deus: ſic ad intra idem Pater neque dedit, neque dare CAPVT 18. *Suppoſitio 12.*

potuit

Digitized by Google

potuit Filio ſuo, vt ſit vnum, idemque perſonale principium ſpiratiuum *quod*, cum ipſo Patre; ſeu vt eſſet vnus, idemque perſonalis Deus ſpirator. Sed ſolum tradidit, ac tradere potuit, vt concomitanter eſſet diſtinctus realiter ſpirator Deus perſonalis, ac diſtinctum principium perſonale *per quod* Io: 1. facta ſunt omnia ex S. Th. p.p.q.39 art.8. Ex quibus patet falſitas, & impoſſibilitas quartæ huius formalitatis ſpiratoris Dei impeꝛſonalis, confuſiui diuinarum perſonarum; quia neque ſupponit diſtinctè pro Patre, neq; diſtinctè ſupponere poteſt pro Filio, ſed ſecundum quod ipſum, primò & per ſe ſupponit pro ſe ipſo Deo ſpiratore; & ſecundario, & in confuſo ſupponere poſſet pro Patre, & pro Filio, ex S. Th.p.p.q.36. art.4. § *Ad 4. dicendum quod hæc duo (Pater & Filius, aut ſunt vnum principium quod eſt Pater: aut ſunt vnũ principium, quod non eſt Pater) non ſunt contradictoria. Cum enim Pater & Filius dicuntur vnum principium: hoc quod dico principium, non habet determinatam ſuppoſitionem, immo confuſam pro duabus perſonis ſimul. Vnde in proceſſu eſt fallacia dictionis; à confuſa ſuppoſitione ad determinatam. Ad 5. dicendum, quòd hæc eſt vera, vnum principium Spiritus ſancti eſt Pater & Filius, quia hoc, quod dico principium, non ſupponit pro vna perſona tantum, ſed indiſtinctè pro duobus. Ad 6. dicendum quod Pater & Filius ſunt idem principium. ſecundum quod ly principium ſupponit confuſè, & indiſtinctè pro duabus perſonis ſimul, &c.* Ecce quomodo ex S. Th. ſpirator non niſi cõfuſè ſupponere poteſt in perſonis. At ex ſymbolo Athanaſi, in diuinis nil confuſum eſſe poteſt, & imperfectum. quod eueniret, ſi poneretur confuſè ſpirator notionalis in perſonis. Cum potius diſtinctio eſſe debeat in ſolis perſonis, ac perſonalibus actibus, reſoluendo ſemper omnia in vnum tantum principium ingenitum, & immediatum Alpha & Omega perſonale, ex S. Th.p.p.q.33.art.4.ad 4. § *In omnibus deueniendum eſt ad vnum tantum primum principium ingenitum & immediatum.* Quia vbi eſt multitudo, ibi eſt confuſio, niſi ſit ordo. Vbi autem eſt ordo ibi eſt principium, medium, & finis; ac ibi eſt principium & ſimul principiatum; ſeu mediata ſimul & immediata, ac ordinata, & ſubordinata (ſine imperfectione) actio ob diſtinctam & ordinatam, ſeu ſubordinatam originem, ſine vlla confuſione ex S.Th.p.p.42.art.3.corp.

Si datur ſpirator Deus vnus, ille etiam erit Creator Deus vnus & imperſonalis, ſeu eſſentialis.

CAPVT 19. PRæterea ſi daretur Spirator Deus; tunc vel haberet nomen Spiratoris, vel nõ Spiratoris. Si haberet nomen Spiratoris, tunc Spiritus Sanctus non mitteretur in nomine Patris, neque in nomine Filij; ſed in alio nomine Spiratoris, & ſic erunt plura nomina perſonalia in Cælo, quam tria; quod eſt contra Canonicam B. Ioann. *Tres ſunt in cælo, qui teſtimonium perhibent veritatis.* Præterea hi quattuor adiectiuè & perſonaliter Deus, ſeu quattuor habentes Deitatem, Pater & Filius ac Spirator, & Spiritus vel habent vnum idemque nomen eſſentiale Dei, vel non. Si non. ergo per Becanum, ac Fauentinum, & Suarium (vbi coincidit cum Becano) dabitur Deus qui non ſit eſſentialiter Deus, ſeu non habens idem eſſentiale nomen. quod vltro concedit Becanus de Trin.cap.6.q 5. docens quod Spirator Deus ille, quarta formalitas, neque eſt eſſentialiter Deus, neque eſt perſonaliter Deus: ſed eſt quarta ſpecies Dei relatiui abſtrahentis a Deo perſonali, & à Deo eſſentiali.

Si vero dicas quod quarta illa formalitas Spiratoris Dei, quæ neque eſt formalitas Patris, neque eſt formalitas Filij, ſed eſt quid præintellectum Patri & Filio, habeat vnum idemq; nomen eſſentiale Dei: tunc mittetur in nomine ſuo Spiratoris nedum in nomine Spiritus ſancti: nec non mittetur ad nomen ſuum manifeſtandum & glorificandum, nedum in nomine Filij. Et ſic ſub vno, eodemque eſſentiali nomine Dei dabitur ſeu introducetur, ac reuiuiſcet impia quaternitas Neſtoriana, & Petri Gnaphei, damnata & extincta in quinta ſynodo Oecumenica, & è medio tolletur Sanctiſſima Trinitas.

Item

Digitized by Google

Item ſi dabitur iſte Spirator vnus Deus Fauentini, & Becani, ſeu Suarij ſub quarta illa formalitate ſpirationis actiuæ, coniunctæ, & ſubſiſtentis cum Deitate; contradiſtincta ab omni alia perſonali formalitate: tūc talis quarta formalitas vna, præſcindens ab omni alia formalitate, neque ſupponit diſtincte & præciſe pro Patre, neque pro Filio, ſed in confuſo, & indiſtincte ſupponit pro vtroque ex S. Th. p. p. q. 36. art. 4. ad 4. ad 5. & ad 6. Sed quod ſupponit in confuſo, non poteſt eſſe Deus eſſentialiter vnus, quia in vnitate non eſt confuſio, ſicut neque eſt multitudo. Ergo ſupponit Spirator pro Deo perſonaliter: & ſic ſupponit pro quarta diſtincta perſona. Dupliciter enim tantum dicitur Deus ex S. Th. p. p. q. 39. art. 4 vel eſſentialiter, vel perſonaliter, neque ſolum ſupponit pro quarta perſona impiæ quaternitatis (nam actiones ad intra ſecundum quod ipſum ſunt ſuppoſitorum, & nullo modo ſunt diuinæ eſſentiæ neque vt *quo*, neque vt *quod* niſi ſola ratione noſtra imperfecta ex Suario de Trin. lib. 6. cap. 2. num. 8.) ſed etiam ſupponit in confuſo pro perſona innominata, hoc eſt quæ neque ſit perſona Patris præciſè, neque præciſe ſit perſona Filij, qui eſt error peior priore, quia in Deo nihil confuſum eſſe poteſt, nam ſimul eſſet imperfectum contra ſymbolum Athanaſij § *neque confundentes perſonas cum Sabellio, neque diuidentes eſſentiam cum Ario &c.* Vltimo patet falſitas talis Spiratoris Dei quartæ: contradiſtinctæ formalitatis ab omni alia perſonali formalitate & realitate diſtinctæ. Nam peto An ad intra Spirator ille Deus vnus Fauentini, & Becani, ſeu Suarij, ſit ēt eſſentialiter Deus creator ad extra? & vlterius peto An primaria denominatione eſſentiali, vel ſecundaria & vltima denominatione perſonali ſit Creator Deus? vtrumque eſt hæreticum, non enim eſſentialis Deus poteſt eſſe productor ad intra realiter contradiſtinctus à perſona producta. Neque poteſt eſſe quarta perſona. Becanus cit. fugiens difficultatem ait, quòd Deus ille Spirator vnus, neque eſt Deus eſſentialiter, neque eſt Deus perſonaliter. Sed talis reſponſio eſt vana, & falſa, quia Deus immediatè ſignificat, vel Deum eſſentialiter, vel Deum perſonaliter ex S. Th. cit. q. 36. art. 4. Ergo alterutrum dare debet Fauentinus, & Becanus, ſeu Suarius, vel quod Spirator ille Deus, vnus ſit Deus perſonaliter, & ſic erit quarta perſona; Vel quod ſit Deus vnus eſſentialiter ad intra productiuus ſicut ad extra eſt etiam eſſentialiter Deus Creator vnus, & ſic realiter diſtinguetur à perſona producta, tanquam producens à producto: & conſequenter Spiritus ſanctus non erit Deus eſſentialiter, ſed realiter contradiſtinctus ab eſſentialiter productiuo Deo. quod eſt Macedonianum, eſtque hæreſis, & diæreſis Ariana, diuiſiua indiuiſibilis eſſentiæ diuinæ. Sed quid reſpondebit Becanus & Fauentinus ad primam Canonicam 3. Io. cap. 5 *Tres ſunt qui teſtimonium dant in cœlo; Pater, Verbum, & Spiritus ſanctus, & hi tres vnum ſunt.* Tres, inquam ſunt non quattuor. ergo erroneum eſt in fide ſentire & docere cum Fauentino & Becano eorumque aſſeclis & Diſcipulis, quod quattuor diuinæ formalitates & realitates relatiuæ per ſe ſubſiſtentes dentur in cœlis, ac quater adiectiuè Deus, ſeu quattuor habentes Deitatem. Erroneum eſt item in fide, ſeu hæreticum eſt ſentire & docere quod hi tres, relatiuè ſubſiſtentes non ſint vnum. Itaque in omnibus Spiritus ſanctus eſt vnum cum Patre & Filio. Secus ſi non eſt vnum, ergo erit vnus cum Patre & Filio, quia in Deo nihil aliud eſt, niſi vnus, vel vnum; hoc eſt perſona vel eſſentia.

Confirmatur primo, quia vanum & falſum eſt illud primum effugium Aduerſariorum quod Spirator Deus non habet propriam exiſtentiam, neque propriam ſubſiſtentiam relatiuā, ſed inſtar Attributi Diuini, ſubſiſtit ſubſiſtentia relatiua Patris, ac Filij, & ſic operatur aliena, ſeu communi, ſibi ac Patri & Filio ſubſiſtentia perſonali, quaſi Semipater ac Semifilius. Et ſic neque habet proprium eſſe relatiuum, formaliter cōtradiſtinctū à formalitate Spirit. S. & Patris & Filij. Hoc eſt hæreticū, ac Sabellianum & confuſiuum diuinarum formalitatum, ſeu relationum, ac relatiuarum ſubſiſtentiarum, ac ſi Pater & Filius ad intra haberent duplex eſſe relatiuum, alterum commune, alterum proprium. CAPVT 20

Confir-

Confirmatur ſecundo, quia vanum eſt ſecundum illud effugium, quod ſicut Pater & Filius creant deitate, ſeu Diuina eſsentia, vt *quo*, & vt in ea ſunt vnus idemqꝫ creator Deus: ſic ſpirant diuina eſsentia, vt voluntas eſt, & vt ſunt vnus idéque ſpirator Deus. Falſa enim ac erronea in fide eſt hæc paritas. Nam ad extra perſonæ creant Deitate, vt vnus, idemq; Deus eſsentialis: e contra vero ad intra non ſpirant vt Deus eſsentialis ipſa Diuina eſsētia productiua habitudine vt *quo*, ſed perſonalitate ſpirant, vt Deus ſunt diſtinctus perſonaliter. Hæreticum eſt enim ſentire & docere cum Sabellio, quod Pater & Filius ſint vnus, idemque perſonaliter Deus. De fide eſt enim (vt fuſius probat Torres de Trin. p.p.q.36.art.4.& q.39.art.4.) quod Hic Deus (oſtenſo Patre) non eſt hic Deus (oſtenſo Filio) ſed ſicut eſt alia perſona realiter diſtincta; ſic eſt alius habens Deitatem, ſeu alius adiectiuè & perſonaliter Deus. Licet identicè ſint vnus, idemque ſubſtantiuè, & eſsentialiter Deus. Vel enim ſunt idem perſonaliter Deus, vel non ſunt idem, ſed diſtinctus perſonaliter Deus. In contradictorijs ſiquidem non datur medium: ſed alterum oppoſitum eſt verum: atque alterum eſt falſum. Non ſunt autem idem perſonaliter & adiectiuè Deus: quod eſt hæreticum & Sabellianum: ergo vere ſunt perſonaliter, ac realiter diſtinctus, relatiue Deus adiectiuus. Confirmatur tertio, quia vanum eſt illud tertium effugium Aduerſariorum quod Pater & Filius idētificantur realiter cum Deo ſpiratore, ſicut identificantur cum Deo eſsentiali: & ideo ſunt vnum principium Spiritus ſancti. Nō valet inquam, quia ſicut hæretica eſt hæc conſequentia *Pater & Filius, identificantur realiter cum Deo eſſentiali; ergo inter ſe ſunt vnum perſonaliter, ſeu vnum principium perſonale*: ſic hæretica pariter eſt hæc conſequentia. *Pater & Filius ſunt vnum realiter cum Deo ſpiratore. ergo inter ſe ſunt vnum perſonaliter, ſeu vnum perſonale principium ad intra*. Omne enim formaliter conſtitutiuum, eſt etiam formaliter diſtinctiuum ex Scoto, tam ab oppoſito & incompoſſibili relatiuo, quam ab oppoſito, & incompoſſibili diſparato. Formalitates enim diuinæ, per ſe relatiuè ſubſiſtentes realiter etiam relatiuè contradiſtinguuntur ad inuicem, contrapoſitæ, ſeu comparatæ ad ipſas relatiuas realitates. Licet enim comparatæ ad eſsentiam diuinam, tranſeant in eſsentiam ex S. Th. p.p.q.28.a.2. tamen ad inuicem comparatæ eædem formalitates contra eaſdem oppoſitas formalitates diuinas, realiter contradiſtinguuntur. Sic formalitas Patris realiter diſtinguitur à realitate & formalitate relatiua Filij, ac Spiritus Sancti & ſpiratoris Dei; & è contra (ſi tamen Spirator Deus datur.) Vnde formalitas Dei ſpiratoris per eandem realem diſtinctionem, per quam realiter tranſcendentaliter diſtinguitur à Spiritu ſancto per eandem etiam diſtinguitur realiter trāſcendentaliter à quacunque alia tranſcendentaliter relatiua realitate Filij, ſeu Patris. quia omne realiter conſtitutiuum ex Scoto, eſt etiam realiter diſtinctiuū à quacunque alia incompoſſibili formalitate, ſiue abſoluta & diſparata, ſiue comparata, & relatiua.

De puncto quæſtionis inter Græcos & Latinos circa Proceſſionem Spiritus ſancti à Patre & Filio tanquam vnico principio ſpiratiuo, an intelligatur de vnico principio ſpiratiuo perſonaliter vt ex Concilio Florentino volunt Græci, vel de vnico principio eſſentialiter vt contra mentem, Græcorum, & ſenſum Concilij Florentini contendunt Ieſuitæ fere omnes.

CAPVT 21. SVppono decimotertio & vltimo iure optimo Sanctum Gregorium Nazianzenum redarguere eos, qui tam curioſè ſcrutātur ineffabilem Proceſſionem Spiritus ſancti ac Filij à Patre de qua dicitur *Generationem eius quis enarrabit?* & tamen hi magis

Suppoſitio 13. rationibus acquieſcunt, quam ſimpliciter & cautè Sacram Scripturam audiunt. Cōtra quos Nazianzenus in oratione de moderamine diſputandi, in illa ſua monitoria prohibitione ait § *ne Patris naturam nimis curioſè ſcrutato, aut Vnigeniti eſſentiam, aut Spiritus ſancti Proceſſionem, &c.* & lib.5. de Theologia inſaniam eſse teſtatur nimis curioſam Trinitatis arcanorum inueſtigationem, dum ait § *Quæris igitur quæ eſt hæc Proceſſio? quin tu ingeniti Patris rationem mihi explicas? & ego viciſſim tibi, & Filij proceſſionem*

aperiam,

Digitized by Google

aperiam, vt ambo inſaniamus, Dei ſecreta rimando. Audis generationem? modum ne curioſus exquiras. Audis Spiritum ſanctum procedere? Id quomodo fiat, ne anxio ſtudio perſcruteris. quod ſi in Filij generatione, & Spiritus Sancti Proceſſione perueſtiganda curioſius te præbes: ego quoque pari ratione, tuam animæ, corporiſque conſtitutionem, & temperiem exquiram, &c. Vbi nullo modo admittit Nazianzenus illas ſubtilitates, quod Filius genitus ſit Diuina eſſentia principio *quo* remoto, ac intellectu Diuino principio *quo* propinquo in genere cauſæ efficientis, & extrinſeci. Vel quod Spiritus ſanctus productus fuerit ex Diuina eſſentia vt *quo* remoto, & ex Diuina voluntate, vt principio quo, proximo, in genere, eiuſdem cauſæ efficientis. (dempta ſemper imperfectione,) quia non ſumus in eſſentialibus actibus, ſed ſumus in perſonalibus, vbi actiones ſunt ſuppoſitorum, ac ſuppoſitalitatum, non vero eſſentiæ, ſeu eſſentialium. Vnde non valet à principio *quo* Amoris eſſentialis inferre idem principium *quo* Amoris notionalis, neque valet à principio *quo* ſapientiæ ingenitæ & eſſentialis, inferre principium *quo* ſapientiæ genitæ; ſeu ab intelligere eſsentiali, eiuſque principio *quo*, inferre idem principium *quo* diuini intellectus in intelligere notionali, ex cuius inaduertentia multi Theologi non recte ſentiunt de Græcis, neque punctum quæſtionis penetrarunt adhuc. quod eſt ſatis dolendum; tantaque ſocordia aliquorum Latinorum eſt ſatis deploranda. eſt itaque punctus totius quæſtionis, *An Spiritus ſanctus procedat à Patre & Filio, tanquam vnico principio eſſentiali*; ita vt Spiritus ſanctus etiam procedat à ſua eſsentia in genere cauſæ (dempta ſemper omni imperfectione) ſeu principij efficientis *quo*, vt volunt Latini, præſertim Fauentinus, Suarius, Becanus de Trinit. omneſque eorum Deſcipuli. quod Græci nunquam conceſſerunt in Concilio Florentino. quia ſequeretur eandem eſſentiam Diuinam, eſse cauſam & cauſatam (dempta imperfectione) ſeu principium & principiatum; ac eſse realiter diſtinctam a ſe ipſa generando ſibi ſimile cum Ariana hæreſi, ac diæreſi, & cum Ariano ſimilitudinario Homoeuſion, quia ſemper inter producens & productum eſt diſtinctio realis ſiue vt *quo* producat, ſiue vt *quod*; tam ad intra quàm ad extra. Non enim eſt diſtinctio vlla neq; realis, neq; formalis inter *Quo* & *Quod* Diuinum & eſsentiale ex S. Th. p. p. q. 29. a. 4. ad 1. & q. 40. a. 1. & 2. Vbi ob diuinam ſimplicitatem idem eſt abſtractum, & concretum. Nihilq; operari poteſt abſtractum eſsentiale, ſeu eſsentia vt *Quo*, quin illud idem cauſet, & producat concretum eſsentiale, ſeu hæc eſsentia Diuina, ſeu Hic Deus eſsentialis, vt principium *Quod*. Et ideo Græci in hoc non acquieſcunt Latinis. Sed è contrà punctum quæſtionis eſse volunt, *An Spiritus Sanctus procedat à Patre & Filio, tanquam vnico principio perſonali Quod*, ordinato, & ſubordinato (dempta ſemper omni imperfectione) ordinato nimirum ad vnum finem, & terminum producendum; ac ordinatè & ſubordinatè procedendo à Patre, tanquam ab vnico fonte, & principio *Quod* ingenito, concomitanter & mediatè per Filium, nec non ad vnum tantum principium perſonale reſoluendo; ita vt Spiritus Sanctus referatur ad ſolum Patrem vltimatè, ſed per Filium mediatè, & non vltimatè; quia in omnibus deueniendum ſemper eſt ad vnum tantum negatiuè Primum, ſeu principium perſonale, ingenitum, immediatum, fontale anarchicum, & authenticũ, quod ſit à ſe, & operetur à ſe, & ſimul mediatè & immediatè operari poſſit, tam per ſe, quam per alium; quia alijs eſse debet ratio, vt agant. ex S. Th. p. p. q. 33. ar. 4. ad quartum §. *In omnibus deueniendum eſt ad vnum Primum, ſeu principium ingenitum, ſecus erunt duo Dei*: ſi dabuntur, nimirum duo ingeniti, ſeu duo Primi, ſeu duo principia perſonalia, &c. Et ratio eſt, quia duæ perſonæ non poſsunt eſse vnum principium perſonale, ſine hæreſi Sabelliana: Et hinc eſt quod Concilium Lugdunenſe, ſeu cap. *Firmiter*, de ſum. Trin. & fide Cath. ac Concilium Florentinum, nullo modo intelligi poſsunt de Proceſſione Spiritus ſancti à Patre & Filio, tãquam vnico principio *quod*, eſsentiali, in genere cauſæ, ſeu principiationis efficientis, ſine hæreſi & diæreſi Ariana, (quicquid gratis contradicat Fauentinus; omneſque eius Diſcipuli, & aſseclæ). Sed intelligi debent de vnico principio perſonali, propter vnum finem, ſeu termi-

Punctus quæſtionis nunquam ſatis penetratus fuit ab aliquibus Latinis.

E num

num producendum; & propter ordinatam principiationem ab vno fonte, nimirum à Patre per Filium, & ab ordinata relatione eiuſdem Spiritus ſancti ad vnum Patrem vltimatè, licet per Filium mediatè. Nullo enim alio modo Pater & Filius eſſe poſſunt vnicum principium perſonale, niſi Pater immediate, ſimul & mediate principiet, tam per ſe, quàm per Filium. Ita vt Filius nullo modo ſit idem perſonale principium *quod* immediatum ac Paternum, (nam id hæreſis eſt Sabelliana) ſed ſit diſtinctum, ac mediatum perſonale principium, nam per ſe Filius eſt medium, ſeu intermedium ſuppoſitum principiatum (ſine tamẽ imperfectione) *per quod* Io: primo facta ſunt omnia, tam ad intra, quam ad extra, notificabilia, & producibilia à Patre; & tandem ad Patrem referibilia per Filium. Cum enim Filius ſit medium, ſeu intermedium ſuppoſitum inter duo extrema ſuppoſita, quomodo eſſe poteſt Primum? Idem eſt autem Primum, & principium ex ipſomet gentili Ariſtotile 1. Poſt. c. 2. § *Idem dico Primum, & principium, &c.* Litem hanc dirimendam eſſe placet ex doctrina ſubtiliſſimi Doctoris Scoti, in quodl. q. 8. vbi docet quod ex parte termini *Ad quem* vniformiter Spiritus ſanctus procedit à Patre, & à Filio, ſine vllo ordine, quia in vnitate termini, & vnitate actionis non eſt pluralitas, neque confuſio, neque eſt ordo: neque conſequenter eſt principium, neque medium, neq; finis, neq; vlla diſtinctio. & ideo recte Latini ſine vlla diſtinctione ſentiunt, & docent quod Spiritus ſanctus procedit vniformiter à Patre & à Filio, ex parte nimirum termini *Ad quem*. E contra Græci attendentes ad ſolum terminum *A quo* principium motus hoc eſt actionis, ſeu habitudinis ſine motu: ibique inuenientes multitudinem agentium, reſoluunt illa in vnum tantum primum principium perſonale, ordinando, ac diſtinguendo principium genitum ac mediatum *per quod*, ipſumque ordinando, ac reſoluendo ad Paternum immediatum, & ingenitum principium *quod*. Legatur Scotus Quodl q. 8. § *De ſecundo articulo dico quod Filius negat à ſe primariam authoritatem cauſandi dum ait Io: 5. Non poteſt Filius facere quicquam à ſe. Concedit autem ſibi ſubauthoritatem dum ait, niſi quod viderit Patrem facientem. in ly Dedit mihi Pater, ecce authoritas in ly Ego facio. ecce ſubauthoritas, & ſubcauſalitas. Similiter reſpectu Spiritus ſancti Filius habet ſubauthoritatem in agendo. Sed hic obijcitur, quia ſi Pater prius ordine & origine cauſat, quàm cauſet Filius: ergo Filius non cauſat illud cauſatum. quia quod prius eſt cauſatum, poſterius cauſari non poteſt: niſi idem bis cauſetur, quod eſt impoſſibile. Similiter argui poteſt de ordine originis ad intra ſicut de ordine cauſalitatis ad extra. quia ſi Pater facit à ſe, & Filius non à ſe. ergo Pater cauſat prius origine. Et tunc cauſatum vt prius, non poteſt cauſari à Filio, quaſi in ſecundo ſigno originis. quia idem non poteſt bis cauſari. Ad iſta reſpondeo* (Nota ſubtiliſſimam ſolutionẽ termini *A quo*, & termini *Ad quem*) *quod ordo cauſandi poteſt intelligi dupliciter. Vel vt actio reſpicit ipſum producens, ſeu terminum A quo: Vel vt reſpicit ipſum productum, ſeu terminum Ad quem. Si primo modo conſideretur ex parte termini A quo, tunc eſt ordo authoritatis in Patre, & ſubauthoritatis in Filio, quia talis ordo eſt inter ſuppoſita agentia, in habendo principium formale agendi, quando vnum illorum accipit ab alio tale principium: Secundo autem modo conſiderando terminum Ad quem, non datur talis ordo in ipſo termino producto, quia non prius ponitur in eſſe per actionem Patris, quàm Filij, neque prius virtus cauſandi ponitur in eſſe in vno ſuppoſito agente, quàm in alio, &c.* Ecce auream diſtinctionem & doctrinam Scoti, ad concordandos Græcos & Latinos; ita vt nulla inter eos intercedat realis contradictio, quia in alio ſenſu loquuti ſunt Græci, & in alio Latini. Attendunt ſiquidem Græci principialiter ipſam ingenitam fontalitatem omnis emanationis à Patre. Qua ratione Filius Io: 14. vocat Patrem Maiorem ſe, ac priorem *Pater Maior me eſt*, maioritate nimirum & prioritate originis. In virtute enim Patris ſpirat Filius, non quidem tanquam in virtute alicuius cauſæ ſuperioris (nam cauſa dicit realem diſtinctionem ſubſtantiæ, ac dependentiam) ſed tanquam in virtute eius, communicantis ſibi eandem virtutem, hoc eſt ſubauthoritatè. Ex his autem præmiſſis, colligo ſubſequentes concluſiones, in quibus gratis & falſo mihi aduerſantur, nõ ſolum Fauentinus, ſed & oẽs Lutherici, & Caluiniſtæ.

Digitized by Google

De fide eſt ex S.Th.& Scoto de Trinitate, illud Theologicum axioma, quod ad intra Deus operatur primaria denominatione & ſecundum quod ipſum vt Trinus eſt, ſeu vt eſt perſonalis, ac realiter diſtinctus in perſonis. E contra vero ad extra operatur, vt vnus, & imperſonalis eſt Deus eſsentialiter primaria denominatione & ſecundum quod ipſum creans. Diuinæ enim perſonæ, non creant vt perſonæ ſunt, niſi ſecundario, & per aliud, ſeu per accidens negatiuè, ac vltima denominatione ex S.Th p.p.q.45.art.6.corp. CAPVT 22. *Concluſio 1.*

De fide eſt doctrina S.Thomæ p.p.q.39.art.4.& Scoti de Trin. quod Deus dicitur dupliciter: eſsentialiter nimirum & imperſonaliter ad extra vt præintellectus diuinis perſonis, ex illo *Redemiſti nos Domine Deus veritatis.* Et perſonaliter, vt *Deus de Deo, lumen de lumine, &c.* Vnde erroneum eſt in fide ſentire & docere quod detur ſpirator Deus, qui neque ſit Deus, eſsentialiter, neque ſit Deus perſonaliter. quicquid gratis contradicat Becanus de Trinitate cap.6.q.5. Vbi ſuſtinet ſpiratorem Deum, neque eſse Deum eſsentialiter, neque eſse Deum perſonaliter, ſed alium Deum, ſeu alia ratione, & relatione, ac formalitate. *Concluſio 2.*

De fide eſt illud vniuerſale axioma Theologicum in Concilio Florentino ſæpe confirmatum & ſuppoſitum; quod actiones tranſitiuæ, ſeu perſonales ad intra, ſunt ſuppoſitorum per ſe, & ſecundum quod ipſum ac primaria denominatione, nimirum ſingularium perſonaliter ſubſiſtentium, nimirum Patris, ſeu Filij nullo autem modo ſunt alicuius ſingularis imperſonaliter ſubſiſtentis. Deus enim imperſonalis, ſeu eſsentialis, non eſt productiuus perſonæ: primo quia *Nemo dat in indiuiduo, quod non prahabet in ſe, ſeu in ſpecie, ſeu quaſi ſpecie.* Secũdo, quia ſi Deus imperſonalis & eſsẽtialis eſſet productiuus ad intra, tunc perſona producta non eſset Deus ille eſsentialis & imperſonalis producens. nam inter producens & productum, ſemper eſt diſtinctio realis. *Concluſio 3.*

Hæreticum eſt ſentire & docere quod detur alius Deus communis omnibus tribus beatis perſonis: & alius Deus, qui non ſit communis tribus, ſed tantum communis duabus perſonis: nimirum ſpirator Deus, qui neque ſit prima formalitas Patris, neque ſit ſecunda formalitas Filij, ſed ſit tertia formalitas diuina, relatiuè ſubſiſtens, ac realiter productiua perſonæ Spiritus ſancti quartæ formalitatis, ſeu quartæ perſonæ. *Concluſio 4.*

Hæreticum eſt ſentire & docere quod Spiritus ſanctus ſit quarta hæc formalitas diuina, realiter diſtincta ab alijs relatiuis formalitatibus diuinis ſubſiſtentibus, producta à tertia formalitate Dei ſpiratoris, nam vt ſic euerteretur myſterium Sanctiſſimæ Trinitatis, & introduceretur abominatio maledictæ quaternitatis damnatæ in quinta ſynodo Oecumenica. nec non eſset contra illud primæ Io: 5. *Tres ſunt in cælo, qui teſtimonium dant; Pater, Filius, & Spiritus ſanctus & hi tres vnum ſunt.* Non ſunt ergo quattuor formalitates relatiuè ſubſiſtentes ſed tres ſeu Trinitas ſunt. Non itaque quaternitas formalitatum relatiuarum eſt illud vnum; niſi ſola Trinitas ſubſiſtentium relatiuorum, ſeu relationum, eſt illud vnum. *Concluſio 5.*

De fide eſt quod perſona diuina, eſt relatio per ſe ſubſiſtens: & è contra Relatio diuina per ſe ſubſiſtens eſt diuina perſona. ex S. Th.p.p.q.29. per quattuor articulos. Vnde ſi datur relatiua formalitas ſubſiſtens Dei ſpiratoris, realiter productiua, ac realiter contradiſtincta à Spiritu ſancto, quæ tamen relatiua formalitas ſubſiſtens, neque ſit formalitas ſubſiſtens Patris, neque ſit formalitas ſubſiſtens Filij, ſed ſit diſtincta formalitas relatiua Dei ſpiratoris, & diſtinctum formaliter ſingulare, ac diſtincta relatiua Entitas, Vnitas, Realitas, Veritas Bonitas, & Aliqueitas, tranſcẽdentalis & productiua: de fide inquam eſt, quod talis tertia formalitas relatiua Dei ſpiratoris, ſit incommunicabilis perſona. quia actiones ad intra ſunt ſingularium perſonaliter ſubſiſtentium, ex 3. Concluſ. *Concluſio 6.*

De fide eſt quod Pater neque generat neque ſpirat vt Deus eſt, ſeu deitate, aut diuina eſsentia, aut eſsentiali aliquo Attributo, habitudine reali productiuo, neque *Concluſio 7.*

Digitized by Google

vt *quo*, neque vt *quod*, ſicut realiter producit ad extra: ſecus ad intra realiter referretur ad productum, ſiue vt *quo*, ſiue vt *quod*: ac realiter à producto diſtingueretur, ſiue vt *quo*, ſiue vt *quod*. & conſequenter perſona producta non eſſet Deus, eſſentialiter, ſi à Deo eſſentiali produceretur. nam inter producens & productum ſemper eſt diſtinctio realis. quæ eſt vera, & neceſſaria conſequentia Ariana dato tali antecedente falſo, quod Pater generet, ſeu ſpiret eſſentiali aliquo Attributo, vt Deus eſt; non vero perſonali prædicato, vt Pater eſt.

Concluſio 8. De fide eſt quod ſicut ſolus Deus, quatenus Deus, eſt principium eſſentiale ad extra, ſeu Alpha & Omega eſſentiale, à quo primaria denominatione emanat omnis creatura; & ad quod reſoluitur, ſeu dirigitur omnis creatura: Sic ad intra ſolus Pater (excludendo Filium) eſt principium perſonale & vniuerſale omnis emanationis ſiue per generationem, ſiue per ſpirationem ac ſolus Pater (excludendo Filium) eſt perſonale Alpha & Omega productiuum *vt quod* fontaliter tam Filij, quàm Spiritus ſancti: & oppoſitum eſt hæreticum, ſeu Sabellianum.

Concluſio 9. Recte ait Caietanus p. p. quæſt. 27 art. 1. § *In reſponſione ad tertium caue ne ſis praeceps colligendo, quod in ratione primi Principij claudatur realis proceſſio. Sed quomodo id intelligatur; dicetur in quæſt. 45 art. 6.* &c. Non ergo in ratione primi principij includitur proceſſio ab alio. Vnde Filius neque procedit à Deo eſſentiali principio, nam realiter diſtingueretur ab illo: (quare à Deo eſſentiali nulla perſona ad intra procedit) Neque Filius includitur in eodem principio perſonali, cuiuſmodi eſt ſolus Pater. Secus Filius procederet à ſe ipſo, ſi ipſe eſſet vnum, idemque primum principium perſonale cum Patre. Non enim ars & ſapientia genita eſſe poteſt idem perſonale principium cum ſapientia ingenita, ſicut ars creata eſt idem principium perſonale cum artifice creato. quod multi nolunt aduertere, Vnde decipiuntur, & decipiunt.

Confirmatur, quia quod eſt principium, quatenus eſt principium, debet eſſe primum negatiue, non autem poteſt eſſe mediatum, ſeu principiatum, ſeu à principio. Sed immediate, & à ſe negatiue debet eſſe tale. Ideo enim Pater eſt Primum, ſeu principium, quia non eſt principiatus, ſeu à principio.

Concluſio 10. Hæreticum eſt ſentire & docere quòd Pater, ſeu Filius, non ſpirent qua Pater, ſeu Filius ſunt perſonaliter ſpirator Deus. Sed qua ſunt imperſonaliter ſpirator Deus eſſentialiter. Vel enim ſpirator Deus, perſona, ſeu perſonalis eſt: vel non eſt perſona, ſed imperſonalis ac eſſentialis tantum eſt (nihil enim aliud eſt in Deo, niſi perſona & eſſentia) Quicquid dixerit Fauentinus, ſeu Becanus, (pace eorum) erroris in fide conuincentur. Erroneum eſt enim primo in fide, ſentire, & docere quod Pater, ſeu Filius non ſpirent vt ſunt prima, vel ſecunda perſona Patris & Filij: ſed ſpirent vt ſunt tertia, ſeu quarta perſona ſpiratoris. Erroneum eſt etiam ſecundo in fide, ſentire & docere, quod Pater non ſpiret vt Pater eſt, ideſt vt perſonalis Deus eſt, ſed vt imperſonalis & eſſentialis Deus ſpirator eſt. Nam vt ſic ſequeretur primo quod perſona producta non eſſet Deus ille, eſſentialis & imperſonalis à quo producta eſt, quia inter producens & productum ſemper eſt diſtinctio realis; ſequeretur ſecundo quod Pater non ſpiraret qua Pater eſt, ſed qua Deus imperſonalis & eſſentialis eſt, & ſic perſona producta non eſſet Deus, vt ex recta & neceſſaria conſequentia vere inferebat Arius, poſito ſeu dato illo antecedente ſuo falſo. Sequitur tertio quod Filius, ſeu Spiritus ſanctus eſſet imperſonalis dum ab imperſonali Deo producitur. Qualis enim eſt cauſa (dempta ſemper omni imperfectione) talis eſt eſt res producta, quia Nemo dat, quod non habet. Sequitur quarto quod ſi Filius, ſeu Spiritus ſanctus produci potuerunt à Deo imperſonali, vel eſſentiali: ita etiam ex paritate rationis Pater produci potuiſſet, imò debuiſſet à Deo imperſonali. Quod ſi dicant Fauentinus & Becanus Spiritum ſanctum, ſeu Filium eſſe perſonam, & tamen productos eſſe à Deo imperſonali & eſſentiali, hoc eſt à Patre, qua Deus eſt, ſua deitate & eſſentia diuina, ſeu aliquo eſſentiali Attributo concurrente *vt quo* ſiue proximè, ſiue remote, in genere cauſæ ſeu principij reali habitudine productiui

ui

Digitized by Google

ni (quod eſt hæreticum, ſeu Arianum) tunc ſequitur quinto quòd Deus ille eſſentialis ſit perſona incommunicabilis: quia *Actiones ad intra ſeu generationes de fide eſt* (ex Concluſio. 3.) quod ſint ſingulariter ſubſiſtentium ſuppoſitorum. Vnde non niſi perſona, ſua perſonalitate generat ſimilem perſonam. Omne enim agens ſeu producens vniuocum generat ſibi ſimile ex Damaſceno ex S. Th. p.p quæſt. 41. articul. 5. corp. Simile inquam in perſona & natura, ſi perſonam habet; vel ſimile in ſubſiſtentia imperſonali, quam habet. Sequeretur ſexto quod ſit falſa Sacra Scriptura Io: 16. *Spiritus Veritatis quem mittet Pater in nomine meo manifeſtando*, Fauentinus enim ait quod non mittet Pater, vt Pater eſt, in vero ſenſu literali, ſed mittet ſpirator Deus imperſonalis, qua non Pater eſt. Neq; ad nomen meum Filij, & Verbi manifeſtandum, & ſic corrigenda eſſet Scriptura ex Fauentino dicendo Spiritus Veritatis, quem mittet non Pater Deus perſonalis, ſed ſpirator Deus imperſonalis. Neque mittet in nomine meo Filij, & Verbi ſed in nomine meo ſpiratoris. cum tamen nomen meum ſit nomen Verbi, & Filij non autem ſpiratoris Dei imperſonalis & eſſentialis. Vnde hic Becanicus & Fauentinus Deus, eſt alius Deus, neque perſonalis, neque imperſonalis; neque genitus, neque ingenitus. Immo alius eſt Author, genitus ſimul; & ingenitus; ac perſonalis pariter & imperſonalis. Nam in Deo eſt ordo originis. nec nō actio pductiua ad intra nō niſi à perſona eſſe pōt ex Scoto ipſo. Confirmatur primo quia ſi dari poſſet in diuinis perſonis formalitas relatiua imperſonalis, hoc eſt non ſubſiſtēs propria ſubſiſtentia, aut quarto modo propria perſonalitate; tunc ex paritate rationis poſſet quælibet alia relatiua formalitas, ſiue Patris, ſiue Filij, ſubſiſtere ſine quarto modo propria ſubſiſtentia, ac propria perſonalitate. & ſic falſum eſſet quod diuina relatio realis ad intra ſit perſona, qđ eſt hæreticū. Confirmatur ſecundo quia in Diuinis eſt ordo originis: non autem eſt confuſio & imperfectio quicquid autem in diuinis perſonis ordinatur ordine originis, realiter etiam diſtinguitur ab originante ex S. Th. p p. q. 42. ar. 3. argum. 3. ergo ſi realis relatio ac formalitas ſpiratoris diſtinguitur a relatiua formalitate Patris & Filij: ordinatur ordine originis à Patre, ſeu Filio, vel è contra Pater & Filius ordinantur & originantur eodem ordine originis ab ipſo ſpiratore.

Vera & Catholica eſt doctrina Scoti, circa impugnatum & ab omnibus catholicis impugnandum ſpiratorem Deum imperſonalem, ſecundum quod ipſum; ac primaria denominatione ac prius ordine ſpirantem, quam ſpiret Pater, ſeu Filius qui non ſpirarent ſecundum quod ipſum, vt Pater, ſeu vt Filius; niſi quatenus realiter identificantur cum tali ſpiratore Deo, hoc eſt ſecundario, & per accidens negatiuè, ſicut ſecundario, & vltima denominatione, ſeu per accidens negatiuè creant ex Sancto Thoma p.p. quæſt. 36. articulo 4. ad ſextum & quæſt. 45. articulo 6. corp. *Concluſio vlt.*

CAPVT 23.

Declaratio concluſionis vltimæ.

DEclaro ſingula: Vera inquam, ac orthodoxa & Catholica mihi videtur doctrina Scoti in primum diſtinctione 12. quæſt. 1. § *Ad argumenta*. Vbi obijciens ſibi vulgarem illam reſponſionem, quòd ſicut ad extra datur vnus Creator Deus, per ſe eſſentialiter ſubſiſtens, & creans ſecundum quod ipſum, vt Hic Deus vnus eſt; non vt Pater eſt, neque vt Filius, ſeu Spiritus ſanctus eſt (licèt tanquam ex conditione ſine qua *Non*, ſubſiſtat in tribus perſonis, quod eſt per accidens ad actiones eſſentiales) ita ad ſpirandum datur vnus, idemque ſpirator Deus, ſecundum quod ipſum ſpirans, non vero vt Pater eſt, neque vt Filius eſt (licet tanquam ex conditione ſine qua *Non* ſubſiſtat in alijs ſuppoſitis.) Vera eſt inquam hæc doctrina Scoti, quod falſa & erronea ſit talis paritas, quæ potius eſt maxima imparitas, ſeu diſparitas: quia aliud eſt in actionibus eſſentialibus ad extra, vbi actiones nullo modo ſunt ſecundum quod ipſum alicuius perſonæ, niſi ſecundario, & per accidens ex Scoto citato ac Sanct. Thoma prima parte quæſt. 45. articulo 6. corp. Atque aliud eſt in actionibus; ſeu habitudinibus productiuis, perſonaliter ad intra

actiones per ſe, & ſecundum quod ipſum, ac primariò, ſunt ipſius perſonæ, & nullo modo ſunt neque eſſe poſſunt ipſius eſſentiæ, neq; vt *quo*, neq vt *quod* in genere cauſæ efficientis, neque ſunt alicuius imperſonaliter ſubſiſtentis, quia tunc actio ſpiratiua referretur ad ipſum ſpiratorem imperſonalem, ſecundum quod ipſum, & per ſe ſpirantem, prius quam intelligatur Pater ſeu Filius; qui non ſpirarent ſecundum quod ipſum, vt Pater, ſeu Filius. & tunc ille ſpirator Deus realiter referretur, eſſetque quarta perſona, quia actiones ad intra per ſe, & ſecundum quod ipſum ſunt ſuppoſitorum; nec non quia perſona in Diuinis, nihil aliud eſt, niſi realiter ſubſiſtens relatio diuina. Verba autem Scoti in 1. d. 22 q. Ad argumenta, ſunt hæc § *Ad ſecundum dico quod actio eſt ſingularis per ſe exiſtentis, non oportet autem eſſe alicuius ſingularis incommunicabilis, per ſe exiſtentis, ſicut dictum eſt diſt. 4. Sicut hac eſt vera, Deus creat, vel Deus eſt Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus; ita ponitur hic, quod eſt aliquis Spirator ſingularis, cui primo, ideſt adæquatè conuenit ſpirare, qui præintelligitur aliquo modo in Patre, & Filio, quibus conuenit actus ſpirandi, quatenus vterque eſt hic ſpirator Deus. & tunc diceretur, quod illius ſic per ſe exiſtentis, (quod eſt quaſi commune quoddam in re ad Patrem & Filium) eſt vna actio; licèt illud non ſit vnum ſuppoſitum, id eſt incommunicabile; ſicut nec Trinitas eſt vnū ſuppoſitum, vna tamen creatione creat, &c.* Ecce vulgarem ipſius Fauentini, & Suarij, ſeu Becani, omniumque fere eorum aſſeclarum reſponſionem. Obſeruemus nunc reiectionem & impugnationem eiuſdem ſubtiliſſimi Doctoris Scoti, contra talem falſam & vulgarem ſpiratoris doctrinam; quam affert ibi immediatè Scotus § *Iſtud tamen non videtur (nota bene) hic probabile, ſicut ibi (Deus creat) quia non videtur hic aliquis per ſe exiſtens, communis Patri, & Filio, non autem Spiritui ſancto, quia tunc illud ſingulare per ſe exiſtens (licèt non incommunicabiliter) realiter tamen refferretur ad Spiritum ſanctum & eſſet aliquid realiter relatum ad intra, prius aliquo modo, quàm intelligeretur eſſe perſona, ita quod non omnis relatio realis ad intra eſſet perſona; quod non videtur probabile, &c.* quid rectius dici poteſt à Subtiliſſimo Doctore Scoto, contra talem Spiratorē Deum Fauentini, & Becani, aliorumque aſſeclarum? Vel quid contra Scotum opponet Fauentinus? ſeu Becanus? Ex hac concluſione deduco ſubſequentia abſurda, quæ ſatis diſplicent. Non enim placet primo Becanus cum ſuis aſſeclis, (pace tanti Viri) de

1. Abſurdum. Trin. cap. 6 q. 5 vbi ſuſtinet, quod detur Quartum Conſtitutum ex ſpiratione actiua, & Diuina eſſentia; ſicut datur Tertium Conſtitutum Diuinum, ex ſpiratione paſſiua, & Diuina eſſentia: quia hoc eſt contra primam Canonicam B. Io: c. 5. *Tres ſunt, qui teſtimonium dant in cœlo, Pater, Filius, & Spiritus ſanctus.* (nō autem ſunt quattuor, vt ait Becanus) licet hi tres ſint vnus Deus eſſentialis & ſubſtantiuè. Eſſent autem quater adiectiue Deus, ſeu quattuor habentes Deitatem, ſi daretur ſpirator ille Deus contradiſtinctus realiter à Spiritu ſancto, quia eſſet quarta formalitas & quarta realitas, relatiua, ac tranſcendentalis; ac quarta Entitas; ſeu quarta Veritas & Vnitas ac quarta Bonitas, & Aliqueitas formaliter & ſpecifice contradiſtincta à qualibet alia entitate tranſcendentali, & relatiua; ac conſequenter eſſet quarta perſona, quia perſona diuina ex S. Th p. p. q 27. & ſequen. nihil aliud eſt niſi ſubſiſtens relatio diuina: & actiones tranſitiuæ ad intra ſunt ſingulariter ſubſiſtentium ſuppoſitorum ex Concluſ 3.

CAPVT 23.

2. Abſurdum. Secundo non placet Becanus, quia ſi poſſet ſpirator Deus, imperſonaliter ſecundum quod ipſum ſubſiſtens, producere Spiritum ſanctum, tunc non ſolum Spiritus ſanctus poſſet etiam ex paritate rationis imperſonaliter produci, ac ſubſiſtere, (qualis eſt enim cauſa ſeu principium, tale eſt principiatum, ſeu terminus productus) ſed etiam è medio tolleretur omnis ſimpliciter neceſſitas diuinarum perſonarum ad generandum. Ad quid enim requiritur perſona ad generandum, vel ſpirandum, ſi imperſonalis ſecundum quod ipſum ſpirator Deus, producere poteſt perſonam diuinam? Immo tunc Pater & Filius per accidens negatiue ſpirarent, non autem ſecundum quod ipſum, ſi datur ſpirator Deus ſecundum quod ipſum imperſonalis ſpirans: ſicut ad extra Pater & Filius per accidens negatiue creant ex S. Th. p. p. q. 45. art 6.

art. 6. corp & Scoto in 1. d. 12. q. 1. ſpirarent enim Pater & Filius vt ſunt impérſonalis ille Deus ſpirator. Tertio non placet Fauentinus, neque Becanus, quia ſi Spiritus ſanctus produci potuit ab imperſonali Deo, ſecundum quod ipſum primario ſpirante: ita pariter Filius, & Pater produci potuerunt ab imperſonali Deo eſſentiali. Sed conſequens eſt falſum & hæreticum pace eorum: ergo & antecedens. Quarto non placet Fauentinus, neque Becanus neq; Lutherici neque Caluiniſtę, in aliquib. Doctiſſimi & Acutiſſimi: quia talis ſpirator Deus imperſonalis & relatiuus, vel eſt ſubſtantiue Deus; Vel eſt adiectiuè Deus. non enim aliter dicitur Deus ex S. Th. p. p. q. 39. art. 5. Si eſt relatiuè Deus, erit quarta perſona, ſeu quaternitas perſonarum. perſona enim nihil aliud eſt niſi Diuina relatio ſubſiſtens. Si vero eſt Deus eſſentialis, tunc eſſentialiter referretur, ac generaret ſicut & ſpiraret eſſentialiter. quod eſt erroneum in fide; quia tolleretur Trinitas perſonarum Diuinarum. Quinto nō placet Fauentinus, neq; Becanus neque Lutherici & Caluiniſtæ (pace tamen eorum) quia ſi daretur ſpirator Deus imperſonalis, ſecundum quod ipſum ſpirans, tunc darentur tria principia *quod*, in Diuinis cum diſtinctis perſonis, ſeu diſtinctis ſubſiſtentijs relatiuis. Pater enim generaret per intellectum. Filius ſpiraret per voluntatem ſecundario, & non ſecundum quod ipſum: ac ſpirator ille Deus ſecundum quod ipſum ſpiraret, per ſuam relatiuam ſubſiſtentiam, quæ eſt ſua perſona, ſeu perſonalitas. Nihil enim aliud eſt perſona in Diuinis ex S. Th. & Scoto niſi ſubſiſtens relatio Diuina. quod ſi dicas non ſufficere virtualem, ac fundamentalem, ſeu formalem hanc diſtinctionem in principijs formalibus: ſed requiri realem diſtinctionem inter principium intellectiuum, ac principium volitiuum, ſeu ſpiratiuum: tunc pariter inferes, neque eandem formalem diſtinctionem, ſeu rationem ſufficere in generatione Filij per intellectum, ac in productione Spiritus ſancti per voluntatem, noſtro concipiendi modo. quod eſt erroneum in fide. Sexto non placet Fauentinus, neque Becanus, neq. Lutherici, & Caluiniſtæ, quia talis ſpirator Deus, vel eſſet genitū, vel ingenitum principium Spiritus ſancti. Principium enim ex S. Th. p. p. q. 33 a. 4. vel eſſe debet genitum, vel ingenitum. ſed neutrum dici poteſt de ſpiratore illo Deo; nā ſi eſſet ingenitus: tunc in diuinis darentur duo ingeniti fontes: & conſequenter duo Dei ſubſtantiuè, ex S. Th p. p. q. 33. art. 4. ad 4. Vel ſpirator ille erit Deus genitus: & ſic dabuntur duo geniti. Septimo non placet Fauentinus, neque Becanus, neque Lutherici & Caluiniſtæ (pace tamen eorum) quia confundunt ordinatiſſimas illas diuinas perſonas. Vbi eſt enim multitudo ſine ordine, ibi eſt confuſio ex S. Th. p. p. q. 42. art. 3. corp. At in diuinis perſonis nil confuſum eſſe poteſt, ex ſymbolo Athanaſij § *neque confundentes perſonas, neque ſubſtantiam diuidentes, &c.* Gratis ergo Fauentinus & Becanus, & Lutherici, ac Caluiniſtæ confundunt ipſas relatiuas ſubſiſtentias, omnemque ordinem originis & principij ac principiationis eorum è medio tollunt: dum non diſtinguūt eorum ordinem eſſendi, ac ordinem operandi. Vel ergo ſpirator ille Deus ſpirat à Patre, & eſt à Patre & ſic erit originatus à Patre. Vel è contra ſpirat à ſe, & per ſe, ac ſecundum quod ipſum; Pater vero ſpirat ab illomet ſpiratore, & conſequenter Pater eſt à ſpiratore: ac eſt originatus à ſpiratore, quia operari ſequitur ad eſſe, & à quo perſona habet operari, habet etiam & eſſe. Vtrumque autem eſt erroneum in fide, ſeu hæreticum. quia inter diuinas formalitates & realitates relatiuas ordo eſſe debet originis ex S. Th. Octauo non placet Fauentinus, neq; Becanus, neq; Lutherici, & Caluiniſtæ: quia implicat contradictionē, quod detur ſpirator Deus, relatiue ſubſiſtens, ac realiter productiuus ad intra perſonæ Spiritus ſancti & tamen non ſit perſona, ſeu incommunicabilis. *Nemo enim dat, quod non habet.* & ideo quod non eſt perſona, non poteſt eſſe productiuum perſonæ. Atque hinc eſt quod Pater eſt ingenitus, quia non potuit produci à diuina eſſentia, ſeu à Deo eſſentiali. neque vt *Quo*, neque vt *Quod*, in genere cauſæ, ſeu principij reali habitudine productiua efficientis. Nam actiones ad intra ſunt ſuppoſitorum. & nullo modo ſūt huius ſubſtantiuè Dei eſſentialis, ſecus Pater ſi productus fuiſſet à diuina eſſentia

Pater & Filius non poſſunt ſpirare ad intra vt imperſonales ſunt, ſeu vt Deus ille ſpirator imperſonalis licet creent ad extra vt Deus imperſonalis, ſeu eſſentialis.

3. Abſurdum quartum, & quintum.

6. Abſurdum.

7. Abſurdum.

8. Abſurdum.

ſiue

Digitized by Google

ſiue vt *quo*, ſiue vt *quod*, non fuiſſet Deus eſſentialiter. quia inter producens & productum, (ſiue vt *quo* reali habitudine productiua producat, ſiue vt *quod*) ſemper intercedit realis diſtinctio. Quod idem valet inter ſpiratorem Deum imperſonalem & Spiritum ſanctum nullo enim modo Spiritus ſanctus eſſet Deus eſſentialiter, ſi productus fuiſſet (ſiue vt *quo*, ſiue vt *quod*.) à Diuina eſſentia, ſeu ab imperſonali & eſſentiali Deo ſpiratore Fauentino, qui ſi non eſſet quarta perſona, neceſſario eſſet ſaltem Deus eſſentialiter. In Deo enim nihil aliud eſt niſi perſona; hoc eſt relatio diuina ſubſiſtens, ac eſſentia Diuina quicquid gratis contradicat Becanus de Trin. ca. 6. q. 5. Vbi inter Deum eſſentialem, & Deum perſonalem docet & probat dari Deum relatiuum, qui neque ſit Deus eſſentialiter, neq; ſit Deus perſonaliter, quæ eſt hæreſis aperta. Nono non placet Fauentinus, neque Becanus &c. quia ſi ſpirator ad intra notionaliter, ſecundum quod ipſum, produxiſſet Spiritum ſanctum vt quarta formalitas ſubſiſtens, ac quarta tranſcendentalis Entitas, & Realitas, ac Vnitas, ſeu Veritas, ac Bonitas ſubſiſtens, conſequenter ſpiraſſet vt quarta perſona; quia actiones ad intra ſunt ſuppoſitorum per ſe & ſecundum quod ipſum; ſicut è contra actiones ad extra, ſunt non ſuppoſitorum ſecundum quod ipſum: ſed primaria denominatione ſunt ipſius imperſonalis Dei eſſentialis: Tunc talis ſpirator Deus creaſſet etiam ad extra cum Patre & Filio, ac Spiritu ſancto, ſaltem vltima denominatione & ſecundario, ſeu per accidens negatiuè, ac fuiſſet quarto Creator Deus adiectiuè, ſeu perſonaliter; & ſic daretur Quaternitas Petri Gnaphæi, damnata in quinta Synodo Oecumenica, & e medio tolleretur Sanctiſſima Trinitas. Decimo non placet Fauentinus, neque Becanus neque Lutherici, & Caluiniſtæ, quia ſpirator ille Deus non potuiſſet vniri & identificari immediatè cum diuina eſſentia, & ſine ordine originis; ſicut Pater, niſi ſit alter ingenitus, ſicut Pater alter. neq; identificari & vniri potuiſſet cum Patre & Filio, ſine ordine originis, ita vt vel ſpirator fuerit à Patre & à Filio ac fuerit filius amborum, tanquam productus & principiatus à Patre & Filio. Vel è contra Pater & Filius producti fuerint à ſpiratore, tanquam Filij ſpiratoris, relatiuè ſubſiſtentis à ſe, quia inter diuinas perſonas, ſeu relationes ſubſiſtentes ordo originis eſſe debet, ſaltem fundamentaliter; ita vt ſicut diuinæ perſonæ non poſſunt confundi, ſic neque diuinæ relationes confundi valeant. Vndecimo non placet Fauentinus, neque Becanus &c. quia ſi Pater & Filius identificarentur ſine ordine originis cum ſpiratoris quarta formalitate, per ſe relatiue ſubſiſtente; & conſequenter cum tali quarta perſona diuina (quia actiones ad intra nullo modo eſſe poſſunt Dei imperſonalis & eſſentialis, quicquid gratis contradicat Torres & Fauentinus, ac Becanus omneſq; eorum aſſeclæ,) tunc ſequeretur quod Pater & Filius identificarentur etiam cum illa quarta perſona; ac confunderentur relationes ſpecificæ ipſorum in vnam Sabellianam relationem, ac Sabellianam perſonam, ac ſimul realiter eſſent perſonaliter diſtincti: ac ſimul eſſent imperſonales, realiter identificati cum imperſonali ſpiratore Deo. Quæ enim ſunt eadem vni Tertio, ſunt eadem inter ſe, ſaltem in eo in quo identificantur cum illo Tertio ex S. Th. p. p. q. 28. art 3. ad 1. & ſic omnes illæ tres formalitates vel eſſent vnum idem ſpiratiuum principium perſonale, ſeu vna eademq; perſona. Vel eſſent vnum idemque imperſonale principium cum imperſonali ſpiratore. Duodecimo non placet Becanus, neq; Fauentinus &c. quia ſicut ſine ordine originis, Pater & Filius non poſſunt eſſe vnus, idemq; Deus eſſentialis, neque vnus, idemque Creator Deus eſſentialis, neque vnus idemque eſſentialiter ſpirator Deus: ita multo minus eſſe poſſunt vnus, idemq; notionaliter ſpirator ille Deus, qui per Becanum eſt quartum conſtitutum, ſeu eſt quarta Fauentini formalitas, & Entitas, aut Vnitas; & Veritas, ſeu Bonitas relatiua, ac tranſcendentalis: quæ neque eſt præciſe Pater, neque Filius, ſed confuſe, & indiſtinctè ſupponit pro Patre & pro Filio, ex S. Th. p. p q. 36. art. 4. ad 4. 5. & 6. præter quam quod vbi non eſt diſtinctio, ibi neque eſt ordo, ſed eſt confuſio & imperfectio ex S. Th. p. p. q. 42. art. 3. corp. Decimotertio non placet Fauentinus, neque Becanus, neque Lutherici, & Caluiniſtæ; quia ex

CAPVT 24.

9. Abſurdum.

10. Abſurdũ.

11. Abſurdũ.

12. Abſurdũ.

13. Abſurdũ.

Durando & Gregorio in 1. d. 12. relatiua ſpiratio actiua non poteſt accidentaliter aduenire Patri & Filio, perfecte conſtitutis in eorum ſpecifico correlatiuo actu Patris & Filij. Decimo quarto non placet Fauentinus neq; Becanus neq; Lutherici & Caluiniſtæ, quia ſicut ſpirator ille Deus (qui eſt quarta ſpecie contradiſtincta relatio ſubſiſtens,) immediate non potuit vniri cum Diuina eſſentia, neq; mediatè cum Patre & Filio, nam tunc ſpirator eſſet originatus & principiatus ab eis: ſic neque mediatè neque immediatè cum illis, ſeu ab illis operari poteſt. Sed ſi datur eſt à ſe ingenitus, & operatur à ſe. Decimo quinto non placet, quia ſi daretur talis quarta correlatiua ſpecie formalitas diſtincta, relatiuè ſubſiſtens, & ſecundum quod ipſum productiua Spiritus ſancti, tunc per accidens negatiuè Pater & Filius ſpirarent, ideſt non ſecundum quod ipſum, ſed ſecundaria, ſeu vltima denominatione quatenus identificantur cum illo ſpiratore, quod eſt ſpirare per accidens, negatiuè. Decimo ſexto non placet Fauentinus, neq; Becanus neq; Lutherici, & Caluiniſtæ; quia fruſtra multiplicant entia ſine neceſſitate, introducendo plures ſubſiſtentias relatiuas, & conſequenter plures perſonas, nam ex S. Th. p. p. q. 27. & ſequen. perſona diuina nihil aliud eſt niſi ſubſiſtens relatio diuina. Vnde aiunt ſpiratorem illum Deum, qui eſt quarta & correlatiua ſpecie contradiſtincta formalitas, & quarta ſpecie contradiſtincta relatio ſubſiſtens (ſeu quarta perſona conſequenter) ſubſiſtere primo ſubſiſtentia eſſentiali communi tribus: mox ſubſiſtere ſubſiſtentia relatiua communi duobus quæ eſt perſonalitas communis, nam perſona eſt relatiua ſubſiſtentia. Tertio aiunt ſubſiſtere ſubſiſtentia Patris, & quarto ſubſiſtere ſubſiſtentia relatiua Filij, quæ omnes ſubſiſtentiæ ſpecie formaliter differunt, & non poſſunt confundi ſine hæreſi Sabelliana, quin confundantur perſonæ. Nihil enim aliud eſt perſona, quam ſubſiſtentia perſonalis, quæ ſubſiſtentia ſi erit communis duobus ſuppoſitis, dabitur etiam perſonalitas communis duobus. Et conſequenter perſona ſeu perſonalitas erit ſimul communicabilis quod implicat. Vel dabitur alia perſona communicabilis, & alia perſona incommunicabilis. Quæ omnia ſunt abſurda. quia ſubſiſtentia relatiua datur, vt reddat ipſam ſubſiſtentiam eſſentialem, incommunicabilem; ſeu vlterius non terminabilem, & vt conſtituat perſonam. Decimo ſeptimo non placet Fauentinus, neq; Becanus, neq; Lutherici & Caluiniſtæ: quia ſi daretur ſpirator Deus imperſonalis, & imperſonaliter ſecundum quod ipſum ſpiratiuus: tunc relatio poſſet realiter diſtingui à perſona; & ſic non opus eſſet perſona ad ſpirandum, ſed ſufficeret ſola relatio. & conſequenter aliud eſſet in Deo relatio, & aliud eſſet perſona; neq; eſſet in Deo Trinitas entium tranſcendẽtaliũ identificatorum cum tribus perſonis. quia vltra relationes, realiter per te contradiſtinctas à perſonis vt patet in tuo imperſonali ſpiratore Fauentino, eſſet adhuc Trinitas perſonarum. Et conſequenter relatio non eſſet ad perſonas, ſed ad relationes; ac relationes, vt relationes contradiſtinctæ à perſonis, eſſent actiuæ. & ſic actiones ſecundum quod ipſum non eſſent ſuppoſitorum, ſed relationum, realiter per te contradiſtinctarum à perſonis; quia ponis ſolam relationem ſubſiſtentem in ſpiratore Deo imperſonali: hoc eſt relationem ſine perſona. Decimo octauo non placet Fauentinus, neq; Becanus &c. quia ſi daretur quarta illa formalitas ſpiratoris Dei, ſpecie contradiſtincta à formalitate, & entitate; ſeu realitate Patris, aut Filij; tunc Spiritus ſanctus eſſet ordine quarta perſona, quia ſpirator ille Deus eſſet tertia perſona: Nam actiones ad intra ſunt ſuppoſitorum, ſecundũ quod ipſum, & prius ordine originis eſt ſpirator Deus, quam ſit productus, ſeu ſpiratus terminus. Decimonono nõ placet Becanus, neq. Lutherici, & Caluiniſtæ: quia ſi dabitur ad intra ſpirator ille Deus imperſonalis, & imperſonaliter ſecundum quod ipſum ſpiratiuus: tunc dabuntur plura principia ad intra in Diuinis, fauendo, & quaſi indirecte inclinando pluralitati principiorum Manichæorum: nam dabitur principium perſonale reſpectu generationis Filij, ac dabitur principium imperſonale, & imperſonaliter ſecundum quod ipſum productiuum, reſpectu ſpiratoris & ſpiritus ſancti.

14. Abſurdũ.

15. Abſurdũ.

16. Abſurdũ.

17. Abſurdũ.

CAPVT 25.

18. Abſurdũ.

19. Abſurdũ.

20. Abſurdũ. Vigeſimo non placet Fauentinus, neque Becanus, &c. quia ſicut eſt dandus, ac ſuſtinendus Deus imperſonalis & eſſentialis in actibus eſſentialibus; ita è contra dandus & ſuſtinendus eſt Deus perſonalis, in actibus perſonalibus. Nam ſicut affirmatio eſt cauſa affirmationis, in cauſis præciſis; ita negatio eſt cauſa negationis. Sed præciſa cauſa productionis perſonarum eſt principium perſonale (quia actiones ad intra, ſeu actiones perſonales, ſecundum quod ipſum, ſunt ſuppoſitorum: ſicut è contra actiones ad extra, ſecundum quod ipſum, ſunt non ſuppoſitorum, ſed alicuius eſſentialiter ſubſiſtentis) Ita præciſa cauſa productionis ad extra eſt principium eſſentiale, & imperſonale ob ſimpliciter neceſſariam diſtinctionem realem, inter producens & productum, ſiue producat vt *quo*, ſiue vt *quod*. Potius itaque Fauentinus, & Becanus, ſeu Suarius, & omnes eorum aſſeclæ & Lutherici, & Caluiniſtæ dare & ſuſtinere tenentur ſpiratorem Deum perſonalem, ſecundum quod ipſum perſonaliter ſpirantem, ad hoc vt terminus productus ſit etiam perſona: quàm ſpiratorem imperſonalem & eſſentialem, quia *Nemo dat, quod non habet*, ſaltem in indiuiduo vago. Nulla enim alia ratione dicimus, quod Hic Deus eſſentialis, ſeu hæc ſubſiſtens eſſentia non generat, neq; ſpirat vt *quo*, neque vt *quod*, niſi quia non habet perſonam, ſeu quia ad generandum, ſeu ſpirandum perſonaliter requiritur perſona. Nam actiones perſonales, ſunt ſuppoſitorum, & oppoſitum eſt maxima proteruia Aduerſariorum, ac deceptio fidelium.

21. Abſurdũ. Vigeſimo primo neque Fauentinus, aut Becanus, neque Vaſchez, neque Suarius placent, neque Lutherici & Caluiniſtæ, quia licet Suarius non admittat quartum illud Conſtitutum Becani, ſicut neque admittit Fauentinus, coincidunt tamen ſæpe, ac reincidunt re ipſa in doctrinam Becani, quamuis verbis eam negant, confundendo ſpiratorem eſſentialem ad extra, cum ſpiratore notionali ad intra. Vnde non valet talis eorum paritas, quòd ſicut Pater & Spiritus ſanctus ſunt vnus, idemque ſpirator amoris eſſentialis, quo diligunt ſe, & diuinam eſſentiam, ac creaturas: ita Pater & Filius ſunt vnus, idemq; ſpirator Deus notionalis. quod eſt falſum & erroneum (pace ipſorum) quia principium ad intra eſſe debet perſonale. Vnde Pater & Filius ſine hæreſi Sabelliana, nullo modo eſſe poſſunt vnum, idemq; principium perſonale. Nam ſicut ex Torres de Trinitate. Hic Deus, oſtenſo Patre, non eſt hic Deus, ſeu hic Creator Deus, qui eſt Filius oſtenſo Filio (vbi Deus vtrobique dicitur adiectiuè, & non ſubſtantiuè) Ita hic ſpirator Deus oſtenſo Patre; non eſt hic ſpirator Deus, qui eſt Filius, oſtenſo Filio. Sicut ergo Pater eſt aliud ſuppoſitum ſimpliciter primum, ſic eſt aliud perſonale & fontale principium *quod*, quam ſit Filius, qui ſicut eſt mediatum, ſeu intermedium ſuppoſitum, Patri, ſeu ad Patrem ordinatum ſeu ſubordinatum (ſine vlla imperfectione, quæ enim a Deo ſunt, ordinata ſunt) ſic eſt aliud perſonale principiũ, ſed mediatũ *per quod*, concomitanter ſpiratiuum à Patre ordinatum ad vnum terminum comproducendum. & oppoſitum eſt maxima proteruia Aduerſariorũ, ac deceptio fidelium. Neq; eſt aliud ſimpliciter principium *quod*, ſed ſi eſt principium ad intra, eſt principium ſecundum quid id eſt mediatum & principiatum principium: quod potius eſt medium, quam principium, ſeu eſt principium *Per quod*.

CAPVT 26.

22. Abſurdũ. Vigeſimo ſecundo neque Fauentinus placet, neque Suarius de Trin. lib. 10. cap. 3. vbi Spiritum ſanctum immediate produci ſentit & docet à Patre, atq; immediate à Filio, tam immediatione virtutis, quam immediatione ſuppoſiti. quod præiudicat authoritati, & dignitati Patris; qui ideo eſt, & operatur à ſe immediatè, tam immediatione virtutis, quam immediatione ſuppoſiti; quia eſt à ſe, & neque virtutem ab alio per originem accepit, neq; ſuppoſitum. quod ſi eadem prorſus immediatione operatur Filius, tunc Filius erit a ſe, ſeu ingenitus. & erit Pater alter, immediatè ens, à ſe, & immediate operans à ſe. Cum tamen in præciſis cauſis talis immediationis principij, ſicut ſe habet affirmatio ad affirmationẽ; ita ſe habet negatio ad negationẽ. Sed præciſa cauſa immediationis eſſẽdi à ſe, & operãdi à ſe in Patre, eſt ſola fontalitas ingenita; ergo ex eius denegatione in Filio denegabitur pariter talis immediatio

diatio virtutis, & principij; tam eſsendi à ſe, quàm operandi à ſe. Neq; valet ſuga & abuſus, ſeu æquiuocatio in voce illa *immediatè*, quatenus nihil intermediat inter Filium & Spiritum ſanctum. vt ſic enim omnia erunt immediata reſpectu præcedentium & ſubſequentium; & omnes literæ, ſeu ſyllabæ, ſeu dictiones, aut propoſitiones, & ſyllogiſmi, conſtabunt ex immediatis reſpectu præcedentium, aut ſubſequentium literarum, vel ſyllabarum, vel terminorum, vel propoſitionum. quod eſt ſtultum, ſeu proteruum, ac deceptio fidelium. Vigeſimo tertio non placet Suarius cit, neq; Fauentinus neq; Lutherici & Caluiniſtæ: quia confundunt in vnũ principiũ perſonale ipſas diuinas perſonas; neq; eas diſtinguunt, neq; ordinant, ac ſubordinãt (dempta ſemper omni imperfectione) neq; reſoluunt ad ipſum fontale & perſonale Alpha & Omega Paternum, contra aureum præceptum illud S. Th. p. p. q. 33. art. 4. § *In omnibus deueniendum, & reſoluendum eſt, ad vnum tantum Primum principium ingenitum, ſecus ponere duos ingenitos, ſeu immediatos, erit ponere duos Deos, &c.* Vnde Filius omnia ad Patrem refert dicendo Io: 5. *Filius à ſe non poteſt facere quicquam* & Io: 14. *Pater in me manens, facit opera, quæ ego facio; & Pater Maior me eſt*, quia ipſe ſolus eſt Omnipotens ad intra ſeu omnipotens perſonaliter, & *Doctrina mea, non eſt mea*; quia non eſt à me, ſic *Spiratio mea, non eſt mea*; quia non eſt à me. & *De die illo, neq; Filius ſcit*, quia non ſcit à ſe, ſed à Patre, ſolus enim Pater facit Filium ſcientem. Præiudicat itaq; authoritati & principiali paternæ fontalitati, doctrina Suarij, dum non reſoluit omnia in vnum, & ſolum Patrem, tanquam ingenitum & immediatum principium *quod*, & perſonale Alpha & Omega *quod*, ſed vnum idemq; hoc principium ſpiratiuum ad intra, ait eſse Patrem & Filium. confundendo eos in vnum, non autem diſtinguendo, neq; ordinando vnum ad alium. Cum tamen vbi eſt multitudo ſit confuſio & imperfectio, ex S. Th. niſi ſit ordo, hoc eſt principium, & medium ac finis, ſeu terminus; ac mediata ſimul, & immediata, hoc eſt ordinata operatio & principiatio vnius ab alio, ac ordinata reſolutio vnius ad alium, tanquam ad primum ſimpliciter, ſeu negatiue; ſeu ad ſimpliciter principium ingenitũ, & immediatum, à ſe ens, & à ſe operans & à ſe principians, non à Filio, licet per Filium. Vigeſimo quarto non placet Suarius, neque Becanus, neq; Fauentinus, neq; Lutherici & Caluiniſtæ: quia à principio perſonali, ac perſonaliter ad intra aſſignando, refugiunt ad principium eſsentiale & commune. Ex eo enim quod eadem fœcunda voluntas diuina ſit in Patre & Filio, ante productum terminum, inferunt quod idem perſonale principium ſimpliciter requiſitum ad intra (quia perſonales actiones ſunt ſuppoſitorum per ſe, & ſecundum quod ipſum) ſit Pater & Filius; quod ſine Sabelliano dogmate fieri non poteſt. Cum tamen principium perſonale *quod* nullo modo inferri poſſit ex eſsentialibus, niſi ex indiuidualibus, ac perſonalibus formis vt *quo*. Eo vel maxime, quia principium *quo* eſsentiale, non poteſt reali habitudine productiua concurrere. Secus ſi Diuina eſsentia reali habitudine influeret, aut produceret vt *quo*, tunc etiam realiter diſtingueretur vt *quo* tam ad intra, quàm ad extra, quia inter producens & productum, ſemper eſt realis diſtinctio, tam ad intra, quam ad extra, ſiue producat vt *quo* ſiue vt *quod*. Mitto quod nunquam Diuina eſsentia aliquid producere realiter poteſt vt *quo*, quin Deus eſsentialis ſeu, eadem Diuina eſsentia per ſe ſubſiſtens, producat illud idem vt *quod*. quia in Deo eſſentiali idem eſt *quo* & *quod*, ſeu abſtractum & concretum, ob infinitam eius ſimplicitatem, neq; vlla dari poteſt diſtinctio realis, neq; formalis inter *quo* & *quod* eſsentiale. ſeu inter hanc Diuinam eſsentiam, & Hunc Deum eſsentialem, vt ratione præciſum, ex eodem Suario de Trin lib. 6. cap. 2. num. 8. Vigeſimo quinto non placet Suarius, quia ſibi contradicit in illa hypotheſi, ſi Pater poſt cognitionem & ſcientiam ingenitam & eſsentialem. ex amore diuinæ eſsentiæ produxiſset Spiritum ſanctum ante productum Filium, tunc ait licet fuiſset eadem fœcunditas intellectus in Patre & Spiritu ſancto, non tamen vterq; fuiſset idem pater, ſeu compater Filij. In quo reijcit cõtrariam doctrinam Scoti in 1 d. 26. q. 1. vbi Scotus ſentit & docet, quod in

Quid ſi. immediatum.

23. *Abſurdũ.*

Solus Pater omnipotens ad intra fõtaliter.

24. *Abſurdũ.*

Diuina eſſentia eſt principium tantum, non autem ſimul eſt principium & cauſa dempta imperfectione.

25. *Abſurdũ.*

Digitized by Google

in tali hypotheſi Spiritus ſanctus fuiſſet compater, & congenitor Filij. ergo ſicut in illa ſua hypotheſi apud Suarium de Trin. non valet quod eadem fœcunditas intellectus ante productum terminum ſit in Patre, & Spiritu ſancto ad compaternitatem, ſeu ad congenerationem Filij: ita pariter neque valet eadem paritas rationis quod Pater & Filius ſint idem conſpirator Deus perſonalis, ex eo quod vterque habet eandem fœcundam voluntatem ante productum Spiritum ſanctum: non enim concurrit aliquod Attributum eſſentiale proxime vt *quo*, ſeu *quod* ad productionem Filij ſeu Spiritus ſancti niſi in doctrina Arij: Procedit ergo Spiritus ſanctus à Filio, non propter idem principium *quo* eſſentiale. & commune omnibus tribus beatis illis perſonis; ſed quia Filius ex vi perſonalis ſuæ originis habet, vt omnia non implicantia per ipſum facta ſint notificabilia, & producibilia à Patre. ac ad Patrem referibilia, tam ad intra, quàm ad extra, Io: 5. quod ſi non haberet Filius ex vi ſuæ originis, non poſſet conſpirare tanquam *per quod*, cum Patre principio *quod*. nam actiones perſonales ad intra ſunt ſimpliciter neceſſario ſuppoſitorum. Vnde requirunt ſimpliciter neceſſario principium perſonale vt *quod*, ſeu *per quod*. Decipit ergo, vel decipitur Suarius, dum pro principio perſonali, ſoli Filio proprio, ſeu ſoli Patri proprio, aſſignat principium eſſentiale *quo*, ſeu *quod*, non autem aſſignat perſonale principium *quo*, & *quod* perſonale.

26. *Abſurdũ.*

CAPVT 27. Vigeſimo ſexto non placet Suarius, neq; Fauentinus, neq; Becanus, neq; Lutherici, neq; Caluiniſtæ: quia ex eſſentiali paritate vnius Creatoris eſſentialis ad extra, Patre & Filio introducunt vnum, eundemq; ſpiratorem perſonalem ad intra, quæ eſt falſiſſima paritas, ſeu maxima diſparitas ex ipſomet S. Th. p.p.q 36. a. 4. ad 7. § *non eſt eadem ratio de Deo Creatore, & de Deo ſpiratore: quia Spiritus ſanctus procedit à Patre, & à Filio, vt ſunt duæ perſonæ diſtinctæ. Non autem creatura procedit à tribus perſonis, vt ſunt diſtinctæ, ſed vt ſunt vnum in eſſentia; quod fuſius docet q. 45. ar. 6. corp.* Ad intra ergo actiones per ſe & ſecundum quod ipſum, ac primaria denominatione, ſunt tantum ſuppoſitorum, & nullo modo, realique habitudine productiua ſunt Diuinæ eſſentiæ: neq; vt *quo*, neq; vt *quod*, ſine Ariana hæreſi, ac diæreſi, realiq; diſtinctione ſubſtantiæ Homoeuſiæ & hæreticalis; reijcientis vnitatẽ Homouſiæ & Catholicæ ſubſtantiæ vnius in omnibus tribus.

27. *Abſurdũ.* Vigeſimo ſeptimo non placet Suarius, quia quod derogat Patri, non eſt adſcribendum Filio, ſicut ait S. Th. p.p.q. 27. a. 2. & 3. quod quæ derogant Filio, non ſunt concedenda Matri eius, nimirum quod anima B. Virginis prius ſuſtulerit peccatum mundi ab humana natura coniuncta, ac prius triumphauerit de peccato originali, quam Chriſtus, ac prior Agnus Dei ſeu prior fuerit Agnus Dei tollens ab humana natura peccatum mundi, quam Chriſtus. Sed derogat Patri quod Filius ſit idem cum Patre Alpha & Omega principium *quod* perſonale ſpirandi, ſeu generandi, ad intra, ſeu creandi ad extra. Ergo nullo modo admittendum eſt quod ait Suarius de Trin. lib. 10. cap. 3. quod æque primo & principaliter ac immediate Spiritus ſanctus eſt à Patre, & à Filio; tam immediatè, immediatione virtutis, quàm ſuppoſiti. Sequeretur enim, quod tam Pater, quam Filius eſſent vnum, idemq; Sabellianum principium *quod* perſonale Spiritus ſancti, ſeu vnum, idemque perſonale Alpha & Omega Spiritus ſancti, quod eſt hæreticum.

28. *Abſurdũ.* Vigeſimo octauo non placet Suarius, neq; Fauentinus, neq; Becanus, neq; Lutherici, neque Caluiniſtæ: quia negant Filio communicatam fuiſſe fœcunditatem voluntatis diuinæ, vt mediatè & concomitanter ſpiraret ad intra, tanquam principium mediatum *per quod*, ſed aiunt, communicatam fuiſſe virtutem, vt eſſent vnum, idemq; principium *quod*, æque immediatè, & principaliter ſpirans, & conſpirans cum Patre tam immediate immediatione virtutis, quam ſuppoſiti. Quod eſt Sabellianum & impoſſibile, quia darentur duo immediati perſonaliter ſine ordine originis ſpirantes, & conſequenter eſſent duo diſtincta *quod*, perſonalia, & duo ingeniti, ſicut & duo immediati Authores perſonales, ac duo ſubſtantiuè Dei ex S. Th. p.p.q. 32. art. 4. ad 4. & ideo ſemper Pater ſpirare debet, ſicut & creare prius origine, quam

Filius

Digitized by Google

Filius ex Scoto in quodl. q. 8. & tamen Suarius cit. æquè principaliter; & immediatè docet Filium ſpirare ſicut & Pater vt ſpirator Deus, ſine vllo ordine originis, eſſendi prius, ac prius origine operandi in Patre, quàm in Filio. Vigeſimo nono non placet Suarius &c. quia fruſtra multiplicat plura entia, ſine neceſſitate, & ex æquo introducit plures ſpiratores vt *quod*. Vel enim Pater & Filius ſpirant reduplicatiuè, vt Pater, & Filius ſunt: vel vt ſunt vnus, idemq; ſpirator Deus. quicquid dixerit Suarius, ſeu Fauentinus ſeu Lutherici & Caluiniſtæ redarguentur. Non enim primo poſſunt eſſe vnus, idem perſonaliter ſpirator Deus, quia eſſent vna eademq; Sabelliana perſona, ſeu principium perſonale Sabellianum. nam actiones ad intra ſunt ſuppoſitorum. neque ſecundo ſpirare poſſunt vt Pater & Filius reduplicatiuè tales, quia vt ſic eſſent duo perſonales ſpiratores, ſeu duo perſonalia principia *quod*; ſicut ſunt duæ realiter diſtinctæ perſonæ, ob duas realiter diſtinctas perſonales, ſeu indiuiduales formas, ac duo diſtincta ſuppoſita: nam actiones ad intra ſunt ſuppoſitorum ſecundum quod ipſum. Trigeſimo non placet Suarius, neq; Fauentinus, neq; Luthericì, neq; Caluiniſtæ: quia non reducunt, neq; reſoluunt mediatum Filij principium perſonale *per quod*, ad immediatum, & ingenitum principium *quod* perſonale Patris, dicendo ac docendo cum Sanctis Patribus Græcis, ac cum S. Th. p. p. q. 36. a. 2. & 3. quòd Pater ſpirat, ſeu creat non ſolum immediatè per ſe, ſed etiam mediatè per Filium creat, ac ſpirat. Sed ſentiunt & docent quod æquè immediatè, immediatione virtutis, & ſuppoſiti; & æquè principaliter ambo ſpirant, tollendo à Patre ſuam fontalem, & ſolam, ſibiq; propriam authoritatem perſonalis principij *quod*, ac perſonalis Alpha & Omega; ac prioritatem originis in eſſendo, dum tollunt prioritatem originis in cauſando, ad extra perſonaliter, ſeu producendo ad intra: contra auream doctrinam S. Th. p. p. q. 33. ar. 4. ad 4. § *In omnibus deueniendum eſt ad vnum tantùm primum, principium ingenitum. Secus ponere duos ingenitos, ſeu immediatos, eſt ponere duos Deos, &c.* & q. 36. a. 3. *Ad primum ergo dicendum quod in qualibet actione eſt duo conſiderare, ſcilicet ſuppoſitum agens, & virtutem, qua agit. Si igitur in Patre & Filio conſideretur virtus, qua agunt, non cadit ibi aliquod medium, quia hæc eſt vna, & eadem. Si autem conſiderentur ipſæ perſonæ ſpirantes ſic cum Spiritus ſanctus procedat à Patre & à Filio, inuenitur Spiritus ſanctus immediatè à Patre procedere; quatenus eſt à Patre; ac etiam mediatè procedere ab eodem Patre, quatenus eſt à Filio, qui talem virtutem accepit à Patre &c. § Ad 4. Ordo non attenditur inter Patrem & Filium quantum ad virtutem, ſed quantum ad ſuppoſita; & ideo dicitur, quod Pater ſpirat per Filium, & non è conuerſo.* Confirmatur quia vbi eſt multitudo ſine ordine, ibi eſt confuſio, & imperfectio. Vel ergo Pater ſpirat à ſe & per ſe immediatè, ac etiam mediatè ſpirat per Filium; quod eſt catholicum dogma SS. Patrum Græcorum. Vel contra Filius immediatè ſpirat à ſe & per ſe vt *quod* ac etiam mediatè per Patrem; reſoluendo ſemper actionem ad aliquod vnum, & immediatum principium perſonale *quod*? Sed hoc nullo modo eſt dicendum, cum ſit hæreticum ſentire quod Filius immediatè vt *quod* ſpiret hoc eſt à ſe & mediatè ſpiret per Patrem; tanquam per mediatum genitumq; principium *per quod*. tam ſcilicet per ſe, quam per alium. Trigeſimo primo non placet Suarius, neque Fauentinus, neq; Lutherici, neq; Caluiniſtæ. quia ſi dantur duo ſpirantes, multo magis dantur duo ſpiratores; plus enim dicit ſpirans actu, quàm ſpirator potentia, ſicut ædificans & ædificator, Creans & creator. At de fide eſt quod ſicut eſt vnus creator eſſentialiter, ſecundum quod ipſum creans; & vnus ſpirator eſſentialiter ob vnicam formam diuinæ eſſentiæ: ſic pariter eſt de fide, quod vltima denominatione ſaltem reſpiciẽdo ad formam indiuidualem & perſonalẽ, quę in virtute prima creat & ſpirat, ſunt tres pſonaliter ſpiratores amoris eſſẽtialis ad extra: licet ſint vnus ſpirator eſſẽtialis primaria denominatione, & eadẽ paritate ſi sũt duo ſpirãtes notionaliter, de fide eſt ẽt, qđ ſunt duo ſpiratores perſonaliter, ob diſtinctũ ſuppoſitũ & diſtinctã formam indiuidualem, ſeu perſonalem, qua ſpirant. licet neuter ipſorum ſit in ſpiratione notionali Deus eſſentialiter, ſeu ſpiret vt Deus eſſentialiter, ſeu ſpiret vt Deus eſſentia-

29. *Abſurdũ.*

30. *Abſurdũ.*

31. *Abſurdũ.*

CAPVT 28.

Digitized by Google

Pater, Filius, & Spiritus ſanctus ſunt vnus Creator eſſentialis & ſubſtantiuè, licet ſint tres Creatores perſonaliter & adiectiuè ſaltem vltima denominatione ob triplicẽ formam indiuidualem.

eſſentialis. quia ex Suario lib.6.de Trin.cap.2.num.8. § *Tertio notanda eſt &c.* Diuina eſſentia, neq; vt *quo*, neq; vt *quod* reali habitudine producit, quia realiter diſtingueretur a perſona producta, vt rectè referebat Arius. Vnde S.Th.p.p.q.36.a.4.ad 7.concedit duos eſſe ſpiratores ſi actus referatur ad perſonas. § *Ad ſecundum dicendum, quod quidam dicunt quod Pater & Filius, licet ſint vnum principium Spiritus ſancti ſunt tamen duo ſpiratores, propter diſtinctionem ſuppoſitorum: ſicut etiam ſunt duo ſpirantes, quia actus refertur ad ſuppoſita. Nec eſt eadem ratio de hoc nomine Creator, quia Spiritus ſanctus procedit à Patre & Filio, vt ſunt duæ perſonæ diſtinctæ, non autem creatura procedit à tribus, vt ſunt perſonæ diſtinctæ, ſed vt ſunt vnum in eſſentia, &c.* Ecce S. Thomam atteſtantem, ſi actiones perſonales ſunt ſuppoſitorum, & nullo modo ſunt diuinæ eſſentiæ, neq; vt *quo*, neq; vt *quod*. in genere cauſæ, ſeu principij efficientis: quod tunc dicendum eſt eſſe duos ſpiratores notionales. quid clarius? quid ve rectius dici poteſt à S Thoma? Subſtantiua enim notionalia multiplicantur ad multiplicationem formarum perſonalium ſub vnica forma eſſentiali. Trigeſimo ſecundo non placet Suarius, neque Fauentinus de Trin.&c.quia ad multiplicationem nominis ſubſtantiui perſonalis, ſeu notionalis, volunt requiri multiplicationẽ formæ ſubſtantialis, quæ nihil reali habitudine producit, neq; producere poteſt vt *quo*, neq; vt *quod*; nam etiam vt ſic diſtingueretur realiter à producto. Cum potius ad actiones perſonales requiratur principium perſonale, & forma indiuidualiter conſtitutiua ſuppoſiti, noſtro imperfecto concipiendi modo. Sicut ergo Pater & Filius non ſunt, neq; eſſe poſſunt vnus idemque Creator perſonaliter (ſaltem vltima denominatione) non obſtante vnica forma eſſentiali: ſic multo minus ſunt, neque eſſe poſſunt vnus, idemq; perſonaliter ſpirator Deus, ſeu vnum, idemq; perſonale principium *quod*, ſpiratiuum, propter vnam eandemque eſſentialem formam, quæ nihil ad intra producit reali habitudine, ſine Ariana hæreſi & diæreſi, ſeu diſtinctione reali ipſius eſſentiæ: quia inter producens & productum ſemper eſt realis diſtinctio: ſiue dicas producere vt *quo*, ſiue vt *quod*, quia in Deo, eſſentiali non eſt *quo* & *quod*; neq; eſt abſtractum & cõcretum, ſicut in nobis, ex S.Th.p.p.q 29.art.4.ad 1.& q.40.art.1.& 2. Vnde non datur vlla diſtinctio realis, neq; formalis in Deo eſſentiali inter *quo*, & *quod*. & ideo nil præſtare poteſt diuina eſſentia vt *quo*; quin illud idem, eadem hæc Diuina eſſentia, per ſe ſubſiſtens, ſeu hic Deus eſſentialis, præſtet vt *quod*, quicquid gratis diſſentiat Fauentinus, & Suarius, eorumq; omnes aſſeclæ, & Diſcipuli. quid enim facit forma eſſentialis ad actiones perſonales ad intra; ſi actiones ſunt ſuppoſitorũ, & nullo modo

33. Abſurdũ. ſunt efficienter ipſius eſsentiæ? Trigeſimo tertio non placet Suarius, neq; Fauentinus &c. quia etiam ſi concedamus eis, ad multiplicationem nominis ſubſtantiui, requiri multiplicationem formalem, & non ſufficere multiplicationem indiuidualem: adhuc introducunt plura principia in diuinis, cum pluribus ſuppoſitis, ac pluribus rationibus formalibus eſsentialibus. Volunt enim Patrem eſse principium *quod*, Filij per intellectũ: ac Filiũ eſse principium *quod* Spiritus S. per voluntatem; quæ ſunt duæ rationes formaliter diſtinctæ, ac idẽ virtualiter operantes, at ſi realiter eſsent diſtinctæ à parte rei. Negãt enim ex S.Th.p.p.q.36.a.4.ad 2. Patrẽ eſse, duo principia propter duas proprietates formaliter diſtinctas; ex eo qd Pater non eſt duplex ſuppoſitũ, ſeu quia tales diſtinctæ formaliter proprietates, nõ ſunt in duobus diſtinctis ſuppoſitis. Ergo à cõtrario ſenſu ſi eſsẽt in diſtinctis ſuppoſitis, per eos darẽtur duo principia perſonalia. Sed de facto ſunt in duobus ſuppoſitis, cũ formali diſtinctione. ergo velint, nolint Suarius & Fauẽtinus ac Lutherici & Caluiniſtæ, introducũt duo perſonalia principia in Diuinis, ac duos Authores ſubſtantiuè alterũ ex parte Patris generantis per intellectum: & alterũ ex parte Filij, ſeu ſpiratoris, ſpirantis per voluntatem, qui ſpirator neque formaliter eſt Pater, neq; Filius. Cum tamen ex S. Th ad 7. nõ niſi vnus Author ſubſtãtiuè & perſonaliter detur, nimirum ſolus Pater. & Hilarius exponendus ſit adiectiuè non ſubſtantiuè, ex eodem S.Th.cit.ad 7. § *Quod vero Hilarius dicit, quod Spiritus ſanctus eſt à Patre, & à Filio Authoribus, exponendum eſt,*

quid

quòd ponitur ſubſtantiuum, pro adiectiuo ordinato, ac ſine vlla imperfectione ſubordi-
nato Patri, ſoli ſubſtantiuo Authori *quod*: nam Filius ex Scoto quodl. q.8. eſt ſubau-
thor, & habet ſubauthoritatem, id eſt ſubordinatam Patri, vni, & ſoli principio per-
ſonali *quod*; quia in omnibus deueniendum, ac reſoluendum eſt, ad vnum tantum
primum negatiuè; & ingenitum principium *quod*, ex S. Th. p.p. q.33. ar.4. ad 4. Quod
autem ſpirator ſit ſuppoſitum diſtinctum, patet, quia actiones ſunt ſuppoſitorum,
& quia ſpiratio actiua, tanquam ſubſiſtens relatio diuina, deferre debet ſecum ſuam
ſubſiſtentiam relatiuam, realiter contra diſtinctam à ſubſiſtentia Spiritus ſancti &
conſequenter conſtituere debet perſonam, quæ nihil aliud eſt, niſi ſubſiſtens relatio
diuina, niſi dicas cum Sabellio quod ex duabus perſonis conſtituit vnam perſonam,
tanquam vnicum principium ſpiratiuum ad intra, quod perſonale eſſe debet. Trige- *34. Abſurdū.*
ſimo quarto non placet Suarius, neque Fauentinus, neq; Lutherici, neq; Caluiniſtæ:
quia negant ad rationem primi principij *quod* perſonalis ad intra, requiri duas illas
ſimpliciter neceſſarias conditiones, ſeu proprietates indiuiduales, eſſendi à ſe, aco-
perandi à ſe, mediatè ſimul; & immediatè, hoc eſt creandi, ſeu ſpirandi per ſe, &
per alium. & ideo aiunt Patrem & Filium eſſe vnum, eundemq; ſpiratorem, ſeu ſpi-
ratiuum principium *quod*, cum tamen de fide ſit, quod perſonales actiones ad intra
ſecundum quod ipſum, ſint ſuppoſitorum: ſicut è contra eſſentiales actiones ad ex-
tra, de fide eſt, quòd ſecundum quod ipſum non ſint perſonarum; ſed huius Dei im-
perſonalis, & eſſentialis; eſſentialiter, & imperſonaliter ſecundum quod ipſum
creantis, conſeruantis, regentis, &c. Trigeſimo quinto non placet Fauentinus, ne- *35. Abſurdū.*
que Suarius, neque Lutherici & Caluiniſtæ: quia negant ad rationem principij re-
quiri, quod ſit genitum, vel ingenitum, vt probat S. Th. p.p. q.33. art.4. dum aiunt
Patrem & Filium, eſſe vnum, idemq; principium Spiritus ſancti. Cum tamen prin-
cipium, vel eſſe debeat genitum; vel ingenitum contradictoriè, ex S. Th. cit. de
quolibet enim verum eſt affirmare, vel negare; quicquid Lutherici, & Caluiniſtæ
reſpondeant, ſeu Suarius, ſeu Fauentinus, redarguentur. Non enim Filius eſſe po-
teſt cum Patre vnum hoc, idemq; principium ingenitum. Neque Pater cum Filio
eſſe poteſt hoc vnum, & idem principium genitum. Item tale vnum, idemq; prin-
cipium, vel erit perſonale ac Sabellianum, ex vnitate perſonarum confuſarum con-
flatum. Vel erit imperſonale & eſſentiale (quia in Deo nihil aliud eſt niſi eſſentia,
& perſona) & ſic eſſentialiter & realiter diſtinguetur cum Ario & Macedonio à per-
ſona producta, & conſequenter Spiritus ſanctus non erit Deus ille eſſentialis, & im-
perſonalis; ſed realiter ab illo diſtinctus, ac tanquam realiter productus à reali pro-
ducente realiter contradiſtinguitur. Trigeſimo ſexto non placet Suarius, neq; Fa- *36. Abſurdū.*
uentinus, neq; Lutherici, neque Caluiniſtæ: quia indirectè & conſequenter negant
originem Filij, dum negant ipſum eſſe mediatum principium *per quod* Io. 1. Omnia
non implicantia, facta ſunt notificabilia, & à Patre per Filium producibilia, ſiue ad
intra, ſiue ad extra; ac ad Patrem per eundem Filium referibilia. Sed è contra vo-
lunt Filium eſſe vnum, idemque immediatum principium *quod* Spiritus ſancti cum
Patre, qui ſolus eſt ingenitum principium, tanquam ſolum ingenitum Alpha, & O-
mega perſonale. Cum tamen Filius, ſicut eſt ex mediato ordine originis, ſic non ni-
ſi mediatè operari poſſit ab alio tanquam mediatum, ſeu intermedium ſuppoſitum,
ac mediatum principium *per quod* eò enim eſt Filius, quò eſt Verbum ex S. Aug. 7. de
Trin. c.4. Vnde ait S. Th. p.p. q.39. art.8. § *Illa ſignificatio mediata prapoſitionis (Per) in Fi-
lio, non eſt appropriata Filio: ſed eſt propria vnius, & ſolius Filij Io. 1. Per ipſum enim facta
ſunt omnia, &c.* quicquid ibi Torres gratis contradicat S. Thomæ, ſequenti & explicā-
ti ibidem orthodoxè doctrinā Apoſtoli ad Rom. 11. § *Ex ipſo per ipſum, & cum ipſo, v-
bi S. Th. cit. ait § ex ipſo dixit, ſeu ab ipſo, vt teſtatur Auguſtinus propter Patrem; Per ipſum* *Nota falſam*
dixit propter Filium, qui ex vi originis ſuæ habet, vt omnia per ipſum facta ſint. Io. 1. Vbi Tor- *doctrinam*
res, contra S. Th. ait ly *Per* non eſſe proprium Filij: ſed appropriatū eſſe, cum ex ſe *Torres contra*
ſit commune & eſſentiale omnibus tribus. *S.Th.*

Trigeſi-

CAPVT 19.

37. Abſurdũ.

Trigeſimo ſeptimo non placet Suatius, neque Fauentinus, neque Lutherici, neque Caluiniſtæ: quia non ſolum tollunt mediatam, ordinatamque, ac diſtinctam Proceſſionem Spiritus ſancti à Patre per Filium, & ordinatam principiationem Patris per Filium, ac ſubordinatam ſpirationem actiuam Filij à Patre: ſed etiam adſcribunt indifferenter eandem fontalem ſignificationem illius præpoſitionis A, ſeu Alpha Patri, & Filio; confundendo eius fontalem ſignificationem, ac ordinem tollendo principij ſimpliciter Paterni in ſpirando. Nam volunt Spiritum ſanctum æque principaliter, & immediatè, tam immediatione virtutis, quam ſuppoſiti, procedere à Patre & à Filio. Cũ tamen de fide ſit, quòd ſolus Pater eſt Alpha & Omega omnis principiationis, ſeu emanationis perſonalis, tam ad intra, quàm ad extra; reſpectu diuinarum perſonarum. Vnde ipſi ſoli Patri, tanquam ſoli Alpha & Omega perſonali, reſpectu aliarum diuinarum perſonarum, competere poteſt fontalis ſignificatio principalis illius præpoſitionis A, ſeu *Alpha*: quare iure optimo Filius omnia ad Patrem refert; *Pater maior me eſt*. reijcitque à ſe fontalem ſignificationem illius *A*, ſeu *Alpha*, ac ſoli Patri eam adſcribit; dum ait Io: 7. *Ego à me ipſo non veni; ego ſum ab eo qui miſit me: ego à me ipſo facio nihil, ego à me ipſo non ſum loquutus, &* Io. 5. *Filius à ſe nihil poteſt facere, &* Io. 14. *Pater in me manens facit opera, quæ ego facio;* & Io: 16. *Spiritus ſanctus qui à Patre procedit. Vbi non dixit A me)* & Mittam *vobis Spiritum Paraclitum à Patre* (neq; dixit, neq; dicere potuit *(A me) & Spiritus paraclitus non loquetur à ſe; ſed quæcunque audiet à Patre manifeſtabit vobis, &c.* & Io: 17. *Hæc eſt vita æterna (ait Chriſtus ad Patrem) vt cognoſcant te ſolum Deum verum*, fontaliter nimirum, vere à ſe, & vere ingenitum, ac vere ſolum omnipotentem, ad intra & extra ſimul: & te ſolum ac verum Authorem perſonalem Deum, ac Deum fontem, & ſimpliciter ſeu negatiuè ac verè Primum, ſeu principium perſonale, ſeu Verum Deum Alpha; ad contradiſtinctionem Filij, qui ſolus eſt verus Deus Vita: quem Pater generando facit eſſe verum Vita: quique ſolus fontaliter ſpirando, facit Spiritum ſanctũ eſse verum Deum, nexum amoris ab vtroque ordinate, & ſubordinatè (ſine vlla imperfectione) tanquam ab vnico principio procedentis. Cuiuſmodi neque eſt, neque eſse poteſt Filius, qui ſecundum quid eſt principium, ideſt cum addito, principium nimirum vere genitum, ac mediatum: ſeu principium de principio: ac principium Vita, non Alpha, & Omega. Vbi ly *ſolum*, excludit Filium; ſicut ly *Filium nemo nouit niſi Pater*, ſapientia nimirum ingenita. Et ly *De die illo Iudicij neq; Filius hominis ſcit*, quia non ſcit à ſe. ſeu fontaliter; & ingenitè: ſed id ſcit à Patre. Solus enim Pater facit Filium ſcientem: & ſolus Pater eſt Maior in ſciendo omnia à ſe; & non ab alio. Idemque Chriſtus refugiens illud *A*, ſeu *Alpha*; dixit, *Ego ſum Via, Veritas. & Vita. Vita inquam* non Alpha. quia tanquam Vita ſubordinor (ſine vlla imperfectione) Patri, qui ſolus eſt Alpha: & vt Vita, ſeu tanquam mediata & ſubordinata, ac intermedia perſona ſum mediate Via, Veritas, & Vita, non autem tanquam Alpha & Omega; ſum immediate Via, Veritas, & Vita, ſolus enim Pater eſt, Via, Veritas & Vita fontaliter & immediate, ſeu à ſe ipſo. Et qui confitebitur me; coram hominibus (quod nimirum in principiando ad intra, vel extra ego ſum Vita perſonaliter, ſeu mediata & intermedia ac ſubordinata perſona, ac mediatum & ſubordinatum ſine imperfectione principium *per quod*, non autem ſum vnum; cum Patre. idemque Alpha & Omega perſonaliter principiatiuum *quod* cuiuſmodi eſt ſolus Pater) *confitebor & ego eum coram* Patre *meo*. E contra vero qui non confitebitur me coram hominibus, quod nimirum ego, tam in eſsendo, quàm in operando ſim Vita; non Alpha; ſeu mediatum & intermedium principium, ſeu ſuppoſitum ſine imperfectione ſubordinatum, ac principiatum principium *per quod*, neq; ego confitebor illum coram Patre meo, qui ſolus eſt Alpha perſonale omnis emanationis ad intra ſeu extra, & ſolus eſt Omega perſonale oĩs reſolutionis & virtualis cauſalitatis, ſeu actualis principiationis, ex parte termini *A quo*, vbi omnia reſoluenda ſunt ad vnum tantum perſonale principium ſpiratiuum *quod* fontale & ingenitum, cuiuſmodi eſt ſolus Pater à ſe

Digitized by Google

à ſe fontaliter ens, & à ſe fontaliter hoc eſt mediatè, & immediatè ſimul operans, ad intra & extra; ſeu tam per ſe, quàm per alium creans perſonaliter, ſeu ſpirans &c.

Trigeſimo octauo non placet Suarius neq; Fauentinus, ſeu Becanus, neq; Lutherici, neq; Caluiniſtæ: quia incerto ac debili illi fundamento innituntur ſymboli B. Athanaſij, § *Spiritus ſanctus à Patre Filioq; procedit*; Eodem enim tempore quo addita, ſeu facta fuit declaratio ſymboli Niceni à Latinis, facta quoque fuit eadem explicatio ſymboli B. Athanaſij, (quod apud Græcos aſſeruatur ſine tali ſuperaddita explicatione Latinorum.) Non eſt ergo explicatio Athanaſij, ſed eſt explicatio Latinorum, ſuperaddita ipſi ſymbolo B. Athanaſij. Confirmatur euidenter primo ex Concilio Florentino vbi Græci, non niſi ex doctrina Athanaſij, diſputabunt contra Latinos, quod nullo modo feciſſent, neq; facere potuiſſent, ſi agnouiſſent illam explicationem ſuperadditam, fuiſſe doctrinam B Athanaſij, non autem Latinorum. Immo Græci non niſi talem additionem ſeu explicationem reijciendam eſſe contendebant ab omni ſymbolo (quorum numerum eſſe vſq; ad triginta ſymbola dicitur in Concilio Florentino ſeſſ. 6.) quia talis additio, ſeu explicatio facta erat in quocunq; ſymbolo inueniebatur, contra B. Athanaſium, & contra mentem & ſenſum SS. Patrum Græcorum. Confirmatur ſecundo, quia tale teſtimonium B Athanaſij nunquam allatum fuit à Latinis contra Græcos: Bene enim callebant Latini, non eſſe ſenſum, neq; doctrinam Athanaſij, ſed eſſe ſuperadditam Latinorum explicationem, & ideo non auſi ſunt illam obijcere, & improperare Græcis, tanquam impugnatoribus tam manifeſti teſtimonij B. Athanaſij. quod ſolum ſufficiens fuiſſet Latinis ad triumphandum de Græcis, fuiſſetq; terminata omnis obiectio vno die & vna hac ſola authoritate B. Athanaſij: puduiſſetq; Græcos, eſſe deſertores, & præuaricatores talis, & tantæ doctrinæ B. Athanaſij. Confirmatur vltimo, quia talis explicatio ſuperaddita eſt, contra authoritatem, & dignitatem ingeniti, fontaliſq; principij perſonalis Paterni *quod*, vt ipſemet Suarius fatetur de Trin. lib. 10. cap. 1. num. 13. § *Iuxta vim græcæ linguæ illa præpoſitio ex Patre, ſeu A Patre procedit, particula illa (ex) ſeu A, quod eſt Alpha, ſignificat dimanationem ab aliquo, tanquam à principio primo, primoq; fonte. In quo ſenſu dicunt Patres Græci Spiritum ſanctum à ſolo Patre procedere, quia à Filio non eſt, niſi vt habente virtutem à Patre. quod notauit etiam Beſſarion in ſua oratione apud Concilium Florentinum cap. 5. &c.* Quid rectius dici poteſt à Græcis, ex parte termini A quo, ipſomet Suario teſte? ecce quomodo præualet Veritas, ipſomet ore Aduerſariorum atteſtata, & confeſſa pro SS. Patribus Græcis. 38. *Abſurdū.*

Trigeſimo nono non placet Suarius, neq; Fauentinus, neq; Lutherici neque Caluiniſtæ; quia ſi Spiritus ſanctus æque principaliter haberet ſuum eſſe à Patre & Filio; ſiue, Si Pater & Filius eſſent vnum, idemque principium Spiritum ſancti: vltra alia abſurda ſequeretur, quòd Spiritus ſanctus non ſolum eſſet ab vtroq; ſed etiam operaretur ab vtroq. Et ſic Filius æquè mediatè, & immediatè ad extra crearet, ſeu regeret ac gubernaret, ſaltem vltima denominatione, tam per ſe, quàm per alium, id eſt per Spiritum ſanctum ſicut Pater. quod derogat principio *quod* paterno, ingenito, & authentico. Solius enim principij *quod* ingeniti, & immediati eſt proprium, vt non ſolum ſit à ſe tale, ſed etiam quod alijs perſonis ſit ratio, vt per ipſum ſint talia: ſeu quod mediatè, & immediatè tam per ſe, quàm per alium ſit tale, nempe creatiuum, gubernatiuum directiuum prædeſtinatiuum &c. ſaltem vltima denominatione, tam per Filium, quam per productum, à ſe Spiritum ſanctum. Quadrageſimo non placet Suarius, neq; Fauentinus, neq; Lutherici, neque Caluiniſtæ, quia ſi Spiritus ſanctus æque primo & principialiter haberet ſuum eſſe à Patre & Filio: tunc æque primo, principialiter, & immediate tam immediatione virtutis, quam ſuppoſiti cognoſceret duo principia perſonalia, & duos Authores perſonales ſui eſſe ad intra; & neutri magis ratione gratitudinis; acceptum haberet ſuum eſſe, ac neutrum magis diligeret, quia non reſolueret vnum principium principiatum ac mediatum *per quod* ad ipſum immediatum ingenitumque principium *quod* Paternum. Et

CAPVT 30. 39. *Abſurdū.* 40. *Abſurdū.*

Digitized by Google

vt ſic eſſet anceps, cui plus deberet, & vtrumque vel agnoſceret perſonale ſui principium Sabellianum: vel neutrum admitteret perſonale principium, ſui Sabellianum: ſed vtrumque vel repudiaret tanquam duplicem æque principialiter impoſſibilem genitum authorem perſonalem ſui: Vel tanquam duplex perſonale ſui principium ingenitum, Sicut enim Filius ratione gratitudinis, acceptæ naturæ diuinæ, eſt ſubditus, ideſt ſubordinatus (ſine imperfectione) Patri ex Apoſtolo 1. Corin. 5. & ex Hilario libro 9. de Trinitate ita & Spiritus ſanctus ſi ex vtroque eſſet, vtrique eſſet ſubditus, ac ſubordinatus, (dempta ſemper omni imperfectione) & ſicut Chriſtus eſt minor Patre ratione fontalis principij, ſeu prioritatis originis, ac Pater maior eſt Filio maioritate originis. ſic Pater vel Filius maior eſſet Spiritu ſancto eadem maioritate originis, ſeu prioritatis originis, ac maioritate principij ſupra principiatum, ſeu ſupra eum qui eſt à tali principio Patre & Filio: cum proportione vt docet conſequenter Hilarius de Trinit. & teſtatur ac refert S. Th. p. p. q. 42. ar. 4. § *Ad primum dicendum quod Chriſtus eſt minor Patre, ac ſubditus illi ſecundum humanam naturam. Sed ex Hilario (nota bene oppoſitam doctrinam Hilarij) lib. 9. de Trin. Donantis authoritate Pater maior eſt: ſed minor non eſt Filius, cui vnum, idemque eſſe donatur. & lib. de Synod. dicit, quòd ſubiectio illa Filij, quam docet Apoſtolus 1. Cor. 5. natura pietas eſt, id eſt recognitio Authoritatis paternæ. Subiectio vero cæterorum creationis infirmitas eſt, &c.* Eadem ergo pietas naturæ Spiritus ſancti ipſum faceret ſubditũ Filio, ſicut Filium facit ſubditum Patri ex Apoſtolo 1. Cor. 5. Sed hoc eſt conſequens abſurdum, quia darentur duo Authores perſonales, æque primo & principiales, ſeu principialiter originantem perſonam Spiritus ſancti vt ex ſequenti Abſurdo: ergo abſurdum eſt pariter antecedens.

41. *Abſurdũ.* Quadrageſimo primo non placet Suarius neque Fauentinus, neq; Luthe-rici & Caluiniſtæ, quia introducunt & defendunt duos æquè primo & principaliter perſonales & ſubſtantiuè Authores Spiritus ſancti realiter diſtinctos, ſicut realiter diſtinguitur primum ſuppoſitum Diuinum, à ſecundo. Cum enim actiones perſonales ſint ſuppoſitorum ad intra primario, per ſe, & ſecundum quod ipſum; vt perſonæ ſunt; non autem vt hic Deus eſſentialis ſunt: hinc fit, vt ſint duo Authores ex æquo primo & principialiter originantes, ſi duæ perſonæ ex æquo concurrunt ad originandum vt *quod*. cum diſtincto ſuppoſito, ac diſtincta forma ſubſtantiua, indiuiduali, ſeu perſonali: nam ex ipſomet Suario lib. 6. de Trin. cap. 2. num. 8. eſſentialia ad intra non concurrunt, in genere cauſæ, ſeu principij productiui neq; vt *quo*, neq; vt *quod* abſque Ariana hæreſi & dihæreſi, ſeu diſtinctione reali ipſius producentis vt *quo*, ſeu vt *quod* ab ipſo producto. Confirmatur primo, quia ſi dantur duo Authores perſonales, dantur etiam; duo principia perſonalia ſubſtantiuè, non autem adiectiuè. Cum tamen ſolus Pater ſit *αὐτὸς*, ſeu Author: ipſeque ſolus habeat omnem Authoritatem, & fontalitatem, atq; omnipotentiam perſonalem ad intra, quia ipſe ſolus eſt Primum, ſeu, principium ad intra, & *αὐτὸς*, ideſt à ſe, non ab alio. *Ipſe* enim per ſuam perſonalem ſubſtantiuam perſonalitatis ſuæ indiuidualem formam, *Ipſe* nimirum Pater *αὐτὸς*, ſubſtantiuè, & per antonomaſiam *dixit in Filio & facta ſunt. Ipſe αὐτὸς, mandauit, & creata ſunt* ſaltem vltima, & perſonali denominatione, ac comparatiuè ad reliquas perſonas, quæ ordinatè, ſeu ſubordinatè (dempta ſemper omni imperfectione) idem crearunt. Confirmatur ſecundo quia de fide eſt quod ſolus Pater eſt perſona à ſe. ergo ſolus Pater eſt *αὐτὸς*, Autos, ſeu perſonalis Author. eſt n. *αὐτὸς*, Autos dictio græca, quæ eſt idem ac *Ipſe* latinè & perſonaliter, ſeu per antonomaſiam ſignificat ſolam perſonam Patris inter alias perſonas quæ ſola eſt à ſe. Vnde per Antonomaſiam de ſolo Patre ſaltem vltima denominatione intelligitur ly *Ipſe dixit in Filio & facti ſunt; ipſe mandauit, &c.* Aſpiratur vero Autòs, dum vertitur in latinum vſum Author, vt è græco, non autem à latino deduci intelligatur. Quicquid gratis Torres hic ſentiat, contra S. Th p. p. q. 36. art. 4. ad 7. vbi S. Thomas catholicè negat dari duos *Authores* perſonales, & Hilarium exponit adiectiuè, non autem ſubſtantiuè admiſiſſe duos *Authores*, Torres vero vt multo doctior S. Thoma appa-

reat,

reat, ait quod Viri latiſſimi (ita ait ipſe) inter quos ipſe etiam Latiniſſimus, deducunt *Author* ab *Augeo, auges*. Vnde Authores ait librorum dicuntur, quia augent numerum librorum in mundo, vel Pater creatus qui auget numerum Filiorum in mundo dicitur Author, *ab Augeo auges*. & ideo ait non eſſe ſcribendum cum (H) ſed ſine (H) quaſi *Auctor* nō *Au hor*. Sed valeat Torres Latiniſſimus, qui cum ſe oſtendat imperitiſſimum linguæ græcæ, falcem tamen ſuam latiniſſimam in alienam meſſem græcam audacter immittere, & cenſurare, ac reijcere ſanam doctrinam S. Thomæ non veretur. Sicut ergo ſolus Pater eſt *αὐτόθεος, Autotheos*, à ſe ipſo perſonalis Deus, ita ſolus Pater eſt, *αὐτός*, Autòs, ſeu *Ipſe* perſonaliter per Antonomaſiam Autos, ſeu *A ſe ipſo*, hoc eſt *Author*. Alio enim modo deriuatur Auctor in Latinis, & alio modo Autos, ſeu *Author* in græcis etymologijs, quarum ſunt imperitiſſimi, qui ſunt tantum Latiniſſimi, ſic ait idem latiniſſimus Torres. qui hac eadem latiniſſima voce, ſæpe vtitur, vt oſtendat ſe latiniſſimum. 42. *Abſurdū*.

CAPVT 31.

Quadrageſimo ſecundo non placet Suarius, de Trin. lib. 10. cap. 2. vbi docet quod ſi Spiritus ſanctus non procederet à Filio, non eſſet eadem relatio quæ nunc eſt inter Filium, ac Spiritum ſanctum, neq; eſſet hic terminus formalis adæquatus Spiritus S. ad Patrem & Filium, tanquam adæquatum vnum ſpiratorem, vt nunc eſt: ſed eſſet ait mutatio in Diuinis, & æternis, vbi idem eſt eſſe & poſſe. Reſpondemus tamen quod nullo alio modo Spiritus ſanctus potuiſſet procedere, niſi ſicut modo procedit a ſolo Patre fontaliter *vt quod* & à Filio ideſt per Filium, ſeu concomitanter tanquam a mediato principio *Per quod*, Io: 1. ex vi proceſſionis eius, omnia non implicantia, facta ſunt notificabilia, & à Patre per Filium producibilia, ſiue ad intra, ſiue ad extra, ac tandem ad Patrem per Filium referibilia. Vnde oppoſitum putamus eſſe erroneum in fide, pace tamen ipſius Suarij. Nulla ergo in Diuinis facta fuiſſet mutatio ſi Spiritus ſanctus non procederet à Filio, ex parte termini *A quo*. quia nunc Spiritus ſanctus à ſolo Patre, non autem à Filio procedit, tanquam fontali & ingenito principio, ſeu perſonali Alpha & Omega Trinitatis, & ad ſolum Patrem immediate, & vltimatè refertur, licet per Filium non vltimatè, ſed mediate. Quare formalis terminus *Ad quem* vltimatè refertur Spiritus ſanctus tanquã ad fontale principium *quod* ſeu fontale Alpha & Omega principiale & perſonale, eſt ſolus Pater non vere Filius. Nam A Filio ideo dicitur à Latinis procedere, quatenus ly *A* ſeu *Alpha* ſe tenet mediatè, & reſoluitur in mediatam ſignificationem illius præpoſitionis (*Per*) *A Filio* nimirum, ideſt *Per Filium*. Vnde (A) æquiuocè ſignificat in ly *A Patre*, & ly *A Filio*, ex parte termini *A quo*. Falſum eſt ergo & erroneum in fide (pace Suarij) ſentire & docere, quod Pater & Filius ſint adæquatus terminus *Ad quem* relationis Spiritus ſancti via reſolutoria, vel adæquatus terminus *A quo* via compoſitiua ſeu productiua, & ſint tanquam vnum idemq; perſonale Alpha, & Omega Trinitatis, ſeu vnus idemq; perſonalis Spirator Deus. Quia hoc vel eſt dogma Sabellianum, cōfuſiuum diuinarū perſonarum in vnum perſonale principium *quod* ſpiratiuum, ſeu in vnam perſonam (nam actiones ad intra per ſe, & ſecundum quod ipſum, ac primario ſunt ſuppoſitorum; & nullo modo ſunt diuinæ eſſentiæ, neq; vt *quo*, neq; vt *quod*, in genere cauſæ, ſeu principij efficientis) Vel eſt dogma inclinans, & quaſi fauens Manichæis, duos ingenitos ex æquo introducentibus, ac duos ſubſtantiuè deos defendentibus, abſq; ordinatione, ſeu ſubordinatione & reſolutione vnius in alium, tanquam in Alpha, & Omega Trinitatis, quod damnat S. Th. p. p. q 33. a. 4. ad 4. § *In omnibus deueniendum, ſeu reſoluendum eſt in vnum tantum primum principium ingenitum: ponere enim duo genitos, hoc eſt duos non ſubordinatos (dempta ſemper omni imperfectione) eſt ponere duos Deos &c.* Confirmatur euidenter, quia ſi Filius non eſt principium *quod* ſimpliciter, ſed cum addito eſt à principio, ſeu eſt mediatum, ac principiatum (ſine imperfectione) principium *per quod*, ſeu eſt Vita, intermedium inter duas extremas perſonas; quomodo eſſe poteſt Alpha, ſeu vnum, idemque cum Patre immediatum, ingenitumq; principium perſonale *quod*, ex æquo, primo & principialiter ſpiratiuū?

ly A, ex parte termini A quo eſt æquiuocum, dum dicitur procedere A Patre & A Filio.

& ſi verũ eſt quod ait S.Th.p.p.q.42.a.3.corp. quod vbi non eſt ordo, neq; eſt, ordinata, & ſubordinata proceſſio, ſeu emanatio; in ea multitudine agentium, ſeu in eo termino *A quo* eſt confuſio, & imperfectio; quomodo ex æquo primo & principaliter duæ perſonæ facere poſſunt vnum, idemque principium perſonale, ſine ordinata, & ſubordinata cauſalitate (dempta ſemper imperfectione) ſeu ordinata principiatione, & proceſſione vnius ab alio; ac ordinata reſolutione vnius in alium? Legatur S. Th.p.p.q.36.art.2.& 3.vbi id impoſſibile eſſe docet, ex diametro contra doctrinam Suarij, & Fauentini, & Luthericorum: quia ait quod in ſola materiali proceſſione, vnum non procedit ex alio, ſicut vnus cultellus ait S.Th. non procedit ex alio, neq; per alium: ſed ſine vllo ordine, ac ſine vlla ſubordinatione vnius ad alium, procedit. At in formali proceſſione Spiritus ſancti impoſſibile eſt, quod Spiritus ſanctus ordinatè non procedat à Patre per Filium, &c. Quid autem ad S. Thomam reſpondebit Suarius? Vel quid S.Thomæ opponet Fauentinus? quidve Lutherici & Caluiniſtæ contradicent aureæ ac catholicæ doctrinæ S.Thomæ? ah valeant Lutherici: valeat Fauentinus & Suarius.

43. *Abſurdũ.* Quadrageſimo tertio. Non placet Suarius, neq; Fauentinus, neq; Lutherici, aut Caluiniſtæ in illa eorum probatione § *Spiritus ſanctus eſt Spiritus Veritatis, ac Spiritus Chriſti, & mittitur à Filio, ergo procedit à Filio.* Plus enim infertur in conſequente, quam ſit poſitum & conceſſum in antecedente. Procedere enim eſt ab aliquo. Pro, ideſt Proto cedere & emanare in hac materia proceſſionis, tanq̃ ab Alpha, & Omega ſuæ originationis, ex Sacra Scriptura: ſeu ab eodem fontaliter, & immediate procedere, tanquam à principio ingenito, & immediato: quodq; ſimpliciter ſit principium à ſe, ſeu inprincipiatum. Valeret autem ratiocinatio ſi ita inferretur, *Spiritus ſanctus eſt Spiritus Filij: ergo vel procedit à Filio immediatè; Vel procedit per Filium mediatè.* Hoc omne recte monet Theophylactus in Io:cap.3. contra Latinorum obiectiones, & præclare notauit Beſſarion in ſua oratione apud Concilium Florentinum cap.6. vbi ideo ait non dici Spiritum ſanctum procedere a Patre, & à Filio, ex parte termini *A quo*, ne Filius per eandem fontalem ſignificationem illius præpoſitionis *A*, ſeu *Alpha*, putetur eſſe immediatus fons ingenitumq; principium *quod* Spiritus ſancti, ſicut eſt Pater, quæ eſt magna æquiuocatio eiuſdem præpoſitionis A, ſeu Alpha quam æquocationem effugiunt Græci, non autem Latini.

Confirmatur primo ex eodem Suario de Trin.lib.10.cap.1.num.13. § *Iuxta phraſim græcam illa præpoſitio (ex) ſeu, A, ſeu Alpha, in Patre indicat dimanationem ab aliquo, tanquam à primo fonte & principio. In quo ſenſu dicitur Spiritus ſanctus eſſe ex ſolo Patre, quia à Filio non eſt, niſi vt habente virtutem à Patre. quod notauit Beſſarion pro alijs Patribus Græcis in Concilio Florentino & ex Scholaſticis ita intellexit Damaſcenum Thomas de Argentina in 1.d.11.q.1.a.1. Neq; refert quod in Septima ſynodo græca, illa loquutio græca (A Filio) recepta ſit. tum quia aliqui exiſtimant in illa etiam ſynodo græcè non haberi ly (A Filio) ſed (Per Filium) tum quia Damaſcenus fuit antiquior illa ſynodo, in qua citatur Damaſcenus &c.* quid verius ex Suario dici poteſt?

Confirmatur ſecundo quia ſignificatio genitiui caſus ſicut & ablatiui caſus eſt æquiuoca; & multipliciter aliquid dicitur eſſe alicuius, vel ab aliquo ex Scoto in primum d.11.q.1. § *In iſta quæſtione proceſſionis Spiritus ſancti ſi diligens fieret examen, ac tolleretur omnis æquiuocatio, pateret vtiq; quod nulla eſt inter Græcos & Latinos realis, niſi tantum verbalis contradictio. Multipliciter enim aliquid dicitur eſſe huius, in genitiuo, & ab hoc in habitudine ablatiui &c.* & idem docet S.Th.p.p.q.38.art.1. ad primum § *Multipliciter aliquid dicitur eſſe alicuius in habitudine genitiui &c.* & q.41.art.2. corp. § *Habitudo ablatiui multiplex eſt: ſignificat enim concomitantiam, vt Deus genuit voluntate; ſignificat etiam habitudinem principij, vt Artifex operatur voluntate; & ſic Pater non genuit voluntate; ſed ad extra mundum creauit voluntate, &c.*

44. *Abſurdũ.* Quadrageſimo quarto nõ placet Suarius, neq; Fauẽtinus, neq; Lutherici & Caluiniſtæ: quia non adſcribunt ſoli Patri ſuam fontalem & immediatam ſignificationẽ illius præpoſitionis A, ſeu *Alpha*, neq; Filio adſcribunt illam mediatam ſignificationem

nem, *Per*, quam Sacra Scriptura, & Patres Græci in diſtincta hac fidei profeſſione, ordinate adſcribunt ſoli Patri immediatum A, ſeu Alpha, ac ſoli Filio mediatum *Per* Io. 1. *Omnia per ipſum Filium à Patre facta ſunt, &c.* ſed potius hac diſtinctas, & ordinatas ſignificationes, ac præpoſitiones confundunt in vnam fontalem ſignificationem, æquiuocando in vna, eadem fontali litera A, ſeu *Alpha*; ac dicendo æquè primo & principialiter Spiritum Sanctum procedere A Patre & A Filio, ſine vllo ordine, ac diſtinctione originis mediatæ, & immediatæ, ac ſine vlla diſtinctione modi eſſendi à ſe, vel ab alio, in tali principiatione. Cum tamen omne principium, vel mediatum, vel immediatum eſſe debeat ex S. Th. p. p. q. 33 ar. 4. corp. qua ratione Scotus in 1. d. 12. q 2. & quodl. q 8. probat Spiritum ſanctum difformiter ex parte termini *A quo* procedere à Patre & à Filio, ideſt ex Hieronymo & Hilario propriè, & principialiter *à Patre* p̄cedere; mediatè vero *per Filium*, &c. Quadrageſimoquinto ſeu vlt. non placet Suarius neq; Fauentinus, neq; Lutherici, neque Caluiniſtæ: quia extorquent contra Græcos mentem Concilij Florentini, & Lugdunenſis, ac cap. *Firmiter. de ſum. Trin. & fid. Cath.* quod Spiritus ſanctus procedat à Patre & à Filio, tanquam vnico principio. quod Concilium intellexit de vnico principio perſonali, ordinato, ac ſubordinato (ſine imperfectione) ad vnum formalem terminum producendũ & ab vno emanantem per Filium. declarante in decreto primo ipſa ſynodo, quod idem eſt ly *A Filio, & per Filium*. quod neq; dixit, neque dicere potuit de Patre, quod idem ſit procedere A Patre immediatè, & per Patrem mediatè. Et tamen Suarius & Fauentinus, ac Lutherici & Caluiniſtæ ex diametro in contrarium intelligunt & exponunt, ac tenaciſſime defendunt id intelligendum eſſe de proceſſione Spiritus ſancti a Patre & à Filio, tanquam vnico principio eſſentiali: non vero tanquam vnico ordinato principio perſonali à Patre per Filium. quod omnino euertit catholicum ſenſum illius Decreti, a Spiritu ſancto intentum, qui principaliter adſiſtit Decreto dogmatico, non autem diſputationi præcedenti, in vtramq; partem inclinanti indifferenter. Sed de his fuſius in noſtris Obſeruationibus ſuper Concilium Florentinum, ac Concilium Baſilienſe in Tertio Tractatu. Interim rogo Luthericos omnes, ac Caluiniſtas vt æqui boniq; conſulant meam hanc diſcordiam meam ab eorum doctrinis, ac corrigant me, ſeu ſcribant contra me, ſi forte errantem agnouerint paratiſſimum eis reſpondere amantiſſimè, ac fortaſſe ſatisfacere cupientem.

45. Abſurdũ.

Varia Corollaria.

CAPVT 32.

Corollarium primum.

Ex his ſequitur primo validam fuiſſe Græcorum rationem illam apud Concilium Florẽtinum à ſeſſ. 18 vſque ad 25. quod Spiritus ſanctus nõ poteſt procedere ab eſſentia Diuina reali habitudine productiua, neq; vt *quo*, neq; vt *quod*, in genere cauſæ, ſeu principij efficientis ac productiui, vero influxu, noſtro concipiendi modo, ex Suario de Trin. lib. 6. cap. 2. num. 8. quia tunc eadem natura diuina fuiſſet cauſa ac cauſata, (dempta imperfectione) & producens ac producta, realiterq; diuideretur à ſe ipſa, & iuxta Arianum Homoeuſion non communicaretur eadem natura diuina, neq; Homouſion Catholicum; ſed ſimilis natura, & Filius non eſſet idem in natura cum Patre, ſed ſimilis naturæ in diuinis, ſicut ſimilis eſt in humanis. præterquam quod in tali ſenſu, & doctrina Spiritus ſanctus procederet à ſe ipſo, ſuaque eſſentia, ſiue vt *quo*, ſiue vt *quod*, ac realiter diſtingueretur à ſe ipſo, ſiue vt *quo*, ſiue vt *quod*. quia procedere ab aliquo, in genere cauſæ, ſeu principij productiui ſiue vt *quo*, ſiue vt *quod*, tã ad intra, quam ad extra, ſemper dicit diſtinctionem realem ex Suario cit. lib. 6. ca. 2. n. 8. & ſic Spiritus ſanctus non eſſet Deus eſſentialiter, ſi produceretur ab eſſentia Diuina, in genere cauſæ, ſeu principij, & habitudinis realiter producentis. Nam, tunc etiam produceretur ab eadem eſſentia diuina vt *quod*, quia vt ſæpe dictum eſt, in Deo eſſentiali non eſt *quo*, & *quod*. neque abſtractum & concretum, ſicut in creatis, neq; vlla diſtinctio realis, ſeu formalis eſſe poteſt, inter Diuinam eſſentiam, & hanc diuinam eſſentiam, ſeu hunc Deum eſſentialiter. Vnde nil producere poteſt eſſentia Diuina, & in genere cauſæ, ſeu principij productiui vt *quo*, quin illud idem eadẽ diuina hæc eſſentia, per ſe ſubſiſtens, ſeu Hic Deus eſſentialis, producat vt *quod*. & oppo-

ſita

Digitized by Google

ſita Fauentini & aſſeclarum eius doctrina eſt maxima deceptio fidelium.

Corollarium ſecundum.

Sequitur ſecundo quod ſicut ex S. Th. p.p.q.45.a.6. Pater & Filius non poſſunt ad extra creare vltima denominatione, ſine ordine originis, qua Pater creet per Filiũ: ſic ex paritate rationis, neq; Pater & Filius ad intra ſpirare poſſunt ſine eodẽ ordine originis, ita vt Pater non niſi per Filiũ ſpiret. Et ſicut ibi ex S. Th. erroneũ eſt in fide ſentire & docere, ꝙ Pr̃ & Filius ſint vnus Creator perſonalis, ſeu vnũ creatiuũ principiũ perſonale, vltima denominatione ſaltẽ: ſic erroneũ eſt in fide ſentire, & docere quod Pater & Filius ſint vnus, idemq; ſpirator perſonalis, ſeu vnũ idemq; principiũ perſonale, & Sabellianum in ſpirando notionaliter, ſeu perſonaliter. Et ſicut ex eodem S. Th. erroneum eſt in fide ad extra, non deuenire ad vnum tãtum primum principium perſonale, quod alijs perſonis ſit ratio creandi, ita vt Pater dicatur creare per Filium, & per Spiritum ſanctum ex S. Th. p.p.q.45.art.6. corp. quia in omnibus reſoluendum eſt, ac deueniendum ad vnum tantum primum principium ingenitum ex S. Th p.p.q.33.art 4.ad 4. Sic ad intra erroneum eſt in fide ex eodem S. Th. ſentire & docere, quod Spiritus ſancti relatio, non ſit reſoluenda vltimatè in Patrem, tanquam in vnicũ & ſolum perſonale primum negatiue principium *quod*, ſeu Alpha & Omega omnis emanationis compoſitiuæ & omnis relationis finalis, ſeu reſolutiuæ, noſtro imperfecto concipiendi modo, per Filium tanquam mediatum principium *per quod*.

Corollarium tertium.

Sequitur tertio pace S. Thomæ eximendum eſſe S. Damaſcenum à cenſura Neſtorianæ hæreſeos apud eundem S. Th. p.p.q.36.art.2. § *Ad tertium dicendum quod Spiritum ſanctum non procedere à Filio, primum fuit a Neſtorianis introductum, vt patet in quodam ſymbolo Neſtorianorum, damnato in epheſina ſynodo, & hunc errorem ſequutus fuit Theodoricus Neſtorianus, & plures poſt ipſum, inter quos fuit etiam Damaſcenus. Vnde in hoc Damaſceni ſententia non eſt ſtandum, &c.* In qua re magis placet opinio Scoti in 1.d.11.q.§ *In iſta queſtione Proceſſionis Spiritus ſancti dicuntur Græci diſcordare a Latinis, vt auctoritates Damaſceni videntur ſonare. Sed quis audet hunc auctorem Ioannem Damaſcenum & alios S. Patres Græcos arguere hæreſeos, &c.*? Iure autem Neſtorius damnatus fuit, quia negabat Spiritum ſanctum procedere à Patre & à Filio ex parte termini *Ad quem*, iuxta catholicum ſenſum Latinorum; non autem quia id negabat ex parte termini *A quo*. Sicut enim hæreticum eſt damnare Catholicum ſenſum SS. Patrum Græcorum, ex parte termini *A quo*, ita hæreticum eſt damnare catholicum ſenſum Latinorum, ex parte termini *Ad quem*.

Corollarium quartum.

A, eſt æquiuocum in ly Spiritus ſanctus procedit A Patre & à Filio.

Sequitur quarto rectè S. Patres Græcos ſentire & docere Spiritum ſanctum procedere *à Patre per Filium*, vt ordinate exprimerent diſtinctum modum eſſendi, & modum operandi immediate, & à ſe in Patre; ac diſtinctum modum eſſendi, & operandi mediate in Filio; ſequentes Sacram Scripturam, quę Filio ex vi originis ſuæ adſcribit mediatam illam præpoſitionem *Per* Io. 1. *Omnia per ipſum facta ſunt*, ex S. Th. p.p.q.39 art.8 quod etiam præſtarunt Patres Græci, ad effugiendam æquiuocationem illius ſignificationis *A*, ſeu *Alpha*, ne vniuoce viderentur ſentire quod Spiritus ſanctus procedit à Patre & A Filio, tanquam ab vno, eodemq; perſonali & fontali principio *quod*, ac perſonali Alpha & Omega, *quod* totius Trinitatis. quam æquiuocationem *A*, ſeu *Alpha* non poſſunt effugere Latini, dum aiunt Spiritum ſanctum procedere *A Patre, & A Filio*, & ideo Latini reſoluunt ly *A Filio*, id eſt *Per Filium*, vt effugiant talem æquiuocationem ex Hilario, & S. Th. p.p.q 36.art. 3. expreſſe docet.

Corollarium quintum.

Sequitur quinto iure optimo Papam Leonem Tertium retinere voluiſſe ſenſum SS. Patrum Græcorum in Concilio primo Conſtantinopolit. & Conc. Epheſino definitum, ne cui liceret aliquid addere contra mentem, ſenſum & doctrinam SS. Patrum Græcorum: & ideo tanquam cuſtos venerabilis antiquitatis, & tanquam vindex, & vltor cuiuslibet violatoris, antiquæ Patrum Græcorum doctrinæ, nunquam induci potuit, vt ſymbolum recitaret cum illa additione ſeu explicatione Latina, *Filioq;* vt teſtatur Baronius tomo nono, anno 809. num. 78. § *Poſt hæc autem Leo Papa Tertius, cuſtos antiquitatis ab eiſdem Legatis præſumpta licentia, abſq; Sedis Apoſtolicæ con-*

ſen-

Digitized by Google

ſenſu, vindex aſſurgens, non ſolum verbis differendo, & pracipiendo, quod vellet fieri, patefecit: ſed indelebile monumentum erigendum putauit: quo poſteris innoteſceret in ſymbolo nihil eſſe addendum. Siquidem in Baſilica S. Petri (non autem S. Pauli, ut aliquis aſſerit) duas tabulas argenteas, ad confeſſionem fidei eiuſdem B. Petri proteſtandam, affigendas curauit. In quarum altera ſymbolum latinè ſcriptum legeretur; in altera vero græcè; abſq; aliquo quattuor illarum ſyllabarum additamento (Filioq;) ſed ipſum ſymbolum in ſuo priſtino candore voluit integrum permanere: eſt autem mentio harum tabularum apud Anaſtaſium in vita ipſius Leonis Papæ Tertij, &c. hæc Baronius, eaſdemq; laminas argenteas refert Magiſter in 4. d. 11. & Scotus ibi, ac Suarius de Trin. lib. 18. cap. 1. Contendebant autem Legati illi faciendam eſse explicationem illam ſymboli (Filioq;) contra ſenſum & mentem SS. Patrum Græcorum ex parte termini, ſeu principij *A quo* & apponendam eſse talem additionem, ſeu explicationem contra decretum Concilij Epheſini, Chalcedonenſis, & Conſtantinopolitani ex parte eiuſdem principij, ſeu termini *A quo*. Vnde ſatis catholicè illis reſtitit Papa Leo, & nunquam induci potuit, aut perſuaderi, vt violaret fidei profeſſionem Concilij Oecumenici Conſtantinopolitani & Epheſini, iuxta expoſitum ſenſum SS. Patrum Græcorum & Sacræ Scripturæ atteſtantium, Spiritum ſanctum procedere à Patre per Filium potius, quam à Patre & à Filio, ex parte termini A quo. Vnde in fine Concilij Calcedonenſis in ſymbolo dicitur § *Spiritum ſanctum Patris & Filij veneramur, ſemper in Patre & Filio æternum vnum Deum, qui ex vno, &c.* non autem dixit *ex duobus*; ſed *ex vno* perſonali nimirum principio paterno, ſeu *ex vno Patre* fontaliter eſt; ſicut & Filius. Et in ſynodo Epheſina ſub anathemate definitum eſt, ne cui liceret contra hunc ſenſum & mentē SS. Patrum Græcorum aliquid in ſymbolo addere.

CAPVT 34.

In Notionibus Diuinis, quia non ſunt articuli fidei, aliter licet ex S. Th. p. p. q. 32. ar. 4.

Obiectio 1.

QVoniam non ſatis eſt noſtra confirmare, niſi Aduerſariorum argumenta infirmentur, & confutentur, ideo deuenio ad obiectiones. Dices ergo primo Non licet diſcedere à communi doctrina, in hac periculoſa materia Trinitatis, quia ex S. Th. p. p. q. 31. art. 2. corp. § *ex Auguſt. 1. de Trin. nec periculoſius alicubi erratur, nec laborioſius aliquid quæritur, nec fructuoſius aliquid inuenitur, &c.* Ergo erramus nos diſcedendo a communi, & aliter de notionibus diuinis opinando, ac docendo. Reſpondeo primo ex eodem S. Th. p. p. q. 32. art. 4. argumen. § *Sed contra* § *Articuli fidei non ſunt de notionibus. ergo circa notiones licet ſic, vel aliter opinari &c.* prætertim ſi deductio fiat ex Sacra Scriptura. Reſpondeo ſecundo quod S. Thomas & Scotus vtramque doctrinam Græcorum & Latinorum ſuſtinent & defendunt, tanquam catholicam, & non contradictoriam. S. Thomas enim p. p. q. 36. a. 3. § *Vtrum Spiritus ſanctus procedat à Patre per Filium.* defendit ipſiſſimam formaliter doctrinam SS. Patrum Græcorum concludendo, ac probando quod Spiritus ſanct⁹ procedit à Patre per Filium, ex parte termini A quo: non reſoluendo relationem Spiritus ſancti ad Patrem & Filium tanquam terminum adæquatum & immediatum; ſed ad ſolum Patrem vltimatè, per Filium tendendo, ait Spiritum Sanctum immediate & vltimate ſeu fontaliter ſpirari, ac procedere à Patre: ac ad Patrem immediate, & vltimate reſolui eius relationem, ſed mediate per Filium: quia Pater mediate ſimul & immediate, tam per ſe, quam per Filium ſpirat, exemplo Abelis, procedentis ab Adam & Eua; ſed magis extenſiuè procedentis ab Adam, quam ab Eua; quia immediatius & magis extenſiue procedit ab Adam, qui tam per ſe, & immediatè, quam per Euam, & mediate produxit ipſum Abelē, ex eo quod vterque proceſſit ab Adam, tam ipſe Abel, quam Eua ipſa. Et a 4. ad primum & ad 7. S. Thomas docet Spiritum ſanctum procedere a pluribus ſpiratoribus, ſeu ſpirantibus, ſi conſiderentur ſuppoſita ſeu principia perſonaliter ſpirantia (principium .n. ad intra perſonale eſse debet) Vbi autem eſt multitudo ſuppoſitorum ibi eſt confuſio niſi adſit ordo prioris ac poſterioris origine: & ideo S. Th. q. 33. ar. 4.

Digitized by Google

ar.4.in omnibus reſoluendum & deueniendum eſſe ait, ad primum principium. Sed idem S.Th.art.4. ſuſtinet & probat diſtinctam doctrinam Latinorum, quod Spiritus ſanct' procedat à Patre & Filio, tanquam vnico ordinato, & ſubordinato (ſine imperfectione) principio, ex parte termini *Ad quem.* quia Spiritus ſanctus ex parte termini *Ad quem*, non prius eſt à Patre, quàm à Filio. & quia vbi ſunt plura propter vnum terminum *Ad quem*, ibi eſt vnum tantum ordine, ſeu ſubordinatione; & e contra ibi reſolutio talis relationis eſt ad vnum tandem ordinatum principium negatiuè primum. Vnde Spiritus ſanctus refertur ad Patrem & Filium, tanquam ad vnum ordine principium: non vero ad vnum perſonalitate principium, & hoc ſignificat ly ſimilitudinarium *tanquam*, nō enim duæ perſonę eſſe poſſunt vnum ſimpliciter principium Sabellianum ad intra, quia principium ad intra perſonale eſſe debet. Sed ſunt vnum ordine. & hoc manifeſtat ly *procedere tanquam ab vnico principio*, in Decreto Concilij Floren. quod non ſumitur identicè, vt ly *tanquam Vnigeniti à Patre*: ſed diminutiuę, ſimilitudinarie, ac ordinatè ad vnum principium, quatenus mediata virtus ſpiratiua Filij, ac talis eius proprietas conſtitutiua, reſoluitur tandem in Patrem, tanquam ad ſimpliciter, & negatiuè primum, ſeu principium perſonale immediatum, & anarchicum. Id ipſum ſequitur expreſſe ſubtiliſſimus Doctor Scotus in quodlib.q.8.nedum in primum d.12.art.2. § Reſpondeo Actus &c. Vbi ſibi objicit Scotus, quod nec creatura nec Spiritus S. poteſt bis produci à Patre, & à Filio: ſi ſolus Pater prius origine ſpirat, ac creat, quàm Filius, & nulla alia ratione reſpondet, niſi diſtinguendo terminum *A quo*, & terminum *Ad quem*: ac concludendo, quod ex parte termini *A quo*, datur reſolutio vſque ad ſimpliciter, & negatiuę Primum, ſeu principium perſonale Paternum: quia vbi eſt pluralitas, ibi eſt confuſio, niſi ſit ordo. Vbi vero eſt ordo, ibi eſt principium, & medium producens, ac terminus productus. E contra vero ex parte termini *Ad quem*, quia eſt tantum vnitas termini producti, & in unitate non poteſt eſſe multitudo, neque conſequenter confuſio, neque prius & poſterius, neque principium & medium: ideo ait Scotus immediatè Spiritum ſanctum eſſe à Patre & a Filio, ſicut & creaturas. Non enim prius producuntur creaturæ, à Patre, quàm à Filio, licet è contra ſe res habeat ex parte termini *A quo*. quia in omnibus ſemper deueniendum, ac reſoluendum eſt, vſq; ad ſimpliciter, & negatiuè primum, ſeu immediatum principium ex S.Th.p.p.q 33.a.4. ad 4. Quare idem Scotus in 1.d.12.q.2.concludit Spiritum ſanctum ex parte termini *A quo* difformiter procedere, hoc eſt ex Hieronymo epiſt. 88. proprie procedere à Patre; quia proprietarius in habendo virtutem, non habet eam ab alio: non ſic autem propriè ait quod Spiritus S. procedit à Filio. & Hilarius de Trin. 12. ait Spiritum procedere à Patre per Filium, quia ly *Per* ſignificat ſubauthoritatem ſolam in Filio, cuius fontalis Authoritas, eſt in Patre ex Scoto ibid. & Riccard 6. de Trin. ait quod Spiritus ſanctus a Patre procedit mediatè & immediatè ſimul, hoc eſt per ſe, & per alium, ſeu magis extenſiuè; à Filio autem per ſe tantum, non vero per alium, ſeu minus extenſiuè, & ex Patribus Gręcis probat Scotus, quod Spiritus ſanctus fontaliter, & principialiter eſt à ſolo Patre, excludendo Filium qui ſicut non eſt fons Trinitatis: ſic neq; principium eſſe poteſt *quod*, ſeu immediatum, & ingenitum, ac ſimpliciter & negatiuè Primum. ergo ex Scoto non vniformiter procedit Spiritus ſanctus ex parte perſonalis termini *A quo*. licet vniformiter procedat ex parte termini *Ad quem*. quid ergo magis conſonum cum doctrina S. Thomæ, & Scoti nos cum Patribus Græcis ſentire, & docere poſſumus? Mitto quod *ly procedere a Patre & Filio, tanquam vnico principio*; intelligi poteſt de vnico principio eſſentiali remoto, quod ſolum ſit principium: non autem ſit cauſa (dempta inperfectione) reali habitudine productiua. Et vt ſic procedere eſt improprie & intranſitiue procedere, & idem valet, quòd conſubſtantialem eſſe, cum Patre & Filio. ex S.Th.p.p.q.41.art.3.ad 2.

ly Tāquam ab vnico principio eſt ſimilitudinarium, non vero eſt identicum.

Inſignis doctrina ſubtiliſſimi Doctoris Scoti.

Digitized by Google

Ars humana eſt vnum, idemque principium cum artifice creato, ſed non ita eſt in diuinis.

CAPVT 34.

DIces ſecundò ex S.Th.p.p.q.27.art.1.argum.3. Ars includitur in ratione primi principij, non ſolum enim ædificator eſt principium domus, ſed etiam eius ars. Sed Filius eſt ars Patris, ergo eſt primum & vnum principium cum Patre. Reſpondeo primo cum S.Th.ibi, quod Deus comparatur ad res creatas, vt artifex ad artificiata. Sed exempla ad extra, non valent in omnibus ad intra. Ars enim artificis non ſubſiſtit perſonaliter diſtincta, ſicut artifex, cum ſit accidẽs eius. Filius vero perſonaliter ſubſiſtit, ac realiter diſtinguitur à principio perſonali Paterno. Vnde falſa eſt conſequentia. Reſpondeo ſecundo quod Filius non eſt ars ingenita Patris, ſed eſt ars genita, non reſpectu Patris, (qui nil nouit ſapientia genita) ſed reſpectu producibilium quibus Filius eſt ratio, vt concomitanter producantur à Patre, & vt ad Patrem vltimate referantur. Aliud eſt enim quod Filius ſit ratio Patri, vt Pater producat (quod eſt hæreticum) atque aliud eſt quod Filius, ſit ratio Spiritui ſancto vt à Patre procedat & producatur, quod eſt catholicum ex S.Th.p.p.q.36.a.3.corp.

Verè & propriè procedere a Diuina eſſentia vt principio quo*, reali habitudine, productiuo; eſt realiter ab ea diſtingui tam ad intra, quam ad extra & oppoſitum eſt maxima proteruia Aduerſariorum, & deceptio fidelium.*

CAPVT 35.

DIces tertiò procedere ab aliquo *vt quo*, ad intra, nõ eſt diſtingui ab illo realiter. quia Filius, ſicut & Spiritus ſanctus procedunt à ſe, ſuaq; eſſentia *vt quo*, & tamen neuter diſtinguitur realiter à ſe ipſo. Reſpondeo primo negando antecedens ex paritate rationis ad extra, ſicut & ad intra. Cur enim ad extra procedere a Diuina eſſentia vt *quo*, noſtro intelligendi modo dicit diſtinctionem realem ab illa: non autem id valet ad intra? Vbi enim eſt eadem ratio, ibi eſt eadem legis, & dogmatis diſpoſitio. At vtrobiq; tam ad intra, quàm ad extra, ponitur eadem realis habitudo, productiua Dei Patris vt *quod*, ac diuinæ eſſentiæ vt *quo*; nam ideo ad extra Diuina eſſentia realiter diſtinguitur *vt quo*, quia, nimirum eſt realiter productiua vt *quo*. ergo ex paritate rationis, idem valet ad intra. Et ratio eſt, quia inter producens & productum ſiue vt *quo*, ſiue producat vt *quod* ſiue ad intra, ſiue ad extra, ſemper eſt realis diſtinctio. Neq; valet vanum illud effugium, Fauentini, quod ad intra communicatur eadem numero natura diuina: & ideo perſona producta non poteſt diſtingui realiter ab ipſa diuina natura producente ex vera & reali habitudine vt *quo*.

Obiecto falſa.

Reſpondeo primo implicare idem produci poſſe à ſe ipſo in ratione principij producentis, & termini producti. Reſpondeo ſecundo impertinens eſſe ad diſtinctionem realem, an producatur ſimile in natura, vel identificatum in natura. Non enim diſtinctio realis oritur ex communicatione vniuoca, ſeu æquivoca: ſed ex reali productione, ſiue producat vt *quo*, ſiue vt *quod*: Nam inter producens, & productum, ſemper eſt diſtinctio realis, ex quo pàtet falſum eſſe, ſeu Arianum & ſophiſticum eſſe, ſentire & docere quod Filius, ſeu Spiritus ſanctus procedant à ſe ipſis, ſeu à ſua ipſorum eſſentia vt *quo*, in genere cauſæ (dempta ſemper omni imperfectione) ſeu principij, reali habitudine productiui. vt *quo*. Nam ex S.Th.p.p.q.32.art.1.corp. & q.34.art.1.ad 1. fuit error Platonicorum, & Arianorum, & originis ponentium primum Ens eſſe Patrem, differentem ſecundum ſubſtantiam à Filio, ſeu Ideali ratione. In quo vel partiebâtur impartibilem ipſam diuinam eſſentiam, dum à ſe ipſa vt *quo*, Filium genitum, ſeu Spiritum ſanctum realiter productum ſentiebant: Vel Deum primum ens per eſſentiam, imperſonalem, & conſequenter communicabilem eſſe negabant; ſed perſonalem, & incommunicabilem eſſe ponebant, ſecundum eandem numericam naturam. Et ideo conſequenter, non niſi ſibi ſimile in perſona, ac ſimile in natura, non autem ſibi identificatum in natura numerica producere poſſe blaſphe-

Diſtinctio realis non oritur ex communicatione natura ſed ex principio extrinſeco ipſi termino producto.

Digitized by Google

Nullo modo diuina eſſentia concurrere ſimul poteſt in genere principij extrinſeci productiui, & in genere principij formalis ad ſui conſtitutionē eſſentialem in perſonarum productione.

ſphemabant. Implicat itaq; tam ad intra, quàm ad extra idem numero communicari poſſe in genere principij intrinſeci formalis; quod tamen concurrat ad ſui productionem ingenere principij extrinſeci, & productiui, ſemper enim inter producens & productum eſt diſtinctio realis, tam ad intra, quàm ad extra, ſiue producat vt *quo*, ſiue vt *quod*, vt fuſius probat ipſemet Suarius de Trin. lib. 6. cap. 2. num. 8. & oppoſitum eſt maxima deceptio fidelium. Vnde cum S. Th. & Scotus aiunt Diuinas perſonas procedere à diuina eſſentia vt *quo*, id intelligitur in genere intrinſeci principij formalis, quatenus ſunt ſibi ipſis conſubſtantiales, vt ait S. Th. p. p. q. 41. art. 3. ad 2. § *hac præpoſitio (De) denotat conſubſtantialitatem, nō autem principium actiuum vt ait Magiſter. & ſic dicitur Filius genitus de eſſentia Patris, quatenus eſſentia Patris communicata ſubſiſtit in Filio.*

Filius ſeu Spiritus Sanctus de more græco dicitur principiatus (dempta tamen ſemper omni imperfectione) tam apud Scotum, quam apud Concilium Florentinum.

CAPVT 36. DIces quartò falſo à nobis dici Filium eſſe principiatum, & ideo non poſſe eſſe idem principium cum Patre. Reſpondeo primo me loquutum eſſe de more Concilij, & SS. Patrum Græcorum, ac Scoti. Sicut enim Concilium Florentinū & Græci, ac Scotus dant Filium eſſe cauſatum (dempta ſemper omni imperfectione) ſic etiam dant & concedunt Filium eſſe principiatum, ex S. Th. p. p. q. 33. art. 1. § *Ad 2. dicendum quod apud Græcos inuenitur de Filio, & Spiritu Sancto dici, quod principientur, &c.* Reſpondeo ſecundo quod quoties dico de Filio, quod ſit principiatus, ſtatim id explico dicendo Filius eſt principiatus, hoc eſt, non eſt principium. quia eſſet Pater, ſed eſt à principio: ſicut & Spiritus ſanctus.

In Diuinis dantur plures, qui non ſunt idem perſonaliter Deus Sabellianus: ergo ſunt alius, hoc eſt diſtinctus relatiuè, ſeu adiectiuè, ſeu perſonaliter Deus. Licet omnes ſint vnus, idemque ſubſtātiuè Deus, ſicut ſunt vnus Author ſubſtantiuè, & plures Authores adiectiuè.

CAPVT 37. DIces quintò nos male inferre diſtinctionem Dei adiectiui, ſeu relatiui: dum dicimus cum Torres, de Trinit. quod *Hic Deus* oſtenſo Patre, *non eſt Hic Deus, qui eſt Filius*, oſtenſo Filio. Sed eſt alius perſonaliter Deus, ideſt, diſtinctus adiectiuè Deus, ſeu eſt alia Diuina perſona. Reſpondeo negando antecedens. Dupliciter enim dicitur Deus ex S. Th. p. p. q. 39. art. 4. corp. eſſentialiter nimirum, & perſonaliter. Dum ergo Pater non eſt idem perſonaliter Deus Sabellianus cum Filio: rectè ſequitur, quod ſit non idem, ideſt alius perſonaliter Deus, ſeu alia perſona diuina. Si enim non eſt alius perſonaliter Deus: ergo eſt idem perſonaliter Deus Sabellianus. Alietas ergo cadit ſupra perſonam, non vero ſupra Deitatem, in ſenſu catholicorum, ſumendo alietatem, idem eſſe, ac non identitatem, ſed diſtinctionem relatiuam: non vero in ſenſu hæreticorum, reiecto ex S. Th. p. p. q. 31. art. 2. Sicut ergo Pater eſt idem neutraliter cum Filio, non eſt autem idem maſculine: ſic eſt alius non autem aliud. Alius inquam perſonaliter, ideſt diſtinctus Deus perſonaliter. Nam de fide eſt: quod Deus dicitur dupliciter. Valeret autem obiectio, ſi Deus diceretur tantum eſſentialiter. quod eſt falſum ac contra S. Th. p. p. q. 39. a. 4. corp. vbi multipliciter Deum dici ex Sacra Scriptura atteſtatur. In æquiuocis vero non eſt contradictio nec falſitas. vt fuſius dicetur in Sacramento Pœnitentiæ. Confirmatur ex S. Th. p. p. q. 36. art. 4. ad 7. vbi Authorem dupliciter dici atteſtatur, ſubſtantiuè nimirum, & adiectiuè; & Hilarium dicentem Spiritum ſanctum procedere a Patre & à Filio Authoribus, interpretatur ſubſtantiuum ibi accipiendum eſſe adiectiuè, eo quod vnus tantum detur Author ſubſtantiuè, licet plures ſint adiectiuè Authores.

Digitized by Google

Sicut Filius non poteſt eſſe primum ſuppoſitum Diuinum: ſic neque eſſe poteſt principium in Trinitate, quod debet eſſe Primum, idem eſt enim Primum, ac Principium, etiam ex ipſo Ariſtotile 1. poſt. 2.

Dices ſextò ex S. Th. p. p. q. 36. art. 4. ad 6. § *Quicquid eſt à Patre, neceſſe eſt eſſe à Filio, niſi proprietati Filij repugnet* (nota bene ly, niſi proprietati Filij repugnet) *non enim Filius eſt à ſe, ſicut Pater. Sed eſſe principium Spiritus ſancti non repugnat Filio, ergo Filius eſt principium*. Reſpondeo negando Minorem. quia ad intra principium, eſſe debet perſonale, ſed Filius neque eſſe poteſt idem cum Patre primum perſonale principium Sabellianum: neque eſſe poteſt ſecundum principium, quia in Deo non poteſt dari duplex principium *quod*, quin detur duplex Deus, & duplex ingenitus, ex S. Th. p. p. q. 33. art. 4. corp. § *Reſpondeo dicendum quod ſicut in creaturis inuenitur principium primum, & principium ſecundum: ſic in diuinis perſonis (in quibus non eſt prius neque poſterius) inuenitur abſolute, principium non de principio quod eſt Pater: & principium à principio, quod eſt Filius, & Spiritus S.* Vnde S. Th. p. p. q. 32. art. 1. corp. § *Alia eſt ratio principij (nempe Patris) & alia eſt ratio ipſius procedentis à principio, ſeu Filij, & Spiritus S. &c.* CAPVT 38.

Non datur Spirator Notionalis per ſe relatiue ſubſiſtens, ſub diſtincta formalitate, à Patre & Filio & tamen communis vtrique quin ab vtroque realiter diſtinguatur.

Dices ſeptimò Datur ex S. Th. & Scoto Spirator communis vnus Deus: ergo doctrina noſtra eſt contra S. Thomam ac Scotum. Reſpondeo: *Datur amoris eſſentialis ſpirator vnus Deus, dicens naturam diuinam cum proprietate ſpiratiua eſſentiali omnibus tribus*: Concedo antecedens. *Datur amoris notionalis ſpirator, dicens naturam diuinam cum proprietate perſonali, communi duobus, & ab eis formaliter diſtinctus*: Nego antecedens. Non enim habere poteſt proprietatem perſonalem ſpirandi quin ſit relatio ſubſiſtẽs, & conſequenter ſit perſona, ac realiter diſtinguatur, non ſolum à Spiritu ſancto, quatenus eſt ſubſiſtens relatiua formalitas: ſed etiam per eandem formalitatem relatiuam realiter diſtinguatur à relatiua formalitate Patris, & Filij. Relatiua enim ac perſonalis formalitas Patris, & Filij, eſt alia res tranſcendentalis, a realitate trãſcendentali ſpiratoris, quem tu ais eſſe imperſonalem. Confirmatur primo, quia ſi ſpirator ille notionalis eſſet idem realiter cum Patre, & Filio; non autem cum Spiritu ſancto: Vel eſſet idem realiter, realitate abſoluta, & eſſentiali: & vt ſic non eſſet idem realiter cum Spiritu ſancto. Vnde Spiritus ſanctus per te, non erit idem eſſentialis Deus cum Patre, & Filio, ac ſpiratore; ſi ſpirat vt Deus eſſentialis realiter idem cum Patre & Filio, realitate abſoluta, & eſsentiali. quia inter producens, & productum ſemper eſt diſtinctio realis. Vel 2. eſset idem realiter, realitate tranſcẽdentali, relatiua, & imperſonali; & vt ſic neque Pater erit perſonaliter ſpirans, neque Filius. Immo potius Pater & Filius erunt idem realiter realitate relatiua, & conſequenter erunt idem inter ſe in ſubſiſtentia relatiua. quod eſt Sabellianum ac confuſiuum diuinarũ ſubſiſtentiarum ac perſonarum in Deo. Quæ .n. ſunt idem vni Tertio, ſunt idem inter ſe, in eo in quo conueniunt, & identificantur cum illo Tertio. Vnde ſi dicas illud Tertium eſse perſonale, ac productiuum perſonæ Spiritus ſancti, quia actiones ad intra ſunt ſingulariter ſubſiſtentium ſuppoſitorum: tunc ſequetur Patrem & Filium eſse vnam eandemque Sabellianam perſonam. Si vero dicas illud Tertium eſse imperſonale: tunc erit error peior priore, quia Pater & Filius ſpirabunt notionaliter vt imperſonales ſunt, ac relatio Spiritus ſancti non erit ad perſonam Patris, & Filij, qua tales, ſeu perſonales ſunt: ſed qua ſunt imperſonales & imperſonaliter ſubſiſtunt; ſeu ad ſubſiſtentiam eſsentialem & imperſonalem. (non enim datur alia ſubſiſtentiã, niſi perſonalis, & imperſonalis, ſeu eſsentialis) & ſic verum erit dogma Arianum, quod relatio, & diſtinctio realis datur inter eſsentiã, CAPVT 39.

ſeu naturam diuinam Patris, ac perſonæ productæ; eo quod oppoſitio relatiua non eſt ad perſonam producentem; ſed ad eſsentiam, vel ſubſiſtentiam eſsentialem, & imperſonalem. Præter quàm quod Pater & Filius ſecundariò, & per accidens negatiuè ſpirabunt. vt ſpirator Deus, abſtrahens à Paternitate & Filiatione: non autem vt Pater ſecundum quod ipſum, ac Filius ſunt ſecundum quod ipſum. Confirmatur ſecundo, quia ſpiratiua relatio ſubſiſtens, ac realiter contradiſtincta à ſpirata relatione Spiritus ſancti ſi per ſe, & ſecundum quod ipſum, non eſset conſtitutiua perſonæ ſpiratoris, neque conſequenter eſse poſset conſtitutiua perſonæ Spiritus ſancti, quia *Nemo dat quod non habet*: & quale eſt principium vniuocum tale eſse poteſt & terminus. Et ſic neque Spiritus ſanctus erit perſona. Confirmatur tertio, quia relatio diuina per ſe; ſecundũ quod ipſum vt relatio diuina ſubſiſtẽs eſt, deferre debet ſecum, ac conſtituere perſonam, & ſubſtantiam incommunicabilem. Secus vel accideret perſonæ cõſtitutæ: Vel nõ debet per ſe, & ſecundum quod ipſum, vt ſubſiſtens relatio diuina eſt, perſonam conſtituere. Accidit, enim relationi diuinæ & per ſe ſubſiſtenti, vt ſubſequatur perſonam extrinſecam ſibi, non enim per hoc mutat ſuam eſſentiam. Confirmatur quarto ex abſurdis alijs, quia vt ſic Pater & Filius ſpirarent ab illo ſpiratore non autem à ſe, & conſequenter eſsent ab illo, non autem a ſe, quia inter diuinas formalitates eſse debet ordo originis, & quia operari ſequitur ad eſse. Nec non ſpirator ille primario, ac per ſe, & ſecundum quod ipſum, eſset principium à quo alius, ſeu Spiritus ſanctus produceretur: non vero Pater eſset tale principiũ fontaliter ſpiratiuum. quod ni fallor, eſt pluſquam hæreticum, quia daretur duplex principium, ſecundum quod ipſum, *A quo* alius, nempe principiũ generatiuum in Patre, & principium ſpiratiuum in ſpiratore, formalitate relatiua contradiſtincto à Patre & Filio. Confirmatur quinto, quia ſicut Pater & Filius non poſsunt eſse vnum realiter, in ſpirando (nam vel eſsent vnum eſsentiale & abſolutum; & ſic Spiritus ſanctus non eſset illud vnum abſolutum & eſsentiale, neq; eſset Deus. quod eſt hæreticum. Nam inter producens & productum ſemper eſt diſtinctio realis. Vel eſſent vnum relatiuum & perſonale. quod eſt pluſquam hæreticum, ac deſtructiuum perſonarum Trinitatis, ac Sabellianum:) ita multo minus Pater, Filius, & ſpirator, eſse poſunt vnum in ſpirando, propter eandem rationem. quia neque eſse poſsunt vnum eſsentiale, & abſolutum; neque vnum relatiuum & perſonale Sabellianum. Neque valet ſi dicas ſextò ex Caiet.p.p.q.36.art.2. quod relatiua ſpiratio diuina facit perſonam in Spiritu ſancto, non autem in Patre & Filio, in quibus facit diſtinctionem in perſonis, non autem diſtinctam perſonam. Ita vt ſpirent ſub diuerſa formalitate Dei ſpiratoris, non vero Dei generantis, ſeu Dei geniti. Non valet; inquam, quia quod per ſe eſt tale, ſemper, & vbique eſt tale. Secus ex Aureolo (vt ibidem refert Caiet) ſi ſpiratiua relatio cõſtituit perſonaliter Spiritum ſanctum quem diſtinguit etiam perſonaliter. Ergo vnit etiam perſonaliter Patrem & Filium ad ſpirandum, ſi non diſtinguit perſonaliter. quia actiones perſonales ad intra ſunt ſuppoſitorum, ſeu ſubſiſtentium perſonaliter, Secus Pater & Filius non ſpirarent vt perſonæ, ſecundum quod ipſum: ſed vt Deus imperſonalis & ſic dabitur quarto perſonaliter Deus, ſeu quarta perſona Deus.

Pater et Filius in ſpirando nõ poſſunt eſſe vnum realiter. neque realitate abſoluta, neque realitate relatiua.

Dices octauò ex S.Th.p.p.q.35.art.corp.§ *Spiritus ſanctus non refertur ad Patrem immediate, niſi per Filium, quia non eſt imago Patris, ſicut eſt Filius*. ergo immediate refertur ad ſpiratorem Deum & ſic dabitur quarta formalitas, ac veritas, Dei ſpiratoris, imperſonaliter ſubſiſtentis, contra diſtinctam formalitatem & realitatem Dei eſsẽtialis, ac imperſonalis, imperſonaliter præintellecti ante diuinas perſonas. Reſpondeo relationem non ſolum dari tanquam genitæ imaginis naturalis ad prototypum imaginantem, vt ſic dicam, ſed etiam dari relationem principiati diuini Amoris notionalis ad principiantem Deum amantem, ſeu Patrem amantem. Non ſolum enim Pater eſt intelligens Deus: ſed etiam eſt Pater Amans Deus.

Digitized by Google

In Deo omnia ſunt vnum, non intelligitur de diſparatis, neq; de tranſcendentalibus; neque de formalitatibus.

CAPVT 39.

Dices nonò ex S. Th. p. p. q. 39. art. 4 Omnia in Deo ſunt vnum, vbi non obuiat relationis oppoſitio: ſed Pater & Filius in ſpirando, ſicut in creando ſeu principiando non opponuntur. ergo ſunt vnum principium ad intra; ſicut & ad extra. Reſpondeo ad Maiorem: *Omnia in Deo ſunt vnum realiter*, vbi non obuiat relatio, Concedo. *Sunt vnum formaliter*, Nego. nam Iuſtitia & ſapientia, ſeu miſericordia in Deo non opponuntur relatiuè, & ſunt vnum eminenter, & realiter; non tamen ſunt vnum formaliter. Sufficit autem in Diuinis, & infinitis diſtinctio formalis; quæ idem operatur, ac diſtinctio realis. Pater ergo & Filius, vt tales ſunt ſemper relatiue opponuntur, licet diſparate opponantur ſuis perſonalibus proprietatibus conſtitutiuis hypoſtatice. Pater enim conſtituitur ſua perſonalitate ingenita vt primum eſt, ſeu principium aliorum. Filius vero conſtituitur ſua perſonalitate, vt ſecunda eſt hypoſtaſis ab vno. Spiritus ſanctus autem vt eſt tertia hypoſtaſis à duobus exiſtens & vt ſic alius, hoc eſt diſtinctus perſonaliter Deus Creator, eſt Pater; atq; alius, ſeu diſtinctus perſonaliter ſpirator eſt Deus Pater, dum creat, ſeu ſpirat, vt Pater: atq; alius, ſeu non eſt idem, ſed diſtinctus perſonaliter ſpirator eſt Deus Filius, vt fuſius Torres docet de Trin. hic, & q. 39. art. 4. Quod ſi dicas quod opera Trinitatis ad extra ſunt indiuiſa, & Pater ſeu Filius non creant primaria denominatione vt Pater eſt, ſeu Filius Deus perſonalis & adiectiuè: ſed vt Deus imperſonalis eſt, atq; eſſentialis, & ſubſtantiuè: & ideo ſunt vnus, idemq; Creator Deus eſsentialis. Sic in ſpirando Pater & Filius non ſpirant ſecundum quod ipſum, vt Pater, & Filius perſonaliter ſpirator Deus, ſed vt imperſonalis ſpirator Deus eſsentialis. Reſpondeo falſam eſse paritatem multipliciter. Primò, quia ad extra verũ eſt, quod opera Trinitatis ſunt indiuiſa; Deus enim creat primaria denominatione vt vnus eſt, atque eſsentialis, & imperſonalis Deus eſt; præ intellectus ipſis diuinis perſonis ex S. Th p. p. q. 32. a. 1. corp. & q. 45. art. 6. corp. & Scoto in 1. d. 12. E contra vero ad intra Deus operatur primaria denominatione vt Trinus eſt, ſeu perſonalis, ac diſtinctus in perſonis eſt. Et ideo principium ad extra, eſsentiale & commune eſse debet omnibus tribus illis beatis perſonis: e contra vero principium ad intra, perſonale eſse debet. Duæ vero perſonæ realiter diſtinctæ non poſsunt eſse vnum, idemque, niſi Sabellianum principiũ perſonale. Secundò, falſa eſt illa paritas quia Deus dicitur dupliciter, eſsentialiter, ſeu imperſonaliter, & ſubſtantiuè: ac perſonaliter, & adiectiuè, ex S. Th. p. p. q. 39. art. 4. in Deo enim nihil aliud eſt, niſi perſona ſeu relatio, & eſsentia. Si ergo Pater & Filius non ſpirant qua formaliter ſunt per ſe tales, ſeu perſonaliter Deus; tunc neceſsario ſpirabunt conſequenter, vt imperſonales ſunt, ſeu vt ſunt ſubſtantiue ſpirator Deus imperſonalis, & eſsentialis. Et vt ſic perſona producta, ſeu ſpirata, non erit Deus ille eſsentialis, à quo per te productus eſt Spiritus ſanctus. quia inter producens & productum ſemper eſt diſtinctio realis. Reſpondeo nunc ad Minorem illam *Pater & Filius in creando, ſeu ſpirando, ſeu principiando non opponuntur*. Reſpondeo Non opponuntur in principiando eſsentialiter. Cõcedo. In principiando perſonaliter. Nego, *Vel non opponuntur quatenus vltima denominatione creant*. Id falsũ, & hæreticum eſt, quia ex Torres de Trinit. Hic creator Deus oſtenſo Patre: non eſt hic Creator Deus oſtenſo Filio, ſeu qui eſt Filius. quia Creator perſonalis, realiter contradiſtinguitur, ac opponitur relatiue alteri Creatori perſonaliter Deo. Secus ambo eſſent vnus, idemq; perſonaliter Creator Deus. quæ eſt hæreſis Sabelliana. Ita dicendum de perſonaliter ſpiratore Deo, quod realiter contradiſtinguatur ab alio perſonaliter ſpiratore Deo: ſecus eſsent vnus, idemq; perſonaliter ſpirator Deus. quod eſt Sabellianum. ſicut autem non valet paritas ab eſsentiali Creatore inferre vnitatem perſonalis Creatoris: ſic neq; valet ab eſsentiali vnitate ſpiratoris, inferre vnitatem ſpiratoris perſonalis.

Falſiſſima eſt illa paritas, ſicut in eſsẽtialibus Pater & Filius ſunt vnus idemque Creator Deus: ſic in notionalibus, ſeu perſonalibus ſunt vnus idemque perſonaliter ſpirator Deus.

Neque

Digitized by Google

CAPVT 40.

Neque valet illa fuga Fauentini, & Becani, ſeu Suarij, quòd Pater, ſeu Filius ſpirant, vt vnus, idemque Deus imperſonalis. quia id Arianum eſt, ſeu Platonicum, ex S. Th. p. p. q. 32. art. 1. corp. Ponebat enim Plato, Arius & Origenes Primum ens eſse Patrem, generantem ſuum Idealem Filium diuerſæ ſubſtantiæ, ſeu partitæ ſubſtantiæ; & multo magis id ſentiebant de Spiritu ſancto, ſi tamen Spiritum ſanctum cognouerunt. Mitto quod eſt contra Sacram Scripturã ſentire & docere, quod Pater & Filius non ſpirent ſecundum quod ipſum, qua tales ſunt. cum tamen dicatur Io. 16. *Spiritus Veritatis, qui à Patre procedit & quem mittet Pater in nomine meo* manifeſtando, quod eſt nomen Filij & Verbi. Vnde eſt verum, & de fide in omni rigore ſenſus literalis, quod Spiritus ſanctus procedit à Patre vt Pater eſt, non autem à Patre, qua non eſt Pater in diuinis, ſeu vniuerſale principium realiter relatum ad quodlibet, ſine vlla imperfectione principiatum ad intra. Vnde S. Th. p. p. q. 28. articulo 1. argu. 3. § *Relatio paternitatis, eſt relatio principij*. & quæſt. 33. articulo 4. ad 1. § *Pater importat principium aliorum, ſeu vniuerſalem Authoritatem, & fontalem plenitudinem. fontalitas vero & Authoritas nihil aliud dicit in diuinis, niſi principium originis, &c.*

Non eſt idem in Diuinis Pater quod eſt Genitor in humanis.

Non ergo eſt idem in diuinis Pater & Genitor, ſicut eſt in humanis (& ideo non valet Baptiſma in nomine Genitoris & geniti; ſicut valet in nomine Patris, & Philij, per Antonomaſiam ſic dicti, quaſi Amantis Philij, ex etymologia græca. quia non ſolum Filius eſt genitus ſed etiam eſt Amans per antonomaſiam, ideſt ſpirans Filius. quod obiter ſit dictum. Mitto ſecundo quod licet Pater, & Filius ac Spiritus ſanctus ſimul ſint vnus, idemq; ſpirator eſsentialis amoris, erga ſe ipſos ac diuinam eſsentiam, & creaturas: non tamen ſequitur quod inter ſe ipſos ſint vnum, idemque formaliter ad intra. Formalitas ergo ſpiratoris Dei notionalis, realiter cõtradiſtincta à formalitatẽ Spiritus eſt alia à formalitate ſpiratoris Dei eſsentialis, & cõis omnibus tribus. Vnde ſemper formalitates ipſæ contradiſtiguũtur formaliter: idemque operantur, ac ſi eſsent realiter contradiſtinctæ. Mitto tertio quod ex eo quod aliqua non opponantur relatiuè, non ſequitur formaliter, quod ſint vnum in diuinis, nam perſonæ in diuinis ſunt, & ſignificant ſubſtantiam ipſam primam, ſeu hypoſtaticam identificatam cum eſsentia diuina quæ non ſolũ dicitur ad ſe: ſed etiã vt perſona eſt, eſt etiam fundamentum relationis, & definitur definitione abſoluta vt ſubſtantia eſt, non vt perſona eſt ex S. Th. p. p. q. 29. art. 1. § *Perſona eſt rationalis ſeu intellectualis naturæ indiuidua, ſeu diſtincta. ſeu incommunicabilis ſubſtantia*: Perſona enim eſt perſonati abſoluti (vt hypoſtaſis eſt) perſona, etiam in diuinis: non vero perſona eſt ſui correlatiui diuini perſona. Cui vero non competit definitio relationis, neque ipſum definitum. Vnde non placet ibi Caietanus (pace tanti Viri) Conſtituuntur autem ex Scoto diuinæ perſonæ abſolutis tranſcendentaliter proprietatibus perſonalibus & hypoſtaticis; referuntur vero relatione paternitatis, ſeu Filiationis, ſeu proceſſionis. Vnde S. Th. p. p. q. 29. art. 4 ad 1. § *Perſona dicitur ad ſe, non ad alterum, quia ſignificat relationem, non formaliter per modum relationis; ſed per modum ſubſtantiæ, quæ eſt hypoſtaſis (fundamentum relationis) & ſecundum hoc Auguſtinus dicit, quod perſona ſignificat eſſentiam, prout in Deo, eſt idem cum hypoſtaſi. quia in Deo non differt* quod eſt, & quo eſt, &c. Eſſentia ergo diuina eſt idem cum hypoſtaſi; non autem eſt idem formaliter q̃ relatio, quia Diuina eſſentia per ſe ſubſiſtit, & dat alijs ſubſiſtere: non autem refertur ad ſuum oppoſitum.

Perſona diuina non opponuntur; neq; tamen per hoc ſunt vnum.

Ergo aliud ratione eſt perſona & hypoſtaſis: atq; aliud ratione eſt Relatio in diuinis. licet vtrumque eminenter ſit in diuina perſona, quę ſimpliciſſima res, vtrumq; eſt eminenter. Perſonæ itaq; diuinæ vt hypoſtaſes, licet relatiuè non opponantur: non tamen hinc ſequitur, quod omnes ſunt vna eademque perſona, quia ad diſtinctionem ſufficit oppoſitio diſparata hæcceitatum Scoti; per quas hoc, non eſt illud; & quodlibet conſtitutiuũ intrinſece, eſt diſtinctiuum & incompoſſibile cum alio.

Aliud ratione eſt perſona atq; aliud eſt relatio

Sic etiam illa ſex Tranſcendentalia, quæ abſtrahunt à relatiuo & abſoluto REVBAV non ſunt vnum in Diuinis perſonis. nam id Sabellianum eſſet. Et hac de cauſa S. Th. p. p. q. 29. art. 3. corp. ait § *Perſona ſignificat id*

quod

quod eſt perfectiſſimum in tota natura, id eſt ſubſiſtens in natura rationali, ſeu intellectuali. Vnde cum omne illud quod eſt perfectionis Deo ſit attribuendum, eo quod eius eſſentia continet in ſe omnem perfectionem, conueniens eſt, vt hoc nomen perſona de Deo dicatur, &c. non eſt autem ipſa relatio perfectiſſimum, quod ſit in Deo, ſed ipſa perſona eſt perfectiſſimum ex S.Th. ergo aliud ratione eſt perſona, quæ dicitur ad ſe, tanquam ſubſtantia prima: atq; aliud ratione eſt relatio, quæ eſt ad aliud, ac præſupponit ſuum fundamentum, & perſonam.

Spirator Deus vnus, ſi datur: perſona eſſe debet: vt perſonam producere poſſit.

Dices decimò Spirator ille Deus ideo eſt communicabilis pluribus, quia eſt impersonalis ex Becano de Trin. cap. 6. q. 5. & tamen, neque eſt Deus eſſentialiter; neq; eſt Deus perſonaliter. Reſpondeo primo id erroneum eſſe in fide (pace tanti Viri) ac ex diametro pugnare cum Catholica doctrina S. Thomæ p.p.q. 39. ar. 4. Dupliciter enim dicitur Deus, nempe eſſentialiter, vt præ intellectus diuinis perſonis ex illo Pſal. *Redemiſti nos Domine Deus veritatis.* ac perſonaliter vt ly *Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum, de Deo vero.* Vnde non datur alius Deus Becanicus, qui neque ſit perſonaliter Deus, neque ſit eſſentialiter Deus, communis omnibus ſimul tribus perſonis. Reſpondeo ſecundo implicare quod detur Deus communis duobus & non tribus ſuppoſitis diuinis; quia in Deo nihil aliud eſt niſi eſſentiale commune tribus; & perſonale, vnius tantum perſonæ proprium, tam ex Scoto de Trin. quàm ex S. Thoma. Reſpondeo tertio implicare id quod eſt imperſonale, quatenus tale ſeu ſecundum quod ipſum, producere poſſe perſonam. quia *Nemo dat productiue vniuoce quod non habet in ſe.* At diuina eſſentia, ſeu Attributum eſſentiale non poteſt eſſe cauſa, ſeu reali habitudine productiuum principium ex ſuppoſitionibus & Concluſionibus præcedentibus. Reſpondeo quarto quod actiones tranſitiuæ ad intra ſunt ſuppoſitorum. Vnde eo ipſo quod ſpirator ille Deus notionalis ponitur eſſe productiuus perſonæ, conſequenter ex neceſſaria deductione ponitur eſſe quarta perſona incommunicabilis. quia Actiones ad intra ſunt ſingularium, per ſe ſubſiſtentium ſuppoſitorum. Reſpondeo quinto Arianum eſse, ſentire & docere quod imperſonalis Deus vniuoce poſſit communicare ſe ipſum producendo perſonam. quia ſimul cõcurreret in genere cauſæ (dempta imperfectione) ſeu intrinſeci principij formalis, ac efficientis, ſeu producentis extrinſeci principij. Cum tamen inter producens & productum ſemper ſit diſtinctio realis. Vel ergo impartibilis eſſentia ſpiratoris Dei imperſonalis & eſſentialis cum Ario diuidetur: Vel idem Deus ſpirator imperſonalis & eſsentialis erit producens & productum; quia in Deo imperſonali idem eſt *quo* & *quod* ex S.Th. p.p.q. 29. art. 4. ad 1. non enim in Deo eſsentiali, ſeu imperſonali, eſt illa diſtinctio formalis *quo*, & *quod*, quæ datur in Deo perſonali. CAPVT 41.

Inſolubilia ſunt argumenta Sancti Thomæ pro Græcis.

Dices vndecimò ex S.Th. p.p.q 36. art. 4. argumento primo Spiritus S. non procedit à Patre, & Filio, vt ſunt vnum in natura, quia vt ſic etiam Spiritus ſanctus procederet à ſe ipſo, ſicut eſt vnum in natura cum Patre & Filio: neq; ab eis procedit, vt eſt vnum in aliqua proprietate perſonali, quia vna proprietas non poteſt eſse conſtitutiua plurium ſuppoſitorum; neque vt ſunt vnum in ſuppoſito. quia id Sabellianum eſt. ergo Pater & Filius nullo modo ſunt vnum, idemque principium Spiritus ſancti. Reſpondeo hoc argumentum S. Thomæ eſse reuera inſolubile. At dici poteſt eſse vnum ordine principium ſeu ſubordinatione, (ſine tamen imperfectione) & ideo potius eſse tanquam vnum principium, ſimilitudinarie; non vero eſse vnum ſimpliciter principium. Vna enim numero proprietas perſonalis, non poteſt eſse in duobus ſuppoſitis: ſecus formaliter conſtitueret duo ſuppoſita, quod eſt impoſſibile. CAPVT 42.

Digitized by Google

le. Non enim proprietas ſpiratiua accidentaliter aduenit Patri & Filio perfectè conſtitutis in eorum eſſe ſubſtantiali ex ſuppoſitione 11. (nam vt ſic prius eſſet Pater, quam ſpirator, & conſequenter Spiritus S. non eſſet coæternus Patri & Filio) Sed talis proprietas ſpiratiua præuenit eorum conſtitutionem formalem, ſeu eſt de intrinſeca ratione perſonalis proprietatis Patris, vt ſit immediatum, & fontale, ſeu vniuerſale principium perſonale *quod*, omnis emanationis ad intra, & extra. In Filio etiam præuenit, ad hoc, vt Filius ſit mediatum principium *per quod*, omnis compoſſibilis emanationis, tam ad intra, quàm ad extra. Confirmatur, quia tale vnicum principium, quod per Fauentinum, & Becanum, ſeu Suarium eſt ſpirator ille Deus notionalis: Vel eſt perſonale, vel imperſonale principium eſſe debet: item vel eſt genitum; vel ingenitum principium eſſe debet ex S. Th. p. p. q. 33. art. 4. ad 4. quodcunque dixerit Fauentinus, ſeu Becanus, ſeu Suarius; manifeſti erroris in fide (pace eorum) conuincentur ex S. Th. p. p. q. 36. art 4. § *Si Pater & Filius ſunt vnum principium Spiritus ſancti, aut ſunt vnum quod eſt Pater, aut vnum quod non eſt Pater. Sed neutrum eſt dare. quia ſi vnum quod eſt Pater, ſequitur, quod Filius ſit Pater. Si vnum quod non eſt Pater, ſequitur quod Pater, non eſt Pater &c.* quod eſt inſolubile argumentum S. Thomæ. Neque valet ſi dicas quod ly *Pater & non Pater; non ſunt contradictoriè oppoſita, quia ſpirator ſupponit confusè, & non diſtinctè.* Reſpondeo enim id eſſe contra ſymbolũ Athanaſij: vbi expreſſe prohibetur, in Trinitate aliquod confuſum, & Sabellianum aſſignari poſſe. Spirator enim ad intra perſonale principiũ ac deſignatum, & diſtinctum eſſe debet, præterquam quod vnum, idemque principium, eſt vnum in ſubſtantia ex S. Th. p. p. q. 36. art. 4 argum. 6. Similiter inſolubile eſt argumentum quintum S. Thomæ ibidem § *Præterea quinto, ſi Pater & Filius ſunt vnum principium Spiritus ſancti videtur è conuerſo dicendum, quod vnum principium Spiritus ſancti ſit Pater & Filius. Sed hæc videtur falſa. quia hoc quod dico principium oportet quod ſupponat determinate vel pro perſona Patris, vel pro perſona Filij. & vtroque modo eſt falſa. ergò hæc etiam eſt falſa; Pater & Filius ſunt vnum principium Spiritus ſancti, &c.* Confirmatur, quia de fide eſt quod principium proximum ad intra perſonale eſſe debet. S. Th. autẽ ibi loquitur de principio remoto, quod ſolum eſt principium, ſed non eſt ſimul principium & cauſa.

CAPVT 43.

Pater & Filius ſunt duo ſubſtantiuè ſpiratores ob duplicem formam ſubſtantiuã qua proxime ſpirant: licet ordine ſint vnus ſpirator: Vbi .n. ſunt plura propter vnum: ibi eſt vnum tantum.

Dices 12 quod per nos dantur duo ſpiratores perſonales, & duplex principium, quod eſt abſurdum. Reſpondeo tam ex Scoto, quam ex S. Th. p. p. q. 36. art. 4. ad 7. quod ſunt duo ſpiratores ſi reſpiciatur ad perſonalia principia ſpirantia. Semper .n. multiplicatur in diuinis nomen ſubſtantiuũ ad multiplicationem formę ſubſtantiuæ, ſed alia eſt forma qua Pr. eſt Pater; atq; alia eſt qua Filius eſt Filius; ergo cõſequenter alia ſubſtantiua forma indiuiduali quilibet eorum operatur: nam eſſe eſt propter operari. Vnde Pater ſicut paternitate, tanquam ſua perſonali proprietate, eſt formaliter Pater, non autem Deitate: ſic paternitate generat, ſeu ſpirat, non autẽ Deitate, ac diſtinguitur etiam à perſonali proprietate conſtitutiua Filij, quæ non eſt Deitas; ſed ipſa perſonalitas relatiua Filij, realiter diſtincta, à perſonalitate Patris, quæ diſtincta forma ſubſtantiua, ſicut eſt duplex, ſic conſtitutiua eſt duplicis perſonæ, ac diſtincti principij perſonalis ſubſtantiui ac productiui.

CAPVT 44.

Pater, qua Pater eſt in Diuinis ſpirat: non vero, qua ſpirator perſonalis eſt ſecũdum quod ipſum n. q; qua ſpirator imperſonalis & eſſentialis eſt.

Dices 13. cum Doctore Bello ex S. Th. p. p. q. 40. a 2. corp. § *Origo ſeu proprietas originis, non eſt diſtinctiua neque conſtitutiua perſona diuina, &c.* ergo male nos ſentimus, dum oppoſitũ ſuſtinemus. Reſpondeo ex eodem S. Th. cit. corp. § *Melius dicitur, quod diuina perſona, conſtituantur relationibus quam originibus. Licet enim diſtinguantur vtroq; modo, quia idem eſt relatio, & origo: prius tamen (nota bene) & principalius diſtinguuntur relatione quàm origine, ſiue actiua, quæ eſt via ſignificans actum, vt progredientem à perſona ſubſiſtente, quam præſupponit. ſiue origine paſſiua, qua ſignificatur, vt via ad perſonam ſubſiſtentem, ſed nondum, vt eam conſtituens, &c.* Licet ergo origo principaliter tanquam via non conſtituat perſonam ſeu terminum: tamen ex S. Th. via hæc pertinet ad cõſtitutionem perſonæ, ſeu termini. & hoc eſt quod nos docemus cum Sanctis Patribus Græcis.

Finis quæſtionis.

Digitized by Google

QVÆSTIVNCVLÆ

Circa Proceſſionem Spiritus Sanċti, in qua gratis & falſò accuſatur ac cenſuratur hæreſeos Eccleſia Græca, ſeu Patriarcha CYRILLVS Conſtantinopolitanus in orthodoxo ſenſu explicato. In gratiam Excellentiæ Illuſtriſſimæ Procuratoris Sanċti Marci FRANCISCI MAVROCENI, ac Procuratoris SEBASTIANI VENIERII, ac Excellentiæ Illuſtriſſimæ Senatoris DOMINICI MOLINA Studij Patauenſis Trium Viri Digniſſimi, ac Senatoris IOANNIS BACEDONA, ac Aloyſij BACEDONA Proteċtorum ac benefaċtorum ſingularium. Paradoxum opus, à nullo vel quàm Maximo Italiæ Theologo hucuſq; demonſtratum.

AVCTORE

IOANNE BAPTISTA CATVMSYRITO,

Italogræco Rhegyno Epilogus Totius Quæſtionis.

CAPVT I.

Hæreſis Arij in vna littera conſiſtebat. Admittebat enim Homouſion, idem ſimilem naturam, ſed negabat Homouſion, ideſt identificatam naturam.

VIſum eſt hucuſq; quòd tota Ariana hæreſis fundata fuit in illa, ex creatis ad increata, male translata Maxima Philoſophica, *Omne agens (quatenus producens, ſeu generans,) generat ſibi ſimile, tam in perſona, quàm in natura*, quæ Maxima eſt falſa, & erronea in fide, ſeu Hæretica in Diuinis, niſi ſano modo intelligatur ad mentem Sanċti Thomæ. nimirum *Generans generat, ſibi ſimile negatiuè*, tam in natura, quàm in perſona, ideſt non diſſimile in natura, neq; in perſona. Si enim intelligatue de ſimili æquiuoco ideſt de ſimili identificato in natura, & identificato in ſuppoſito, ſeu perſona diuina, id præter quam quod eſt æquiuocum, nam ſimile realiter diſtinguitur ab identificato, præterea dupliciter eſt erroneum in fide. Primo quia Sabellianum eſt, ſi intelligatur de identificata perſona. Magis enim, ac minus ſimile non variat ſpeciem, neq; facit idē. Nec non quia ſecundo Arianum eſt, ſi intelligatur de natura impartibili, & indiuiſibili, quam tamen contradiċtorie Arius partiebatur & diuidebat dum diuinam naturam, ſeu eſſentiam, ſeu Deitatem generare, ſeu ſpirare vt *quo* docebat, ideſt vt principio extrinſeco, ſeu produċtiuo; quod nunquam coincidere poteſt cum principio intrinſeco & formali. Sicut enim effeċtus formalis, qui dicitur effeċtus reſpeċtu extrinſeci efficientis) non poteſt diſtingui à cauſa formali & intrinſeca quia eſt cauſa, ſeu principium intrinſecum, reſpeċtu Totius: ſic principium extrinſecum, ſeu extrinſecus produċtiuum, ſiue producat vt *quo*, ſiue vt *quod*, ſemper eſt extrinſecum principium, & nunquam coincidere poteſt cum principio intrinſeco & formali, quod eſt quid produċtum; quia inter producens & produċtum ſemper eſt diſtinċtio realis. nam producens ſiue producat vt *quo* ſiue vt *quod*, ſemper habet rationem cauſæ, ſeu principij extrinſeci, aut reducitur ad rationem principij extrinſeci. E contra vero produċtum, ſemper habet rationem effeċtus, ſeu principiati principij ac formæ intrinſecæ; vt optime etiam in Diuinis conuincit Suarius de Trinit. cit. Vnde vera eſt Maxima illa Damaſcuni & Sanċti Thomæ de Trinit. quod *Omne agens, quatenus eſt producens, ſeu generans, ſemper generat ſibi ſimile negatiue, tam in natura, quàm in perſona*; ideſt non diſſimile in perſona,

ar.4.in omnibus reſoluendum & deueniendum eſſe ait, ad primum principium. Sed idem S.Th.art.4.ſuſtinet & probat diſtinctam doctrinam Latinorum, quod Spiritus ſanct' procedat à Patre & Filio, tanquam vnico ordinato, & ſubordinato (ſine imperfectione) principio, ex parte termini *Ad quem.* quia Spiritus ſanctus ex parte termini *Ad quem*, non prius eſt à Patre, quàm à Filio. & quia vbi ſunt plura propter vnum terminum *Ad quem*, ibi eſt vnum tantum ordine, ſeu ſubordinatione; & e contra ibi reſolutio talis relationis eſt ad vnum tandem ordinatum principium negatiuè primum. Vnde Spiritus ſanctus refertur ad Patrem & Filium, tanquam ad vnum ordine principium: non vero ad vnum perſonalitate principium, & hoc ſignificat ly ſimilitudinarium *tanquam*, nō enim duæ perſonę eſſe poſſunt vnum ſimpliciter principium Sabellianum ad intra, quia principium ad intra perſonale eſſe debet. Sed ſunt vnum ordine. & hoc manifeſtat ly *procedere tanquam ab vnico principio*, in Decreto Concilij Floren. quod non ſumitur identicè, vt ly *tanquam Vnigeniti à Patre*: ſed diminutiuę, ſimilitudinarie, ac ordinatè ad vnum principium, quatenus mediata virtus ſpiratiua Filij, ac talis eius proprietas conſtitutiua, reſoluitur tandem in Patrem, tanquam ad ſimpliciter, & negatiuè primum, ſeu principium perſonale immediatum, & anarchicum. Id ipſum ſequitur expreſſe ſubtiliſſimus Doctor Scotus in quodlib.q.8.nedum in primum d.12.art.2. § Reſpondeo Actus &c. Vbi ſibi objicit Scotus, quod nec creatura nec Spiritus S. poteſt bis produci à Patre, & à Filio: ſi ſolus Pater prius origine ſpirat, ac creat, quàm Filius, & nulla alia ratione reſpondet, niſi diſtinguendo terminum *A quo*, & terminum *Ad quem*: ac concludendo, quod ex parte termini *A quo*, datur reſolutio vſque ad ſimpliciter, & negatiuę Primum, ſeu principium perſonale Paternum: quia vbi eſt pluralitas, ibi eſt confuſio, niſi ſit ordo. Vbi vero eſt ordo, ibi eſt principium, & medium producens, ac terminus productus. E contra vero ex parte termini *Ad quem*, quia eſt tantum vnitas termini producti, & in unitate non poteſt eſſe multitudo, neque conſequenter confuſio, neque prius & poſterius, neque principium & medium: ideo ait Scotus immediatè Spiritum ſanctum eſſe à Patre & a Filio, ſicut & creaturas. Non enim prius producuntur creaturæ, à Patre, quàm à Filio, licet è contra ſe res habeat ex parte termini *A quo*. quia in omnibus ſemper deueniendum, ac reſoluendum eſt, vſq; ad ſimpliciter, & negatiuè primum, ſeu immediatum principium ex S.Th.p.p.q 33.a.4. ad 4. Quare idem Scotus in 1.d.12.q.2.concludit Spiritum ſanctum ex parte termini *A quo* difformiter procedere, hoc eſt ex Hieronymo epiſt. 88. proprie procedere à Patre; quia proprietarius in habendo virtutem, non habet eam ab alio: non ſic autem propriè ait quod Spiritus S. procedit à Filio. & Hilarius de Trin. 12. ait Spiritum procedere à Patre per Filium, quia ly *Per* ſignificat ſubauthoritatem ſolam in Filio, cuius fontalis Authoritas, eſt in Patre ex Scoto ibid. & Riccard 6. de Trin. ait quod Spiritus ſanctus a Patre procedit mediatè & immediatè ſimul, hoc eſt per ſe, & per alium, ſeu magis extenſiuè; à Filio autem per ſe tantum, non vero per alium, ſeu minus extenſiuè, & ex Patribus Gręcis probat Scotus, quod Spiritus ſanctus fontaliter, & principialiter eſt à ſolo Patre, excludendo Filium qui ſicut non eſt fons Trinitatis: ſic neq; principium eſſe poteſt *quod*, ſeu immediatum, & ingenitum, ac ſimpliciter & negatiuè Primum. ergo ex Scoto non vniformiter procedit Spiritus ſanctus ex parte perſonalis termini *A quo*. licet vniformiter procedat ex parte termini *Ad quem*. quid ergo magis conſonum cum doctrina S. Thomæ, & Scoti nos cum Patribus Græcis ſentire, & docere poſſumus? Mitto quod *ly procedere à Patre & Filio, tanquam vnico principio*; intelligi poteſt de vnico principio eſſentiali remoto, quod ſolum ſit principium: non autem ſit cauſa (dempta inperfectione) reali habitudine productiua. Et vt ſic procedere eſt impropriè & intranſitiue procedere, & idem valet, quòd conſubſtantialem eſſe, cum Patre & Filio. ex S.Th.p.p.q.41.art.3.ad 2.

ly Tāquam ab vnico principio eſt ſimilitudinarium, non vero eſt identicum.

Inſignis doctrina ſubtiliſſimi Doctoris Scoti.

Digitized by Google

Ars humana eſt vnum, idemque principium cum artifice create, ſed non ita eſt in diuinis.

CAPVT 34.

DIces ſecundò ex S.Th.p.p.q.27.art.1.argum.3. Ars includitur in ratione primi principij. non ſolum enim ædificator eſt principium domus, ſed etiam eius ars. Sed Filius eſt ars Patris, ergo eſt primum & vnum principium cum Patre. Reſpondeo primo cum S.Th.ibi, quod Deus comparatur ad res creatas, vt artifex ad artificiata. Sed exempla ad extra, non valent in omnibus ad intra. Ars enim artificis non ſubſiſtit perſonaliter diſtincta, ſicut artifex, cum ſit accidēs eius. Filius vero perſonaliter ſubſiſtit, ac realiter diſtinguitur à principio perſonali Paterno. Vnde falſa eſt conſequentia. Reſpondeo ſecundo quod Filius non eſt ars ingenita Patris, ſed eſt ars genita, non reſpectu Patris, (qui nil nouit ſapientia genita) ſed reſpectu producibilium quibus Filius eſt ratio, vt concomitanter producantur à Patre, & vt ad Patrem vltimate referantur. Aliud eſt enim quod Filius ſit ratio Patri, vt Pater producat (quod eſt hæreticum) atque aliud eſt quod Filius, ſit ratio Spiritui ſancto vt à Patre procedat & producatur, quod eſt catholicum ex S.Th.p.p.q.36.a.3. corp.

Verè & propriè procedere a Diuina eſſentia vt principio quo, *reali habitudine, productiuo; eſt realiter ab ea diſtingui tam ad intra, quam ad extra & oppoſitum eſt maxima proteruia Aduerſariorum, & deceptio fidelium.*

CAPVT 35.

DIces tertiò procedere ab aliquo *vt quo*, ad intra, nō eſt diſtingui ab illo realiter: quia Filius, ſicut & Spiritus ſanctus procedunt à ſe, ſuaq; eſſentia *vt quo*, & tamen neuter diſtinguitur realiter à ſe ipſo. Reſpondeo primo negando antecedens ex paritate rationis ad extra, ſicut & ad intra. Cur enim ad extra procedere a Diuina eſſentia vt *quo*, noſtro intelligendi modo dicit diſtinctionem realem ab illa: non autem id valet ad intra? Vbi enim eſt eadem ratio, ibi eſt eadem legis, & dogmatis diſpoſitio. At vtrobiq; tam ad intra, quàm ad extra, ponitur eadem realis habitudo, productiua Dei Patris vt *quod*, ac diuinæ eſſentiæ vt *quo*; nam ideo ad extra Diuina eſſentia realiter diſtinguitur *vt quo*, quia, nimirum eſt realiter productiua vt *quo*. ergo ex paritate rationis, idem valet ad intra. Et ratio eſt, quia inter producens & productum, ſiue vt *quo*, ſiue producat vt *quod* ſiue ad intra, ſiue ad extra, ſemper eſt realis diſtinctio. Neq; valet vanum illud effugium, Fauentini, quod ad intra communicatur eadem numero natura diuina: & ideo perſona producta, non poteſt diſtingui realiter ab ipſa diuina natura producente ex vera & reali habitudine vt *quo*. Reſpondeo primo implicare idem produci poſſe à ſe ipſo in ratione principij producentis, & termini producti. Reſpondeo ſecundo impertinens eſſe ad diſtinctionem realem, an producatur ſimile in natura, vel identificatum in natura. Non enim diſtinctio realis oritur ex communicatione vniuoca, ſeu æquiuoca: ſed ex reali productione, ſiue producat vt *quo*, ſiue vt *quod*: Nam inter producens, & productum, ſemper eſt diſtinctio realis, ex quo patet falſum eſſe, ſeu Arianum & ſophiſticum eſſe, ſentire & docere quod Filius, ſeu Spiritus ſanctus procedant à ſe ipſis, ſeu à ſua ipſorum eſſentia vt *quo*, in genere cauſæ (dempta ſemper omni imperfectione) ſeu principij, reali habitudine productiui. vt *quo*. Nàm ex S.Th.p.p.q.32.art.1.corp. & q.34.art.1.ad 1. fuit error Platonicorum, & Arianorum, & originis ponentium primum Ens eſſe Patrem, differentem ſecundum ſubſtantiam à Filio, ſeu Ideali ratione. In quo vel partiebātur impartibilem ipſam diuinam eſſentiam, dum à ſe ipſa vt *quo*, Filium genitum, ſeu Spiritum ſanctum realiter productum ſentiebant: Vel Deum primum ens per eſſentiam, imperſonalem, & conſequenter communicabilem eſſe negabant; ſed perſonalem, & incommunicabilem eſſe ponebant, ſecundum eandem numericam naturam. Et ideo conſequenter, non niſi ſibi ſimile in perſona, ac ſimile in natura, non autem ſibi identificatum in natura numerica producere poſſe bla-

Obiectio falſa.

Diſtinctio realis non oritur ex communicatione naturæ ſed ex principio extrinſeco ipſi termino producto.

Digitized by Google

Nullo modo diuina eſſentia concurrere ſimul poteſt in genere principij extrinſeci productiui, & in genere principij formalis ad ſui conſtitutionē eſſentialem in perſonarum productione.

ſphemabant. Implicat itaq; tam ad intra, quàm ad extra idem numero communicari poſſe in genere principij intrinſeci formalis; quod tamen concurrat ad ſui productionem in genere principij extrinſeci, & productiui, ſemper enim inter producens & productum eſt diſtinctio realis, tam ad intra, quàm ad extra, ſiue producat vt *quo*, ſiue vt *quod*, vt fuſius probat ipſemet Suarius de Trin. lib. 6. cap. 2. num. 8. & oppoſitum eſt maxima deceptio fidelium. Vnde cum S. Th. & Scotus aiunt Diuinas perſonas procedere à diuina eſſentia vt *quo*, id intelligitur in genere intrinſeci principij formalis, quatenus ſunt ſibi ipſis conſubſtantiales, vt ait S. Th. p. p. q. 41. art. 3. ad 2. § *hæc præpoſitio (De) denotat conſubſtantialitatem, nō autem principium actiuum vt ait Magiſter. & ſic dicitur Filius genitus de eſſentia Patris, quatenus eſſentia Patris communicata ſubſiſtit in Filio.*

Filius ſeu Spiritus Sanctus de more græco dicitur principiatus (dempta tamen ſemper omni imperfectione) tam apud Scotum, quam apud Concilium Florentinum.

CAPVT 36. Dices quartò falſo à nobis dici Filium eſſe principiatum, & ideo non poſſe eſſe idem principium cum Patre. Reſpondeo primo me loquutum eſſe de more Concilij, & SS. Patrum Græcorum, ac Scoti. Sicut enim Concilium Florentinū & Græci, ac Scotus dant Filium eſſe cauſatum (dempta ſemper omni imperfectione) ſic etiam dant & concedunt Filium eſſe principiatum, ex S. Th. p. p. q. 33. art. 1. § *Ad 2. dicendum quod apud Græcos inuenitur de Filio, & Spiritu Sancto dici, quod principientur, &c.* Reſpondeo ſecundo quod quoties dico de Filio, quod ſit principiatus, ſtatim id explico dicendo Filius eſt principiatus, hoc eſt, non eſt principium, quia eſſet Pater, ſed eſt à principio; ſicut & Spiritus ſanctus.

In Diuinis dantur plures, qui non ſunt idem perſonaliter Deus Sabellianus: ergo ſunt alius, hoc eſt diſtinctus relatiuè, ſeu adiectiuè, ſeu perſonaliter Deus. Licet omnes ſint vnus, idemque ſubſtātiuè Deus, ſicut ſunt vnus Author ſubſtantiuè, & plures Authores adiectiuè.

CAPVT 37. Dices quintò nos male inferre diſtinctionem Dei adiectiui, ſeu relatiui dum dicimus cum Torres, de Trinit. quod *Hic Deus* oſtenſo Patre, *non eſt Hic Deus, qui eſt Filius*, oſtenſo Filio. Sed eſt alius perſonaliter Deus, ideſt, diſtinctus adiectiuè Deus, ſeu eſt alia Diuina perſona. Reſpondeo negando antecedens. Dupliciter enim dicitur Deus ex S. Th. p. p. q. 39. art. 4. corp. eſſentialiter nimirum, & perſonaliter. Dum ergo Pater non eſt idem perſonaliter Deus Sabellianus cum Filio: rectè ſequitur, quod ſit non idem, ideſt alius perſonaliter Deus, ſeu alia perſona diuina. Si enim non eſt alius perſonaliter Deus; ergo eſt idem perſonaliter Deus Sabellianus. Alietas ergo cadit ſupra perſonam, non vero ſupra Deitatem, in ſenſu catholicorum, ſumendo alietatem, idem eſſe, ac non identitatem, ſed diſtinctionem relatiuam: non vero in ſenſu hæreticorum, reiecto ex S. Th. p. p. q. 31. art. 2. Sicut ergo Pater eſt idem neutraliter cum Filio, non eſt autem idem maſculine: ſic eſt alius non autem aliud. Alius inquam perſonaliter, ideſt diſtinctus Deus perſonaliter. Nam de fide eſt: quod Deus dicitur dupliciter. Valeret autem obiectio, ſi Deus diceretur tantum eſſentialiter. quod eſt falſum ac contra S. Th. p. p. q. 39. a. 4. corp. vbi multipliciter Deum dici ex Sacra Scriptura atteſtatur. In æquiuocis vero non eſt contradictio nec falſitas. vt fuſius dicetur in Sacramento Pœnitentiæ. Confirmatur ex S. Th. p. p. q. 36. art. 4. ad 7. vbi Authorem dupliciter dici atteſtatur, ſubſtantiuè nimirum, & adiectiuè; & Hilarium dicentem Spiritum ſanctum procedere a Patre & à Filio Authoribus, interpretatur ſubſtantiuum ibi accipiendum eſſe adiectiuè, eo quod vnus tantum detur Author ſubſtantiuè, licet plures ſint adiectiuè Authores.

Sicut

Digitized by Google

Sicut Filius non poteſt eſſe primum ſuppoſitum Diuinum: ſic neque eſſe poteſt principium in Trinitate, quod debet eſſe Primum, idem eſt enim Primum, ac Principium, etiam ex ipſo Ariſtotile 1. poſt. 2.

Dices ſextò ex S. Th. p. p. q. 36. art. 4. ad 6. § *Quicquid eſt à Patre, neceſſe eſt eſſe à Filio, niſi proprietati Filij repugnet* (nota bene ly, niſi proprietati Filij repugnet) *non enim Filius eſt à ſe, ſicut Pater. Sed eſſe principium Spiritus ſancti non repugnat Filio, ergo Filius eſt principium.* Reſpondeo negando Minorem. quia ad intra principium, eſſe debet perſonale, ſed Filius neque eſſe poteſt idem cum Patre primum perſonale principium Sabellianum: neque eſſe poteſt ſecundum principium, quia in Deo non poteſt dari duplex principium *quod*, quin detur duplex Deus, & duplex ingenitus, ex S. Th. p. p. q. 33. art. 4. corp. § *Reſpondeo dicendum quod ſicut in creaturis inuenitur principium primum, & principium ſecundum: ſic in diuinis perſonis (in quibus non eſt prius neque poſterius) inuenitur abſolute, principium non de principio; quod eſt Pater: & principium à principio, quod eſt Filius, & Spiritus S.* Vnde S. Th. p. p. q. 32. art. 1. corp. § *Alia eſt ratio principij (nempe Patris) & alia eſt ratio ipſius procedentis à principio, ſeu Filij, & Spiritus S. &c.* CAPVT 38.

Non datur Spirator Notionalis per ſe relatiue ſubſiſtens, ſub diſtincta formalitate, à Patre & Filio & tamen communis vtrique quin ab vtroque realiter diſtinguatur.

Dices ſeptimò Datur ex S. Th. & Scoto Spirator communis vnus Deus: ergo doctrina noſtra eſt contra S. Thomam ac Scotum. Reſpondeo: *Datur amoris eſſentialis ſpirator vnus Deus, dicens naturam diuinam cum proprietate ſpiratiua eſſentiali omnibus tribus:* Concedo antecedens. *Datur amoris notionalis ſpirator, dicens naturam diuinam cum proprietate perſonali, communi duobus, & ab eis formaliter diſtinctus:* Nego antecedens. Non enim habere poteſt proprietatem perſonalem ſpirandi quin ſit relatio ſubſiſtẽs, & conſequenter ſit perſona, ac realiter diſtinguatur, non ſolum à Spiritu ſancto, quatenus eſt ſubſiſtens relatiua formalitas: ſed etiam per eandem formalitatem relatiuam realiter diſtinguatur à relatiua formalitate Patris, & Filij. Relatiua enim ac perſonalis formalitas Patris, & Filij, eſt alia res tranſcendentalis, a realitate trãſcendentali ſpiratoris, quem tu ais eſſe imperſonalem. Confirmatur primo, quia ſi ſpirator ille notionalis eſſet idem realiter cum Patre, & Filio; non autem cum Spiritu ſancto: Vel eſſet idem realiter, realitate abſoluta, & eſſentiali: & vt ſic non eſſet idem realiter cum Spiritu ſancto. Vnde Spiritus ſanctus per te, non erit idem eſſentialis Deus cum Patre, & Filio, ac ſpiratore; ſi ſpirat vt Deus eſſentialis realiter idem cum Patre & Filio, realitate abſoluta, & eſsentiali. quia inter producens, & productum ſemper eſt diſtinctio realis. Vel 2. eſset idem realiter, realitate tranſcẽdentali, relatiua, & imperſonali; & vt ſic neque Pater erit perſonaliter ſpirans, neque Filius. Immo potius Pater & Filius erunt idem realiter realitate relatiua, & conſequenter erunt idem inter ſe in ſubſiſtentia relatiua. quod eſt Sabellianum ac confuſiuum diuinarũ ſubſiſtentiarum ac perſonarum in Deo. Quæ .n. ſunt idem vni Tertio, ſunt idem inter ſe, in eo in quo conueniunt. & identificantur cum illo Tertio. Vnde ſi dicas illud Tertium eſse perſonale, ac productiuum perſonæ Spiritus ſancti, quia actiones ad intra ſunt ſingulariter ſubſiſtentium ſuppoſitorum: tunc ſequetur Patrem & Filium eſse vnam eandemque Sabellianam perſonam. Si vero dicas illud Tertium eſse imperſonale: tunc erit error peior priore, quia Pater & Filius ſpirabunt notionaliter vt imperſonales ſunt, ac relatio Spiritus ſancti non erit ad perſonam Patris, & Filij, qua tales, ſeu perſonales ſunt: ſed qua ſunt imperſonales & imperſonaliter ſubſiſtunt, ſeu ad ſubſiſtentiam eſsentialem & imperſonalem. (non enim datur alia ſubſiſtentiã, niſi perſonalis, & imperſonalis, ſeu eſsentialis) & ſic verum erit dogma Arianum, quod relatio, & diſtinctio realis datur inter eſsentiã, CAPVT 39.

Digitized by Google

ſeu naturam diuinam Patris, ac perſonæ productæ; eo quod oppoſitio relatiua non eſt ad perſonam producentem; ſed ad eſſentiam, vel ſubſiſtentiam eſſentialem, & imperſonalem. Præter quàm quod Pater & Filius ſecundariò, & per accidens negatiuè ſpirabunt, vt ſpirator Deus, abſtrahens à Paternitate & Filiatione: non autem vt Pater ſecundum quod ipſum, ac Filius ſunt ſecundum quod ipſum. Confirmatur ſecundo, quia ſpiratiua relatio ſubſiſtens, ac realiter contradiſtincta à ſpirata relatione Spiritus ſancti ſi per ſe, & ſecundum quod ipſum, non eſſet conſtitutiua perſonæ ſpiratoris, neque conſequenter eſſe poſſet conſtitutiua perſonæ Spiritus ſancti, quia *Nemo dat quod non habet*: & quale eſt principium vniuocum tale eſſe poteſt & terminus. Et ſic neque Spiritus ſanctus erit perſona. Confirmatur tertio, quia relatio diuina per ſe; ſecundũ quod ipſum vt relatio diuina ſubſiſtẽs eſt, deferre debet ſecum, ac conſtituere perſonam, & ſubſtantiam incommunicabilem. Secus vel accideret perſonæ cõſtitutæ: Vel nõ debet per ſe, & ſecundum quod ipſum, vt ſubſiſtens relatio diuina eſt, perſonam conſtituere. Accidit, enim relationi diuinæ & per ſe ſubſiſtenti, vt ſubſequatur perſonam extrinſecam ſibi, non enim per hoc mutat ſuam eſſentiam. Confirmatur quarto ex abſurdis alijs, quia vt ſic Pater & Filius ſpirarent ab illo ſpiratore non autem à ſe, & conſequenter eſſent ab illo, non autem a ſe, quia inter diuinas formalitates eſſe debet ordo originis, & quia operari ſequitur ad eſſe. Nec non ſpirator ille primario, ac per ſe, & ſecundum quod ipſum, eſſet principium à quo alius, ſeu Spiritus ſanctus produceretur: non vero Pater eſſet tale principiũ fontaliter ſpiratiuum. quod ni fallor, eſt pluſquam hæreticum, quia daretur duplex principium, ſecundum quod ipſum, *A quo* alius, nempe principiũ generatiuum in Patre, & principium ſpiratiuum in ſpiratore, formalitate relatiua contradiſtincto à Patre & Filio. Confirmatur quinto, quia ſicut Pater & Filius non poſſunt eſſe vnum realiter, in ſpirando (nam vel eſſent vnum eſſentiale & abſolutum; & ſic Spiritus ſanctus non eſſet illud vnum abſolutum & eſſentiale, neq; eſſet Deus. quod eſt hæreticum. Nam inter producens & productum ſemper eſt diſtinctio realis. Vel eſſent vnum relatiuum & perſonale. quod eſt pluſquam hæreticum, ac deſtructiuum perſonarum Trinitatis, ac Sabellianum:) ita multo minus Pater, Filius, & ſpirator, eſſe poſunt vnum in ſpirando, propter eandem rationem. quia neque eſſe poſſunt vnum eſſentiale, & abſolutum; neque vnum relatiuum & perſonale Sabellianum. Neque valet ſi dicas ſextò ex Caiet. p.p.q. 36. art. 2. quod relatiua ſpiratio diuina facit perſonam in Spiritu ſancto, non autem in Patre & Filio, in quibus facit diſtinctionem in perſonis, non autem diſtinctam perſonam. Ita vt ſpirent ſub diuerſa formalitate Dei ſpiratoris, non vero Dei generantis, ſeu Dei geniti. Non valet; inquam, quia quod per ſe eſt tale ſemper, & vbique eſt tale. Secus ex Aureolo (vt ibidem refert Caiet.) ſi ſpiratiua relatio cõnſtituit perſonaliter Spiritum ſanctum quem diſtinguit etiam perſonaliter. Ergo vnit etiam perſonaliter Patrem & Filium ad ſpirandum, ſi non diſtinguit perſonaliter. quia actiones perſonales ad intra ſunt ſuppoſitorum, ſeu ſubſiſtentium perſonaliter. Secus Pater & Filius non ſpirarent vt perſonæ, ſecundum quod ipſum: ſed vt Deus imperſonalis & ſic dabitur quarto perſonaliter Deus, ſeu quarta perſona Deus.

Pater et Filius in ſpirando nõ poſſunt eſſe vnum realiter. neque realitate abſoluta, neque realitate relatiua.

Dices octauò ex S. Th. p.p.q. 35. art. corp. § *Spiritus ſanctus non refertur ad Patrem immediate, niſi per Filium, quia non eſt imago Patris, ſicuti eſt Filius*. ergo immediate refertur ad ſpiratorem Deum & ſic dabitur quarta formalitas, ac veritas, Dei ſpiratoris, imperſonaliter ſubſiſtentis, contra diſtinctam formalitatem & realitatem Dei eſſẽtialis, ac imperſonalis, imperſonaliter præintellecti ante diuinas perſonas. Reſpondeo relationem non ſolum dari tanquam genitæ imaginis naturalis ad prototypum imaginantem, vt ſic dicam, ſed etiam dari relationem principiati diuini Amoris notionalis ad principiantem Deum amantem, ſeu Patrem amantem. Non ſolum enim Pater eſt intelligens Deus: ſed etiam eſt Pater Amans Deus.

In

In Deo omnia ſunt vnum, non intelligitur de diſparatis, neq; de tranſcendentalibus; neque de formalitatibus.

DIces nonò ex S. Th. p. p. q. 39. art. 4 Omnia in Deo ſunt vnum, vbi non obuiat relationis oppoſitio: ſed Pater & Filius in ſpirando, ſicut in creando ſeu principiando non opponuntur. ergo ſunt vnum principium ad intra; ſicut & ad extra. Reſpondeo ad Maiorem: *Omnia in Deo ſunt vnum realiter*, vbi non obuiat relatio, Concedo. *Sunt vnum formaliter*, Nego. nam Iuſtitia & ſapientia, ſeu miſericordia in Deo non opponuntur relatiuè, & ſunt vnum eminenter, & realiter; non tamen ſunt vnum formaliter. Sufficit autem in Diuinis, & infinitis diſtinctio formalis; quæ idem operatur, ac diſtinctio realis. Pater ergo & Filius, vt tales ſunt ſemper relatiue opponuntur, licet diſparate opponantur ſuis perſonalibus proprietatibus conſtitutiuis hypoſtatice. Pater enim conſtituitur ſua perſonalitate ingenita vt primum eſt, ſeu principium aliorum. Filius vero conſtituitur ſua perſonalitate, vt ſecunda eſt hypoſtaſis ab vno. Spiritus ſanctus autem vt eſt tertia hypoſtaſis à duobus exiſtens & vt ſic alius, hoc eſt diſtinctus perſonaliter Deus Creator, eſt Pater; atq; alius, ſeu diſtinctus perſonaliter ſpirator eſt Deus Pater, dum creat, ſeu ſpirat, vt Pater: atq; alius, ſeu non eſt idem, ſed diſtinctus perſonaliter ſpirator eſt Deus Filius, vt fuſius Torres docet de Trin. hic, & q. 39. art. 4. Quod ſi dicas quod opera Trinitatis ad extra ſunt indiuiſa, & Pater ſeu Filius non creant primaria denominatione vt Pater eſt, ſeu Filius Deus perſonalis & adiectiuè; ſed vt Deus imperſonalis eſt, atq; eſſentialis, & ſubſtantiuè: & ideo ſunt vnus, idemq; Creator Deus eſsentialis. Sic in ſpirando Pater & Filius non ſpirant ſecundum quod ipſum, vt Pater, & Filius perſonaliter ſpirator Deus, ſed vt imperſonalis ſpirator Deus eſsentialis. Reſpondeo falſam eſse paritatem multipliciter. Primò, quia ad extra verũ eſt, quod opera Trinitatis ſunt indiuiſa, Deus enim creat primaria denominatione vt vnus eſt, atque eſsentialis, & imperſonalis Deus eſt; præ intellectus ipſis diuinis perſonis ex S. Th p. p. q. 32. a. 1. corp. & q. 45. art. 6. corp. & Scoto in 1. d. 12 E contra vero ad intra Deus operatur primaria denominatione vt Trinus eſt, ſeu perſonalis, ac diſtinctus in perſonis eſt. Et ideo principium ad extra, eſsentiale & commune eſse debet omnibus tribus illis beatis perſonis: e contra vero principium ad intra, perſonale eſse debet. Duæ vero perſonæ realiter diſtinctæ, non poſsunt eſse vnum, idemque, niſi Sabellianum principiũ perſonale. Secundò, falſa eſt illa paritas quia Deus dicitur dupliciter, eſsentialiter, ſeu imperſonaliter, & ſubſtantiuè: ac perſonaliter, & adiectiuè, ex S. Th. p. p. q. 39. art. 4 in Deo enim nihil aliud eſt, niſi perſona ſeu relatio, & eſsentia. Si ergo Pater & Filius non ſpirant qua formaliter ſunt per ſe tales, ſeu perſonaliter Deus; tunc neceſsario ſpirabunt conſequenter, vt imperſonales ſunt, ſeu vt ſunt ſubſtantiue ſpirator Deus imperſonalis, & eſsentialis. Et vt ſic perſona producta, ſeu ſpirata, non erit Deus ille eſsentialis, à quo per te productus eſt Spiritus ſanctus. quia inter producens & productum ſemper eſt diſtinctio realis. Reſpondeo nunc ad Minorem illam *Pater & Filius in creando, ſeu ſpirando, ſeu principiando non opponuntur*. Reſpondeo Non opponuntur in principiando eſsentialiter. Cócedo. In principiando perſonaliter. Nego, *Vel non opponuntur quatenus vltima denominatione creant*. Id falsũ, & hæreticum eſt, quia ex Torres de Trinit. Hic creator Deus oſtenſo Patre: non eſt hic Creator Deus oſtenſo Filio, ſeu qui eſt Filius. quia Creator perſonalis, realiter contradiſtinguitur, ac opponitur relatiue alteri Creatori perſonaliter Deo. Secus ambo eſſent vnus, idemq; perſonaliter Creator Deus. quæ eſt hæreſis Sabelliana. Ita dicendum de perſonaliter ſpiratore Deo, quod realiter contradiſtinguatur ab alio perſonaliter ſpiratore Deo: ſecus eſsent vnus, idemq; perſonaliter ſpirator Deus. quod eſt Sabellianum. ſicut autem non valet paritas ab eſsentiali Creatore inferre vnitatem perſonalis Creatoris: ſic neq; valet ab eſsentiali vnitate ſpiratoris, inferre vnitatem ſpiratoris perſonalis.

CAPVT 39.

Falſiſſima eſt illa paritas, ſicut in eſſẽtialibus Pater & Filius ſunt vnus idemque Creator Deus: ſic in notionalibus, ſeu perſonalibus ſunt vnus idemque perſonaliter ſpirator Deus.

Neque

Digitized by Google

ſeu naturam diuinam Patris, ac perſonæ productæ; eo quod oppoſitio relatiua non eſt ad perſonam producentem; ſed ad eſſentiam, vel ſubſiſtentiam eſſentialem, & imperſonalem. Præter quàm quod Pater & Filius ſecundariò, & per accidens negatiuè ſpirabunt, vt ſpirator Deus, abſtrahens à Paternitate & Filiatione: non autem vt Pater ſecundum quod ipſum, ac Filius ſunt ſecundum quod ipſum. Confirmatur ſecundo. quia ſpiratiua relatio ſubſiſtens, ac realiter contradiſtincta à ſpirata relatione Spiritus ſancti ſi per ſe, & ſecundum quod ipſum, non eſſet conſtitutiua perſonæ ſpiratoris, neque conſequenter eſſe poſſet conſtitutiua perſonæ Spiritus ſancti, quia *Nemo dat quod non habet*: & quale eſt principium vniuocum tale eſſe poteſt & terminus. Et ſic neque Spiritus ſanctus erit perſona. Confirmatur tertio, quia relatio diuina per ſe; ſecundũ quod ipſum vt relatio diuina ſubſiſtẽs eſt, deferre debet ſecum, ac conſtituere perſonam, & ſubſtantiam incommunicabilem. Secus vel accideret perſonæ cõſtitutæ: Vel nõ debet per ſe, & ſecundum quod ipſum, vt ſubſiſtens relatio diuina eſt, perſonam conſtituere. Accidit, enim relationi diuinæ & per ſe ſubſiſtenti, vt ſubſequatur perſonam extrinſecam ſibi, non enim per hoc mutat ſuam eſſentiam. Confirmatur quarto ex abſurdis alijs, quia vt ſic Pater & Filius ſpirarent ab illo ſpiratore non autem à ſe, & conſequenter eſſent ab illo, non autem a ſe, quia inter diuinas formalitates eſſe debet ordo originis, & quia operari ſequitur ad eſſe. Nec non ſpirator ille primario, ac per ſe, & ſecundum quod ipſum, eſſet principium à quo alius, ſeu Spiritus ſanctus produceretur: non vero Pater eſſet tale principiũ fontaliter ſpiratiuum. quod ni fallor, eſt pluſquam hæreticum, quia daretur duplex principium, ſecundum quod ipſum, *A quo* alius, nempe principiũ generatiuum in Patre, & principium ſpiratiuum in ſpiratore, formalitate relatiua contradiſtincto à Patre & Filio. Confirmatur quinto, quia ſicut Pater & Filius non poſſunt eſſe vnum realiter, in ſpirando (nam vel eſſent vnum eſſentiale & abſolutum; & ſic Spiritus ſanctus non eſſet illud vnum abſolutum & eſſentiale, neq; eſſet Deus. quod eſt hæreticum. Nam inter producens & productum ſemper eſt diſtinctio realis. Vel eſſent vnum relatiuum & perſonale. quod eſt pluſquam hæreticum, ac deſtructiuum perſonarum Trinitatis, ac Sabellianum:) ita multo minus Pater, Filius, & ſpirator, eſſe poſſunt vnum in ſpirando, propter eandem rationem. quia neque eſſe poſſunt vnum eſſentiale, & abſolutum; neque vnum relatiuum & perſonale Sabellianum. Neque valet ſi dicas ſextò ex Caiet. p.p.q. 36. art. 2. quod relatiua ſpiratio diuina facit perſonam in Spiritu ſancto, non autem in Patre & Filio, in quibus facit diſtinctionem in perſonis, non autem diſtinctam perſonam. Ita vt ſpirent ſub diuerſa formalitate Dei ſpiratoris, non vero Dei generantis, ſeu Dei geniti. Non valet; inquam, quia quod per ſe eſt tale, ſemper, & vbique eſt tale. Secus ex Aureolo (vt ibidem refert Caiet.) ſi ſpiratiua relatio cõſtituit perſonaliter Spiritum ſanctum quem diſtinguit etiam perſonaliter. Ergo vnit etiam perſonaliter Patrem & Filium ad ſpirandum, ſi non diſtinguit perſonaliter. quia actiones perſonales ad intra ſunt ſuppoſitorum, ſeu ſubſiſtentium perſonaliter, Secus Pater & Filius non ſpirarent vt perſonæ, ſecundum quod ipſum: ſed vt Deus imperſonalis & ſic dabitur quarto perſonaliter Deus, ſeu quarta perſona Deus.

Pater et Filius in ſpirando nõ poſſunt eſſe vnum realiter. neque realitate abſoluta, neque realitate relatiua.

Dices octauò ex S. Th. p.p.q. 35. art. corp. § *Spiritus ſanctus non refertur ad Patrem immediate, niſi per Filium, quia non eſt imago Patris, ſicut eſt Filius*. ergo immediate refertur ad ſpiratorem Deum & ſic dabitur quarta formalitas, ac veritas, Dei ſpiratoris, imperſonaliter ſubſiſtentis, contra diſtinctam formalitatem & realitatem Dei eſſẽtialis, ac imperſonalis, imperſonaliter præintellecti ante diuinas perſonas. Reſpondeo relationem non ſolum dari tanquam genitæ imaginis naturalis ad prototypum imaginantem, vt ſic dicam, ſed etiam dari relationem principiati diuini Amoris notionalis ad principiantem Deum amantem, ſeu Patrem amantem. Non ſolum enim Pater eſt intelligens Deus: ſed etiam eſt Pater Amans Deus.

Digitized by Google

In Deo omnia ſunt vnum, non intelligitur de diſparatis, neq; de tranſcendentalibus; neque de formalitatibus.

CAPVT 39.

Dices nonò ex S. Th. p. p. q. 39. art. 4 Omnia in Deo ſunt vnum, vbi non obuiat relationis oppoſitio: ſed Pater & Filius in ſpirando, ſicut in creando ſeu principiando non opponuntur. ergo ſunt vnum principium ad intra; ſicut & ad extra. Reſpondeo ad Maiorem: *Omnia in Deo ſunt vnum realiter*, vbi non obuiat relatio, Concedo. *Sunt vnum formaliter*, Nego. nam Iuſtitia & ſapientia, ſeu miſericordia in Deo non opponuntur relatiuè, & ſunt vnum eminenter, & realiter; non tamen ſunt vnum formaliter. Sufficit autem in Diuinis, & infinitis diſtinctio formalis; quæ idem operatur, ac diſtinctio realis. Pater ergo & Filius, vt tales ſunt ſemper relatiue opponuntur, licet diſparate opponantur ſuis perſonalibus proprietatibus conſtitutiuis hypoſtatice. Pater enim conſtituitur ſua perſonalitate ingenita vt primum eſt, ſeu principium aliorum. Filius vero conſtituitur ſua perſonalitate, vt ſecunda eſt hypoſtaſis ab vno. Spiritus ſanctus autem vt eſt tertia hypoſtaſis, à duobus exiſtens & vt ſic alius. hoc eſt diſtinctus perſonaliter Deus Creator, eſt Pater; atq; alius, ſeu diſtinctus perſonaliter ſpirator eſt Deus Pater, dum creat, ſeu ſpirat, vt Pater: atq; alius, ſeu non eſt idem, ſed diſtinctus perſonaliter ſpirator eſt Deus Filius, vt fuſius Torres docet de Trin. hic, & q. 39. art. 4. Quod ſi dicas quod opera Trinitatis ad extra ſunt indiuiſa, & Pater ſeu Filius non creant primaria denominatione vt Pater eſt, ſeu Filius Deus perſonalis & adiectiuè: ſed vt Deus imperſonalis eſt, atq; eſſentialis, & ſubſtantiuè: & ideo ſunt vnus, idemq; Creator Deus eſſentialis. Sic in ſpirando Pater & Filius non ſpirant ſecundum quod ipſum, vt Pater, & Filius perſonaliter ſpirator Deus, ſed vt imperſonalis ſpirator Deus eſſentialis. Reſpondeo falſam eſſe paritatem multipliciter. Primò, quia ad extra verū eſt, quod opera Trinitatis ſunt indiuiſa; Deus enim creat primaria denominatione vt vnus eſt, atque eſſentialis, & imperſonalis Deus eſt; præ intellectus ipſis diuinis perſonis ex S. Th p. p. q. 32. a. 1. corp. & q. 45. art. 6. corp. & Scoto in 1. d. 12 E contra vero ad intra Deus operatur primaria denominatione vt Trinus eſt, ſeu perſonalis, ac diſtinctus in perſonis eſt. Et ideo principium ad extra, eſſentiale & commune eſſe debet omnibus tribus illis beatis perſonis: e contra vero principium ad intra, perſonale eſſe debet. Duæ vero perſonæ realiter diſtinctæ non poſſunt eſſe vnum, idemque, niſi Sabellianum principiū perſonale. Secundò, falſa eſt illa paritas: quia Deus dicitur dupliciter, eſſentialiter, ſeu imperſonaliter, & ſubſtantiuè: ac perſonaliter, & adiectiuè, ex S. Th. p. p. q. 39. art. 4. in Deo enim nihil aliud eſt, niſi perſona ſeu relatio, & eſſentia. Si ergo Pater & Filius non ſpirant qua formaliter ſunt per ſe tales, ſeu perſonaliter Deus; tunc neceſſario ſpirabunt conſequenter, vt imperſonales ſunt, ſeu vt ſunt ſubſtantiue ſpirator Deus imperſonalis, & eſſentialis. Et vt ſic perſona producta, ſeu ſpirata, non erit Deus ille eſſentialis, à quo per te productus eſt Spiritus ſanctus. quia inter producens & productum ſemper eſt diſtinctio realis. Reſpondeo nunc ad Minorem illam *Pater & Filius in creando, ſeu ſpirando, ſeu principiando non opponuntur*. Reſpondeo Non opponuntur in principiando eſſentialiter. Cōcedo. In principiando perſonaliter. Nego, *Vel non opponuntur quatenus vltima denominatione creant*. Id falſū, & hæreticum eſt, quia ex Torres de Trinit. Hic creator Deus oſtenſo Patre: non eſt hic Creator Deus oſtenſo Filio, ſeu qui eſt Filius. quia Creator perſonalis, realiter contradiſtinguitur, ac opponitur relatiue alteri Creatori perſonaliter Deo. Secus ambo eſſent vnus, idemq; perſonaliter Creator Deus. quæ eſt hæreſis Sabelliana. Ita dicendum de perſonaliter ſpiratore Deo, quod realiter contradiſtinguatur ab alio perſonaliter ſpiratore Deo: ſecus eſſent vnus, idemq; perſonaliter ſpirator Deus. quod eſt Sabellianum. ſicut autem non valet paritas ab eſſentiali Creatore inferre vnitatem perſonalis Creatoris: ſic neq; valet ab eſſentiali vnitate ſpiratoris, inferre vnitatem ſpiratoris perſonalis.

Falſiſſima eſt illa paritas, ſicut in eſſētialibus Pater & *Filius ſunt vnus idemque Creator Deus: ſic in notionalibus, ſeu perſonalibus ſunt vnus idemque perſonaliter ſpirator Deus.*

Neque

Digitized by Google

CAPVT 40. Neque valet illa fuga Fauentini, & Becani, ſeu Suarij, quòd Pater, ſeu Filius ſpirant, vt vnus, idemque Deus imperſonalis. quia id Arianum eſt, ſeu Platonicum, ex S. Th. p. p. q. 32. art. 1. corp. Ponebat enim Plato, Arius & Origenes Primum ens eſſe Patrem, generantem ſuum Idealem Filium diuerſæ ſubſtantiæ, ſeu partitæ ſubſtantiæ; & multo magis id ſentiebant de Spiritu ſancto, ſi tamen Spiritum ſanctum cognouerunt. Mitto quod eſt contra Sacram Scripturã ſentire & docere, quod Pater & Filius non ſpirent ſecundum quod ipſum, qua tales ſunt. cum tamen dicatur Io. 16. *Spiritus Veritatis, qui à Patre procedit & quem mittet Pater in nomine meo* manifeſtando, quod eſt nomen Filij & Verbi. Vnde eſt verum, & de fide in omni rigore ſenſus literalis, quod Spiritus ſanctus procedit à Patre vt Pater eſt, non autem à Patre, qua non eſt Pater in diuinis, ſeu vniuerſale principium realiter relatum ad quodlibet, ſine vlla imperfectione principiatum ad intra. Vnde S. Th. p. p. q. 28. articulo 1. argu 3. § *Relatio paternitatis, eſt relatio principij*. & quæſt. 33. articulo 4. ad 1. § *Pater importat principium aliorum, ſeu vniuerſalem Authoritatem, & fontalem plenitudinem. fontalitas vero & Authòritas nihil aliud dicit in diuinis, niſi principium originis, &c.* Non ergo eſt idem in diuinis Pater & Genitor, ſicut eſt in humanis. (& ideo non valet Baptiſma in nomine Genitoris & geniti; ſicut valet in nomine Patris, & Philij, per Antonomaſiam ſic dicti, quaſi Amantis Philij, ex etymologia græca. quia non ſolum Filius eſt genitus ſed etiam eſt Amans per antonomaſiam, ideſt ſpirans Filius. quod obiter ſit dictum. Mitto ſecundo quod licet Pater, & Filius ac Spiritus ſanctus ſimul ſint vnus, idemq; ſpirator eſſentialis amoris, erga ſe ipſos ac diuinam eſſentiam, & creaturas: non tamen ſequitur quod inter ſe ipſos ſint vnum, idemque formaliter ad intra. Formalitas ergo ſpiratoris Dei notionalis, realiter cõtradiſtincta à formalitatẽ Spiritus eſt alia à formalitate ſpiratoris Dei eſſentialis, & cõis omnibus tribus. Vnde ſemper formalitates ipſæ contradiſtiguũtur formaliter: idemque operantur, ac ſi eſſent realiter contradiſtinctæ. Mitto tertio quod ex eo quod aliqua non opponantur relatiuè, non ſequitur formaliter, quod ſint vnum in diuinis, nam perſonæ in diuinis ſunt, & ſignificant ſubſtantiam ipſam primam, ſeu hypoſtaticam identificatam cum eſſentia diuina quæ non ſolũ dicitur ad ſe: ſed etiã vt perſona eſt, eſt etiam fundamentum relationis, & definitur definitione abſoluta vt ſubſtantia eſt, non vt perſona eſt ex S. Th. p. p. q. 29. art. 1. § *Perſona eſt rationalis ſeu intellectualis natura indiuidua, ſeu diſtincta. ſeu incommunicabilis ſubſtantia*: Perſona enim eſt perſonati abſoluti (vt hypoſtaſis eſt) perſona, etiam in diuinis: non vero perſona eſt ſui correlatiui diuini perſona. Cui vero non competit definitio relationis, neque ipſum definitum. Vnde non placet ibi Caietanus (pace tanti Viri) Conſtituuntur autem ex Scoto diuinæ perſonæ abſolutis tranſcendentaliter proprietatibus perſonalibus & hypoſtaticis; referuntur vero relatione paternitatis, ſeu Filiationis, ſeu proceſſionis. Vnde S. Th. p. p. q. 29. art. 4 ad 1. § *Perſona dicitur ad ſe, non ad alterum, quia ſignificat relationem, non formaliter per modum relationis; ſed per modum ſubſtantiæ. quæ eſt hypoſtaſis (fundamentum relationis) & ſecundum hoc Auguſtinus dicit, quod perſona ſignificat eſſentiam, prout in Deo, eſt idem cum hypoſtaſi. quia in Deo non differt* quod eſt, & quo eſt, &c. Eſſentia ergo diuina eſt idem cum hypoſtaſi; non autem eſt idem formaliter qđ relatio, quia Diuina eſſentia per ſe ſubſiſtit, & dat alijs ſubſiſtere: non autem refertur ad ſuum oppoſitum. Ergo aliud ratione eſt perſona & hypoſtaſis: atq; aliud ratione eſt Relatio in diuinis. licet vtrumque eminenter ſit in diuina perſona, quę ſimpliciſſima res, vtrumq; eſt eminenter. Perſonæ itaq; diuinæ vt hypoſtaſes, licet relatiuè non opponantur: non tamen hinc ſequitur, quod omnes ſunt vna eademque perſona, quia ad diſtinctionem ſufficit oppoſitio diſparata hæcceitatum Scoti; per quas hoc, non eſt illud; & quodlibet conſtitutiuũ intrinſece, eſt diſtinctiuum & incompoſſibile cum alio. Sic etiam illa ſex Tranſcendentalia, quæ abſtrahunt à relatiuo & abſoluto REVBAV non ſunt vnum in Diuinis perſonis. nam id Sabellianum eſſet. Et hac de cauſa S. Th. p. p. q. 29. art. 3. corp. ait § *Perſona ſignificat id* quod

Non eſt idem in Diuinis Pater quod eſt Genitor in humanis.

Perſonæ diuinæ non opponuntur; neq; tamen per hoc ſunt vnum.

Aliud ratione eſt perſona atq; aliud eſt relatio

Digitized by Google

quod eſt perfectiſſimum in tota natura, ideſt ſubſiſtens in natura rationali, ſeu intellectuali. Vnde cum omne illud quod eſt perfectionis Deo ſit attribuendum, eo quod eius eſſentia continet in ſe omnem perfectionem, conueniens eſt, vt hoc nomen perſona de Deo dicatur, &c. non eſt autem ipſa relatio perfectiſſimum, quod ſit in Deo, ſed ipſa perſona eſt perfectiſſimum ex S. Th. ergo aliud ratione eſt perſona, quæ dicitur ad ſe, tanquam ſubſtantia prima: atq; aliud ratione eſt relatio, quæ eſt ad aliud, ac præſupponit ſuum fundamentum, & perſonam.

Spirator Deus vnus, ſi datur: perſona eſſe debet: vt perſonam producere poſſit.

DIces decimò Spirator ille Deus ideo eſt communicabilis pluribus, quia eſt impersonalis ex Becano de Trin. cap. 6. q. 5. & tamen, neque eſt Deus eſſentialiter; neq; eſt Deus perſonaliter. Reſpondeo primo id erroneum eſſe in fide (pace tanti Viri) ac ex diametro pugnare cum Catholica doctrina S. Thomæ p. p. q. 39. ar. 4. Dupliciter enim dicitur Deus, nempe eſſentialiter, vt præ intellectus diuinis perſonis ex iiio Pſal. *Redemiſti nos Domine Deus veritatis.* ac perſonaliter vt ly *Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum, de Deo vero.* Vnde non datur alius Deus Becanicus, qui neque ſit perſonaliter Deus, neque ſit eſſentialiter Deus, communis omnibus ſimul tribus perſonis. Reſpondeo ſecundo implicare quod detur Deus communis duobus & non tribus ſuppoſitis diuinis; quia in Deo nihil aliud eſt niſi eſſentiale commune tribus; & perſonale, vnius tantum perſonæ proprium, tam ex Scoto de Trin. quàm ex S. Thoma. Reſpondeo tertio implicare id quod eſt imperſonale, quatenus tale ſeu ſecundum quod ipſum, producere poſſe perſonam. quia *Nemo dat productiue vniuoce quod non habet in ſe.* At diuina eſſentia, ſeu Attributum eſſentiale non poteſt eſſe cauſa, ſeu reali habitudine productiuum principium ex ſuppoſitionibus & Concluſionibus præcedentibus. Reſpondeo quarto quod actiones tranſitiuæ ad intra ſunt ſuppoſitorum. Vnde eo ipſo quod ſpirator ille Deus notionalis ponitur eſſe productiuus perſonæ, conſequenter ex neceſſaria deductione ponitur eſſe quarta perſona incommunicabilis. quia Actiones ad intra ſunt ſingularium, per ſe ſubſiſtentium ſuppoſitorum. Reſpondeo quinto Arianum eſse, ſentire & docere quod imperſonalis Deus vniuoce poſſit communicare ſe ipſum producendo perſonam. quia ſimul cōcurreret in genere cauſæ (dempta imperfectione) ſeu intrinſeci principij formalis, ac efficientis, ſeu producentis extrinſeci principij. Cum tamen inter producens & productum ſemper ſit diſtinctio realis. Vel ergo impartibilis eſſentia ſpiratoris Dei imperſonalis & eſſentialis cum Ario diuidetur; Vel idem Deus ſpirator imperſonalis & eſsentialis erit producens & productum; quia in Deo imperſonali idem eſt *quo* & *quod* ex S. Th. p. p. q. 29. art. 4. ad 1. non enim in Deo eſsentiali, ſeu imperſonali, eſt illa diſtinctio formalis *quo*, & *quod*, quæ datur in Deo perſonali. CAPVT 41.

Inſolubilia ſunt argumenta Sancti Thomæ pro Græcis.

DIces vndecimò ex S. Th. p. p. q 36. art. 4. argumento primo Spiritus S. non procedit à Patre, & Filio, vt ſunt vnum in natura, quia vt ſic etiam Spiritus ſanctus procederet à ſe ipſo, ſicut eſt vnum in natura cum Patre & Filio: neq; ab eis procedit, vt eſt vnum in aliqua proprietate perſonali, quia vna proprietas non poteſt eſse conſtitutiua plurium ſuppoſitorum; neque vt ſunt vnum in ſuppoſito. quia id Sabellianum eſt. ergo Pater & Filius nullo modo ſunt vnum, idemque principium Spiritus ſancti. Reſpondeo hoc argumentum S. Thomæ eſse reuera inſolubile. At dici poteſt eſse vnum ordine principium ſeu ſubordinatione, (ſine tamen imperfectione) & ideo potius eſse tanquam vnum principium, ſimilitudinarie; non vero eſse vnum ſimpliciter principium. Vna enim numero proprietas perſonalis, non poteſt eſse in duobus ſuppoſitis: ſecus formaliter conſtitueret duo ſuppoſita, quod eſt impoſſibile. CAPVT 42.

Digitized by Google

QVÆSTIVNCVLÆ

Circa Proceſſionem Spiritus Sancti, in qua gratis & falſo accuſatur ac cenſuratur hæreſeos Eccleſia Græca, ſeu Patriarcha CYRILLVS Conſtantinopolitanus in orthodoxo ſenſu explicato. In gratiam Excellentiæ Illuſtriſſimæ Procuratoris Sancti Marci FRANCISCI MAVROCENI, ac Procuratoris SEBASTIANI VENIERII, ac Excellentiæ Illuſtriſſimæ Senatoris DOMINICI MOLINA Studij Patauenſis Trium Viri Digniſſimi, ac Senatoris IOANNIS BACEDONA, ac Aloyſij BACEDONA Protectorum ac benefactorum ſingularium. Paradoxum opus, à nullo vel quàm Maximo Italiæ Theologo hucuſq; demonſtratum.

AVCTORE

IOANNE BAPTISTA CATVMSYRITO,

Italogræco Rhegyno *Epilogus Totius Quæſtionis.*

CAPVT I.

Hæreſis Arij in vna littera conſiſtebat. Admittebat enim Homouſion, idem ſimilem naturam, ſed negabat Homouſion, ideſt identificatam naturam.

VIſum eſt hucuſq; quòd tota Ariana hæreſis fundata fuit in illa, ex creatis ad increata, male translata Maxima Philoſophica, *Omne agens (quatenus producens, ſeu generans,) generat ſibi ſimile, tam in perſona, quàm in natura*, quæ Maxima eſt falſa, & erronea in fide, ſeu Hæretica in Diuinis, niſi ſano modo intelligatur ad mentem Sancti Thomæ. nimirum *Generans generat, ſibi ſimile negatiuè*, tam in natura, quàm in perſona, ideſt non diſſimile in natura, neq; in perſona. Si enim intelligatur de ſimili æquiuoco ideſt de ſimili identificato in natura, & identificato in ſupponto, ſeu perſona diuina, id præter quam quod eſt æquiuocum, nam ſimile realiter diſtinguitur ab identificato, præterea dupliciter eſt erroneum in fide. Primo quia Sabellianum eſt, ſi intelligatur de identificata perſona. Magis enim, ac minus ſimile non variat ſpeciem, neq; facit idē. Nec non quia ſecundo Arianum eſt, ſi intelligatur de natura impartibili, & indiuiſibili, quam tamen contradictorie Arius partiebatur & diuidebat dum diuinam naturam, ſeu eſſentiam, ſeu Deitatem generare, ſeu ſpirare vt *quo* docebat, ideſt vt principio extrinſeco, ſeu productiuo; quod nunquam coincidere poteſt cum principio intrinſeco & formali. Sicut enim effectus formalis, qui dicitur effectus reſpectu extrinſeci efficientis) non poteſt diſtingui à cauſa formali & intrinſeca quia eſt cauſa, ſeu principium intrinſecum, reſpectu Totius: ſic principium extrinſecum, ſeu extrinſecus productiuum, ſiue producat vt *quo*, ſiue vt *quod*, ſemper eſt extrinſecum principium, & nunquam coincidere poteſt cum principio intrinſeco & formali, quod eſt quid productum; quia inter producens & productum ſemper eſt diſtinctio realis. nam producens ſiue producat vt *quo* ſiue vt *quod*, ſemper habet rationem cauſæ, ſeu principij extrinſeci, aut reducitur ad rationem principij extrinſeci. E contra vero productum, ſemper habet rationem effectus, ſeu principiati principij ac formæ intrinſecæ; vt optime etiam in Diuinis conuincit Suarius de Trinit. cit. Vnde vera eſt Maxima illa Damaſcuni & Sancti Thomæ de Trinit. quod *Omne agens, quatenus eſt producens, ſeu generans, ſemper generat ſibi ſimile negatiue, tam in natura, quàm in perſona*; ideſt non diſſimile in perſona,

neq; diſſimile in natura. Non poteſt autem vniuerſaliter & vniuoce tam in diuinis, quam in creatis poſitiuè intelligi Maxima illa. neq; vniuerſaliter æquiuocè, quia ſicut Deus non poteſt generare ſibi ſimile in perſona, ideſt identificatum in perſona (quod eſt ſimile æquiuocum) ſic neq; generare poteſt ſimile ideſt identificatum in natura. Nam primo inter producens & productum ſemper eſt diſtinctio realis. Secundo, quia Diuina natura ſicut non eſt generans neq; vt *quo*, neq; vt *quod*, ſic multo minus genita eſſe poteſt ſeu producta, neq; vt *quo*, neq; vt *quod*, licet communicari ſolum poſſit. Confirmatur, quia in Deo eſſentiali, ſeu in hac Diuina eſſentia per ſe ſubſiſtente, non eſt *quo*, & *quod*, perſonale realiter diſtinctum à qualibet perſona, ſicut eſt in Deo perſonali. Vnde nihil diſtingui poteſt vt *quo*, ab hac diuina natura ſeu eſſentia ſeu Deitate, quin diſtinguatur à Deo eſſentiali vt *quod*. & nihil ad intra, ſeu extra produci ſeu generari, ſeu ſpirari poteſt ab hac diuina natura ſeu eſſentia vt *quo*, quin illud idem producatur tam ad intra, quam ad extra ab hoc eſſentiali Deo, vt *quod*. Et ideo quando S. Th. de Trin. ait quod Pater generat, ſeu ſpirat vt *quod*, ſed Deitate, ſeu diuina eſſentia vt *quo*, id intellexit S. Thomas in genere principij formalis & intrinſeci, ſuppoſitum enim productum dicit Totum (noſtro concipiendi modo) cōſiſtens ex perſona & diuinitate. Inquo ſenſu catholice loquutus eſt S. Th. neq; trahendus eſt, etiam inuitus, ad erroneum ſenſum principij eſtrinſeci.

CAPVT 2. Vnde non valet illa aliquorum Thomiſtarum diſtinctio, *Interproducens & quod, & productum, vt quod, eſt diſtinctio realis: Concedo. Sed inter producens vt quo, ſeu inter diuinam eſſentiam generantem, ſeu ſpirantem vt quo proximè, & inter genitum, ſeu ſpiritum, vt quod, eſt diſtinctio realis. Nego antecedens.* Non valet inquam, quia ſemper ipſum producens, ſiue vt *quod* producat, ſiue vt *quo*, eſt principium extrinſecè productiuum, ſecus principium extrinſecum, ſeu producens produceret ſe ipſum intrinſecè, quod implicat contradictionem. Neque contrarium intellexit S. Thomas. Quando ergo S. Thomas de Trinit. ait quod *Pater non generat Paternitate, quia generaret Patrem; ſed generat Deitate, quia generat Deū*, id intellexit de paternitate principio formali & intrinſeco, non aūt de extrinſeco principio ꝓductiuo, ſiue vt *quo*, ſiue vt *quod* Et hic eſt germanus ſenſus S. Thomæ. Semper enim principium *quo* reducendum eſt ad proportionatum ſuum principium *quod*, nimirum principium *quo*, actiuum, reducitur ad ſuum principium *quod* actiuum: & principium *quo*, paſſiuum reducitur ad ſuū principium *quod*, paſſiuum. Ideo ergo ex S. Thoma Pater paternitate generat in genere productiui principij *quo*, quia non generat Patrem paternitate in genere principis producti & formalis *quod*.

Viſum eſt ſecundo, cur in Deo eſſentiali non detur *quo*, & *quod* perſonale, & incommunicabile, ac realiter diſtinctum à qualibet perſona, ſicut datur in omnibus tribus beatis perſonis Sanctiſſimæ Trinitatis; nimirum, quia ſecus eſſet quarta perſona, & deſtructa Sanctiſſimæ Trinitate conſurgeret maledicta Quaternitas.

Viſum eſt vltimo, quam falſus, fictuſq; ſit ſpirator Deus ille Becani Ieſuitæ de Trinit. q. 5. cap 6 qui neq; formaliter ſit Pater, neq; formaliter ſit Filius, ſed ſit quarta formalitas Dei, ſolum ſpiratoris vt ſic, ac ſit quarto adiectiue Deus, ſeu quartus habens Deitatem: quiq; tamen neq; ſit Deus eſſentialis, neq; ſit Deus perſonalis, ſed ſolum ſit Deus relatiuus, vt expreſſe docet Becanus citatus. quæ contradictoria eſſe, ſatiſq; abſurda, ſeu erronea in fide, viſa ſunt ſemper ignorantiæ meæ. Primo, quia Deus ille ſpirator quarto adiectiue Deus, ſeu quartus habens Deitatem, vel eſſet genitus, vel ingenitus. Vtrumq; ſupra probatum eſt de fide, falſum eſſe atq; erroneum in fide: quia non poſſunt dari duo ingeniti priuatiue; eſſent enim duo Patres; neq; duo geniti, quia eſsent duo Filij. Secundo, quia ſpirator ille quarto Deus, vel eſset Deus eſſentialis & imperſonalis; vel eſſet Deus perſonalis, ſeu quarta relatio, ac quarta relatiua formalitas realis; nihil enim aliud eſt relatio diuina realis, ex S Th & Scoto, quàm perſona realis. & in Deo nihil aliud eſt niſi perſona, ac Diuina eſsentia. Vtrumq; falſum eſse fatetur idem Becanus, qui ideo negat ſpirato-

Digitized by Google

ratorem eſse perſonaliter Deum, ne detur quarta perſona incommunicabilis. Et ideo negat ſpiratorem, Deum eſse eſsentialem, nam Deus eſsentialis non poteſt aliquid producere ad intra, niſi ex Ariano dogmate diuidatur ipſa impartibilis Diuina eſsentia, ac numero differat. Tertio ſi daretur ſpirator Deus ille Becani, habere deberet ſuum *quod*, realiter diſtinctum à producta perſona Spiritus Sancti & pariter, ac conſequenter, realiter diſtinctum à qualibet alia perſona. Quod enim non ſubſiſtit vt *quod* ideſt vt totale, principale, & adæquatum principium, neq; operari poteſt vt *quod*, nam operari ſequitur ad eſse. Nihilq; poteſt habere ſubſiſtentiam communem, niſi prius habeat propriam ſubſiſtentiam: ſecus mendicaret ſuam ſubſiſtentiam ab alijs, ac haberet eſse ab illis, & ſic ſpirator ille Deus eſset genitus, ſeu productus à Patre & Filio, ſi haberet ſuum eſse ac ſubſiſtere ab illis. Ita & Deus eſsentialis niſi haberet propriam ſubſiſtentiam, ſed ſolum mendicaret à perſonis ſubſiſtentiam perſonalem & communem, haberet etiam eſse ab illis, & ad illas conſequenter referretur, ſeu opponeretur relatione reali, A quo enim habetur ſubſiſtere, habetur etiam & eſse, eique realiter opponitur; ac ab eo diſtinguitur etiam realiter. Quarto ſi daretur talis ſpirator Deus communicabilis alienæ commuui ſubſiſtentiæ perſonali, abſq; propria ſubſiſtentia, tunc non haberet proprium *quod* perſonale, neq; conſequenter eſset principium totale, & adæquatum productiuum, nam operari vt *quod* ſequitur ad eſse vt *quod*, ideſt vt totale, & principale, ac adæquatum principium & ſic neq; ſpirare poſset vt *quod* neq; ad ipſum Spiritus Sanctus referretur. Sed referretur ad *quod* Paternum & Filiale, ſeu ad *quod* perſonale Patris vt Pater eſt & Filij, vt Filius eſt. nam actiones ſunt ſuppoſitorum, ideſt per ſe ſubſiſtentium, nō vero non ſunt ſubſiſtentiū per ſe, ſed per alios. Implicat enim operari per ſe, & vt *quod*, ac non ſubſiſtere per ſe, & vt *quod*: ſed ſubſiſtere in alijs, ſeu ab alijs habere eſse, & ſubſiſtere. Quinto ſi Spiritus ſanctus non referretur ad *quod* perſonale Dei ſpiratoris, neq; conſequenter eſset Deus perſonalis de Deo perſonali, neq; perſonale lumen de lumine, & Deus verus de Deo vero. Sed eſset Deus perſonalis de Deo imperſonali & eſsentiali quod repugnat Sacræ Scripturæ, quæ ſolum Patrem facit authorem Filij, ac Spiritus ſancti. Patrem inquam qua Pater eſt, non vero Patrem, qua non eſt Pater, neq; eſt perſona, ſed ſolum quarta formalitas imperſonalis. Sexto, quia Pater & Filius non poſsunt eſse vnum principium *quod* in ſpirando. nam tale principium ad intra perſonale eſset debet. Duæ vero perſonæ ſicut non poſsunt eſse vna perſona Sabelliana: ſic neq; eſse poſsunt vnum principiū perſonale Sabellianum. Septimo, quia Pater & Filius neq; poſsunt eſse vnum ſpiratiuum principiū realiter, neq; formaliter. Non formaliter, quia alia eſt formalitas cōſtitutiua Patris, alia Filij, alia Spiritus S. & alia ſpiratoris. neq; ſunt vnū realiter cum Deo ſpiratore. quia vel eſsent vnum realiter realitate eſsentiali & abſoluta: & hoc non. nam Deus eſsentialis non eſt productiuus ad intra, niſi ex hæreſi Ariana, diſtinctiua diuinæ eſsentiæ ſeu Dei eſsentialis producentis. & Dei producti. Vel eſsent vnum realiter, realitate relatiua, & ſic conſequenter eſsent vna perſona Sabelliana. Septimo, quia Spirator Deus non poſset eſse communis pluribus, niſi haberet propriam ſubſiſtentiam, prius eſt enim ex natura rei ſubſiſtere in ſe, quā in alijs & ſic prius Diuina natura commuuicatur vt ſubſiſtens in ſe, quam in alijs. nō enim communicatur vt *quo*, ſed vt *quod* & vt Deus eſt. Vnde Pater non eſt Deitate Pater, vt *quo* ſed eſt ſola paternitate, vt *quo*. Octauo, quia fruſtra multiplicantur tria principia *quod* ideſt totalia, principalia, & adæquata ad ſpirandum, nimirum Pater, Filius, & Spirator Deus. Nono, quia Spirator ille Deus, vel ſpiraret vt *quo* vel vt *quod*. Si vt *quo*, tunc eſset ſola ratio ſpirandi, non vero ſpiraret vt *quod*, & ſic neq; ad ipſum Spiritus ſanctus referretur, ſed ad *quod* Paternum, & Filiale principium, tanquam ad vnicum perſonale principium Sabellianum. Si vero ſpiraret vt *quod*, tunc primo erit perſona, quia ad intra actiones ſunt ſubſiſtentium ſuppoſitorum. Secundo illud *quod* realiter diſtingueretur ab omni alia relatiua formalita-

Spiritus S. non refertur ad ſpiratorem, ſi ſpirator non ſubſiſtit, vt quod.

Si Spiritus S. refertur ad ſolum ſpiratorẽ non vero ad Patrem, qua Pater eſt ſeu ſi lius eſt tunc Pater & filius identificabuntur cum Spiritu Sancto quia ei nõ opponentur.

te,tam Spiritus ſancti,quam Patris, & Filij, quia hæc non eſt illa formalitas perſonalis. nec nõ formaliter diſtingueretur ab ipſa realitate eſsẽtiali Patris & Filij,quia hæc non eſt productiua ad intra. Decimo, quia Pater & Filius identificarentur cum Spiritu ſancto,quia ei, vt ſic non oppentur, neq; realiter, neq; formaliter vt ſupra, hoc eſt neq; realitate abſoluta, neq; realitate relatiua. Vndecimo, quia ad intra introducuntur duo principia *quod*,totalia,principalia, & adaquata alterum ſcilicet perſonale paternum: & alterum imperſonale & ſpiratiuum. Ita vt ſicut ex actiua proprietate,generatiua, & coniunctione Diuinæ naturæ exiſtit improductus Pater Deus generans; & ex proprietate paſſiuè generatiua ac eadem coniunctione diuinæ naturæ exiſtit productus Filius Deus genitus: ita pariter ex proprietate actiuè ſpiratiua,& coniunctione Diuinæ naturæ exiſtat improductus Spirator Deus vt *quod*, idest totale, principale, & adæquatum principium ſpiratiuum ex Becano cit. e contra vero ex proprietate paſſiue ſpiratiua & coniunctione diuinæ naturæ conſtituatur productus Spiritus ſanctus Deus, vt fuſius docet Becano, quod quàm ſit falſum, & erroneum in fide, cæcus eſt qui id non videat. Introducitur enim in diuinis primo duplex principium *quod* totale, principale, & adæquatum; & conſequenter introducitur erronee duplex ſubſtantiue Deus ex S.Th. p.p.q.33.articul.4.ad 4.§ *Ponere duplex principium, eſt admittere duos Deos, &c.* quid clarius? Duodecimo introducitur duplex Deus communis, alter communis tribus eſſentialiter, atque alter communis duob. relatiue, & imperſonaliter quod eſt deſtruere Sanctiſſimã Trinitatem perſonarum & conſtituere maledictam Quaternitatẽ in Diuinis perſonis,iuxta hæreſim Tetraditarum, ſeu Quaternariorum. Sicut enim ex generatiua proprietate actiua (Becanus ait) coniuncta cum diuina natura, reſultat noſtro intelligendi modo perſona generans ſub cõtradiſtincta formalitate a qua cunq; alia formalitate ſiue ſpiratiua & ſpiratoris, ſiue generatiua paſſiuè: ſic pariter ex actiua proprietate ſpiratiua, coniuncta cum diuina natura, reſultabit perſona ſpiratoris: quia actiones ad intra de fide eſt, ex Suppoſitionibus antecedentibus, quòd ſint ſubſiſtentium ſuppoſitorum, primario & per ſe; ſicut ad extra de fide eſt quòd actiones per ſe primo nõ ſunt ſuppoſitorum, niſi vnius, & ſolius ſubſtantiue Dei eſſentialis, & imperſonalis. Quod ſi hæc paritas non valet, inferes conſequenter erronee in fide, perſonas diuinas non reſultare ex aliqua, relatiua proprietate, ſiue actiua, ſiue paſſiua, & ex coniunctione cum diuina natura. Vel inferes quod ſicut ex proprietate actiue ſpiratiua, & ex coniunctione cum Diuina natura, non reſultat per te diuina perſona ſpiratoris Dei: ſic pariter neq; reſultabit perſona Spiritus ſancti ex oppoſita correlatiua proprietate ſpirationis paſſiuæ, coniunctæ cum diuina natura. quia *Nemo dat, quod non habet*; & non poteſt Deus imperſonalis ſeu eſſentialis producere Deum perſonalem. Nihil enim aliud eſt diuina formalitas, & entitas relatiua ſubſiſtens, ac realiter productiua, niſi diuina perſona. nam in Deo nihil aliud eſt, niſi eſſentia & perſona quæ eſt ex S.Th. ipſa ſubſiſtẽs relatio vt *quod*, ex quo ſequitur quod Pater & Filius dũ ſpirant, in nullo, quantũ ad hoc eſſe poſſunt vnum; neq; vnũ perſonaliter cum Saballio neq, vnũ eſſentialiter cũ Ario. Quia eſsẽtia nõ generat, neq; vt *quo*, neq; vt *quod*, diuinæ formalitates relatiuæ in nullo poſſunt realiter idẽtificari, vt ꝓducentes, vel productæ ſunt. Pater enim non generat vt Deus eſſentialis; neq; Filius eſt genitus. vt Deus ſubſiſtantiuè & eſſentialis, neq; Spiritus ſanctus ſpiratur vt Deus ſubſtantiue, ſeu vt realiter eſt Deus eſſentialis quicquid gratis contradicat Caietanus p.p.q 39.art.4. Nam inter producens & productum, ſemper eſt diſtinctio realis. Ergo pariter ſpiratoris Dei relatiua illa formalitas, vt talis eſt, non poteſt realiter identificari cum perſona Patris neq; Filij, quia id Sabellianam eſt, ac confunderentur diuinæ ſubſiſtentes formalitates relatiuæ, ac diuinæ perſonalitates non diſtinguerentur realiter. Neq; ſpirator Deus, vt ſpirator eſt, realiter identificari poteſt cum Deo eſſentiali, neq; cum Patre & Filioſ, quatenus ſunt vnus, idemq; Deus eſſentialis & ſubſtantiuè, quia id Arianum eſt, ac diuina eſſentia indiuiſibilis diuideretur,

retur,

retur, et res producta non eſſet ille idem eſſentialis ac ſubſtantiue Deus producens, quia inter producens & productum ſemper eſt diſtinctio realis. Et quoniam dato vno abſurdo plura ſequuntur, hinc patet falſitas eorum, qui ad effugienda tot eorum abſurda fingunt cum Becano Deum ſpiratorem, Deum quidem eſſe: ſed neque Deum eſſentialem eſſe, neq; Deum perſonalem: niſi tantum Deum relatiuum. Vnde ex Becano de Trin. q. 5. cap. 6. dabitur primo multiplex Deus. Dabitur ſecundo Diuina relatio ſpiratiua & productiua; non tamen habens propriam ſubſiſtentiam, neq; ſubſiſtens vt *quod* & vt ſuppoſitum. cum tamen de fide probatum ſit quod actiones ad intra ſint ſubſiſtentium ſuppoſitorum. Sequetur tertio quod ſpirator Deus ſi non ſubſiſtit vt *quod*, ergo neq; ſpirare poteſt vt *quod*, ſed vt *quo*, & ſic ſolus Pater & Filius ſpirant vt *quod* & vt perſonale principium Sabellianum. Sequitur quarto ad productiones ad intra non requiri proprium ſubſiſtentiam termini producti; & contermini producentis, ſeu relatiui & correlatiui: ſed per accidens eſse talem ſubſiſtentiam propriam & relatiuam, ac ſufficere communem ſubſiſtentiam eſſentialem vel alienam ſubſiſtentiam alterius ſuppoſiti, non producentis ſub illa formalitate Patris & Filij. Sed hæc ſunt falſa, & abſurda conſequentia: ergo falſum eſt pariter antecedens, vnde deducuntur. De fide eſt enim illud primæ Io. 5. *Tres ſunt qui teſtimonium dant in cœlo, Pater, Filius, & Spiritus ſanctus & hi tres ſunt:* non autem ſunt quattuor perſonalitates, neq; quartus perſonaliter habens Deitatem, Dupliciter enĩ dicitur Deus ex S Th. p. p. q 39. art. 4. perſonaliter nimirum & eſſentialiter, ſicut & *Author, ac Lumen* duducuntur dicitur; adiectiue nimirũ ac ſubſtantiuè, ex ſymbolo § *Deum de Deo, lumen de lumine; Deum verum, de Deo vero, &c.* Atq; hæc de falſa illa quarta formalitate ſpiratoris Dei Becani, de more, currente calamo dicta ſufficiant, alias melius & fuſius confirmanda.

Quæſtiuncula prima An Græci, vel quicunq; alij populi ſiue fideles, ſiue infideles, nolentes ſubiecti Eccleſiæ Romanæ tolerari poſſint vt degant ſub hoc Veneto Imperio & Dominio vel ſub Cæſareo, ſeu Gallo, ſeu Hiſpano, &c. vel violenter ſint cogendi ad fidem, ac debellandi ſint. CAPVT 3.

QVæritur an rectè & orthodoxè Sereniſſima hæc Reſpub. toleretq; quoſcunq. populos, hic naturali libertate viuentes, ac cõcurrentes in proprijs Ritibus, & cultu adorando Deum, in quib. naſci eos permiſit Deus, dummodo tamen nullam iniuriam inferant contradictione publica fidei Eccleſiæ Romanæ? Reſpondetur affirmatiue Sereniſſimam hanc Rempublicam tanquam refugium Totius Italiæ, ac eius aureæ libertatis vnicum præſidium ſempiternum, recte & orthodoxè ſentire, & ſeruare immunem & priuilegiatam de iure naturæ libertatem auream cuiuſcunque nationis ſiue fidelis, ſiue infidelis, dummodo non ſit apoſtata vt infra, neq; apertam iniuriam inferat Creatori: nam de occultis non iudicat Eccleſia, teſte Apoſtolo iubente mulierem infidelem cohabitare poſſe in Sacramento matrimonij cum viro fideli, dummodo nullam iniuriam inferat aperte ipſi Creatori. Id; primo ad ſeruandam libertatem, quæ eſt de iure naturæ, ac conſequenter eſt de iure diuino. Liber eſt enim viator homo natus. Secundo quia inuitis non conferendum eſt beneficium. Vnde Chriſtus noluit miraculum vllum in propria patria oſtendere, dicens *Nemo propheta acceptus eſt in patria ſua.* Et ideo neque in ea neceſſitatem fidei Catholicæ prædicare voluit. Non ergo cogendi ſunt inuiti ad fidem, licet eam gratis putent falſam eſſe. Tertio, quia ex Apoſtolo *Non ſunt facienda mala, aut tollenda libertas, vt eueniant bona.* Quarto, quia ſicut adulti Filij Hebræorum non poſſunt cogi ad Baptiſmum, ne iniuria inferatur eorum libertati, neq; paruuli eorundem Filij inuitis parentibus baptizandi ſunt, ne eis fiat iniuria, neue eorum tollatur naturalis libertas, ſic in alijs infidelibus & Sectis, dummodo non ſint apoſtatæ vt infra. Quinto, quia ſicut infidelis Pater conuerſus, non poteſt cogere adultum Filium ad Baptiſmum, quem Filius reijcit: ita multo minus id præſtare poteſt fidelis Dominus circa

populos

Digitized by Google

populos infideles. Sexto, quia voluntas eſt naturaliter & eſſentialiter libera, neq; põt cogi ad conſentiendum interius, dum interius diſſentit. neq; voluntas coacta eſt meritoria. Septimo, quia idem eſt nolentes & inuitos, ac interius reſiſtentes cogere violenter ad fidem, ſeu Sacramenta ſuſcipienda, ac eſt inuitare & cogere ad ſacrilegia perpatranda, ſeu ad blaſphemandum interius ea Sacramenta, quæ inuiti, & non niſi ſimulatè, & fictè ſuſcipiunt ad vitam, propriaq; bona & rerum dominiũ ſeruandum. Octauo, quia Fides non eſt donum armorum; ſed eſt donum Dei. Nono, quia Eccleſiaſtes Spiritu ſancto dictante, ait, *Vbi non eſt auditus, ne effundas ſermonem*. Decimo. quia rationalis homo blanda ratione arguendus eſt fortiter, & ſuauiter, ac oratione ſuadendus, & conuincendus eſt, intrare in conuiuium fidei Catholicæ, iuxta præſcriptum Apoſtoli, *Argue, obſecra increpa in omni patientia, &c.* Vndecimo, quia id eſt contra libertatem Eccleſiaſtici cap. 15.§ *Deus ab initio conſtituit hominem, & reliquit illum in manibus conſilij ſui. Adiecit mandata & præcepta. Si volueris mandata ſeruare conſeruabunt te. Appoſuit tibi aquam & ignem: ad quod volueris porrige manum tuam. Ante hominem vita & mors: bonum & malum quod placuerit ei, dabitur illi, &c.* Duodecimo, quia Chriſtus præſcripſit modum prædicandi fidem Catholicam Luc. 10. Matth. 10.§ *Ite ecce ego mitto vos, ſicut agnos inter lupos, nolite portare, ſacculum, neq; peram. neq; calceamenta: in quamcunq; domum intraueritis, primum dicite, Pax huic domui. Et ſi ibi fuerit Filius pacis requieſcet ſuper illum pax veſtra. Sin autem ad vos reuertetur. Nolite tranſire de domo in domum. Et in quamcunq; ciuitatem intraueritis, & ſuſceperint vos, manducate quæ apponuntur vobis, & curate infirmos qui in illa ſunt & dicite illis, Appropinquauit in vos regnum Dei. In quamcunq; autem ciuitatem intraueritis, & non ſuſceperint vos, exeuntes in plateas eius dicite: etiam puluerem pedum, qui adhæſit nobis de ciuitate veſtra extergimus in vos. Tamen hoc ſcitote, quia appropinquauit regnum Dei, &c.* Decimo tertio, quia Chriſtus præcepit dilectionem inimicorum, *Dictum eſt antiquis diliges amicum tuum, & odio habebis inimicum tuum: ego autem dico vobis. Diligite inimicos veſtro, &c.* Decimo quarto, quia eſt lex naturæ, *quod tibi non vis, alteri ne facias.* Quilibet autem in tali ſecta natus vellet tolerari, & blande inſtrui, ac in ſua libertate relinqui. &c. Et vltimo, quia ſanguis innocentium non poteſt impune apud Deum effundi contra præceptum Decalogi *Non occides*, Non furtum facies, &c.

Neq; tamen nego quin Patres apoſtatæ caſtigari poſſint ac debeant, dummodo tamen non fiat iniuria libertati Filiorum, præſertim adultorum, nolentium ſequi primam fidẽ Patrum apoſtatarum. ſed vltimam eorum fidem, licet profanam, & impiam, ſed ab ipſis filijs exiſtimatam eſſe fidem orthodoxam, & veram, rectam, & bonam. Vt præſens Regnum præſentis nimirum ſæculi apoſtatando cogi poteſt ad redeundum ad priorem fidem à qua apoſtatauit. Sed præſens regnum, ſeu præſens ſæculum non poteſt homines ſequentis ſæculi adultos præſertim eoſq; inuitos, & reluctantes ac contradicentes, cogere ad ſectandam aliam religionem contrariam ei, in qua ſunt in poſſeſſione, eos priuando propria naturali libertate & ſecta in qua eos poſuit Deus permiſſiuè. In qua ſecta putant ſaluari, nullamq; iniuriam inferrunt Creatori, neq; prohibent, neq; contradicunt aperte fidei Chriſtianæ, ſeu Eccleſiæ Romanæ. Dices, Tolerare, ſeu permittere eſt conſentire. Agentes vero & conſentientes pari pœna puniuntur ex Apoſtolo ad Rom. 1. & ex can. Notum ſit. 2. q. 1. Reſpondeo Tolerare malum, tanquam bonum eſt conſentire. *Concedo*. Sed Tolerare malum, tanquam minus malum, comparatiuè ad aliud maius malum, eſt conſentire. *Nego*. Deus enim permittit & tolerat; non autem conſentit peccatis. Immo minus malum habet rationem boni. Ex his patet quàm iure optimo Sereniſſima hæc Reſpublica toleret omnes ſectas, ac cum illis Chriſtianam pacem ex euangelio ẽt inimicis debitam, habeat. qd Faxit D. Opt. Max. imitetur vt debet Cæſarea Maieſtas Imperatoris Inuictiſſimi, alijq; Chriſtiani Principes & Reges ac omni bello depoſitio Chriſtiana pax ineatur etiam cum ipſis hoſtibus, nullam tamen iniuriã neq; moleſtiã inferentibus religioni Romanæ ſed quiete viuere volentibus ſub Cæſaris Imperio.

QVÆ-

Digitized by Google

QVÆSTIVNCVLÆ

Circa Conceptionem B. Virginis Sereniſſimo Principi, Regaliſq; Perſonæ, Ac Altitudini Singulari DON FERDINANDI Haſpaniarum Infantis, S.R.E. Cardinalis &c. Sub Protectione Eminentiſſimi Domini S. R. E. Cardinalis, ANTONII BARBARINI Ordinis Prædicatorum Protectoris Ampliſſimo, ac Sanctiſſimi Domini Noſtri VRBANI VIII. Nepotis Meritiſſimi.

Dicatæ.

Sub Cenſura Reuerendiſſimi Patris NICOLAI de RIDOLFIS, Generalis Magiſtri Dominicanorum, admentem SS. Patrum Græcorum.

AVCTORE

Ioanne Baptiſta Catumſyrito Italograeco Rhegyno, olim Deutereo poſt Protopapam Rhegynum, mox Canonico, & Vicario Generali Craſſetano.

O Altitudo ſcientiæ, & ſapientiæ Dei, exclamat Apoſtolus Rom. 11. (Princeps Eminentiſſime) quàm incomprehenſibilia ſunt iudicia eius, & inueſtigabiles viæ eius. Reuelat enim aliquãdo Deus paruulis, & inſipientibus ea, quæ abſcondit prudentibus & ſapientibus, à conſtitutione Mundi. Reuelat inquam mediatè, ex mediata ſacræ Scripturæ deductione, hoc eſt ex Theologali demonſtratione ſcientifica, omnem formidinem aduerſæ partis excludente. quod eſt reuelare Eccleſiæ Catholicæ, fide explicita tenẽdũ, reſpectu eius qđ ſemper fuit de fide implicita. (quod .n. eſt de fide, sẽper fuit de fide, ſiue implicitè, ſiue explicitè: neq; Eccleſia nouos articulos fidei cõdere põt) Diuino autem beneficio factum eſt Eminentiſſime Princeps, vt non alio tempore, neq; ſub alio Pontifice, aut ſub alio Ordinis Prædicatorum Protectore hoc reuelaretur niſi ſub feliciſſimis auſpicijs Eminentiſſimæ Dominationis Tuæ & ſub Græcorũ Proctetore Eminẽtiſſ. Dño Card. FRANCISCO BARBARINO, Meritiſſimo fratre, ac ſub VRBANO VIII. Patruo, Græcæ linguæ peritiſſimo, Græcæq; Nationis Amantiſſimo, Græca SS. Patrũ Græcorũ doctrina tã de Proceſſione Spiritus ſancti, quam de B. Virginis Conceptione Immaculata priuatiuè (ſaltem pro aliquo priori naturæ) deductiue ex ſacra Scriptura magis confirmaretur ex Ieſu Chriſti Crucifixi Oraculo illo, BENE SCIPSISTI DE ME THOMA, *De me* inquam nato ex Virgine ſanctificata, quia Bene ſcripſiſti de Matre mea, concipiente me vt ſic emundata. nam Prouerbiorum 17. *Gloria Filiorum Patres eorum, & honor Parentum redundat id prolem.* Sicut è contra ignominia matris ad Filium redundat ex S.Th. 3.p.q.27.art.4 corp. Vnde ſi S. Thomas male de concipiente Matre ſcripſiſſet, non potuiſſet de correlatiuo Filio vt ſic concepto bene ſcribere & ſic falſum eſſet elogium illud Chriſti *Bene ſcripſiſti de me.* Humillime ergo ad genua Dominationis Tuæ Eminentiſſimæ proſtratus. poſt deuotiſſime complexos, deoſculatoſq; pedes Sanctiſſimi Domini, ac Patrui VRBANI VIII. offero deductionem hanc ex Sacra Scriptura, ac doctrina SS. Patrum Græcorum, Reuelationem inquam concluſionum fidei explicitæ, ex implicita fide præmiſſarum eiuſdem Sacræ Scripturæ, circa Immaculatam Conceptionem B. Virginis, ad hoc vt innoteſcat quæ nam ſit probabilior ſententia. Licet autem dantis impar ſit munus hoc, & longe diſpar à meritis accipientis: compar fiet tamen, ſi maximã animi mei obſeruantiam, cum

animi

Digitized by Google

animi Eminentiæ Tuæ dotibus quàm maximis comparem. Offero itaque Eminentiſſimæ Amplitudini Tuæ munus hoc ſimul maximum & minimum, compar & impar. confidens, vt ait Plutarcus, quod *Non minus Regium, aut minus humanum eſt, magna tradere, quàm parua lata fronte, benigneque vultu excipere.* Cæterũ Eminẽtiæ Tuæ iterit deductionis huius Theologicæ quam probabiliorem eſſe ſemper putaui metallum ex humili ingenij mei fodina depromptum, experiendum curare, & conferre cum Pario lapide Cenſuræ Eminentiæ Tuæ Protectoris Ordinis & doctrinæ S. Thomæ, ac Eminenſſimi fratris, Græcorum doctrinæ Protectoris Ampliſſimi Cardinalis FRANCISCI BARBARINI, vt innoteſcat omnibus, an purum ſit aurum hoc probabilioris deductionis ex Sacra Scriptura, quod affero circa Immaculatam Conceptionem B. Virginis, quodq; Aduerſariorum validiſſimis impugnationibus reſiſtat inconcuſſum, ac magis probatum, argumentorum igne eniteat. An inquã aurifera minera aliqua ſeruetur adhuc, in aureo Magnæ Græciæ, vtriuſq; Calabriæ Heſperidum horto; vel potius mentitum, impurumq; ſit aurum hoc, & infimum aurichalcum, quod profero, circa probabiliorem deductionẽ & concluſionem ex Sacra ſcriptura, ſeu reuelationem fidei explicitæ, ex inſinuata implicita fide præmiſſarum eiuſdem ſacræ ſcripturæ. Qualecunq; autem ſit aurum hoc, ſiue ſit auricalchum; ſimpliciter illud ſummitto ictibus, & caſtigationi, ſeu cenſuræ Eminentiſſimæ Amplitudinis Tuæ Protectoris doctrinæ S. Thomæ, ac Eminẽtiſſimæ Dominationis fratris, Tui doctrinæ Græcorum Protectoris Cardinalis FRANCISCI BARBARINI, & Sanctiſſimi Domini Noſtri VRBANI VIII. cuius pedes deuotiſſimè deoſculor.

Ad pedes Eminentiæ Tuæ proſtratus, Italogræcus ego, Ioannes Baptiſta Catumſyritus.

Approbatio Patris Magiſtri Remigij Scroffa Veneti Prioris Prouincialis prouinciæ Sancti Dominici Ordinis Prædicatorum ex commiſſione Generalis Inquiſitoris Veneti Patris Magiſtri Clementis de Iſeo.

EGo Frater Remigius Scroffa Venetus, Magiſter, & Prior Prouincialis Prouinciæ Sancti Dominici Ordinis Prædicatorum, excommiſſione Generalis Patris Inquiſitoris Veneti, Patris Magiſtri Clemẽtis de Iſeo Tractatũ de Vera vtriuſq. Eccleſiæ Concordia circa Proceſſionem Spiritus ſancti ab Excellentiſſimo Doctore Ioanne Baptiſta Catumſyrito Italogræco Rhegyno compoſitum ſtudioſe recognoui; & in eo orthodoxæ fidei aut contra Principes, & bonis moribus diſſentaneum nihil offendi. Quare vt ad communem vtilitatem in lucem prodeat digniſſimum exiſtimo ad hoc vt Chriſtianiſſima eiuſdem Doctoris doctrina cõmendata ſit Chriſtianiſſimo Nauarræ & Francorum Regi LVDOVICO XII. ac Sereniſſimo huic Principi Veneto FRANCISCO ERIZZO, nedum Regibus omnibus ac Principibus Chriſtianis præſertim vero Catholico Regi Hiſpaniarum Philippo Quarto, fidei Defenſori, apud Sanctiſſimum Dominum Noſtrum VRBANVM VIII. ac Eminentiſſimum Protectorem Nrm S.R.E.Card. ANTONIVM BARBARINO & Illuſtriſſimum hunc Legatum Apoſtolicum FRANCISCVM VITELLIO Archiepiſcopũ Theſſalonicenſem, ac Reuerendiſſimum Patrem noſtrum Generalem Magiſtrum Fratrem NICOLAVM de RIDOLFIS. Inuitentur ergo ſtudioſiſſimi Viri Totius VRBIS & ORBIS ad orthodoxam hanc doctrinam amplectendam ſequendamq; vt Author ad alios maiores labores pro Sancta Eccleſia Catholica ſubeundos inuitetur, & ab Eccleſia Catholica, ac Sanctiſſimo Domino Noſtro VRBANO VIII. grato ſinu, & paternis amplexibus foueatur. Nec non eandem fidem facio omnib. alijs, Eminentiſſimis DD. Cardinalibus principaliter vero, Sereniſſimo Principi Regali Perſonæ, & Singulari Altitudini S.R.E. Cardinali DON FERDINANDI Hiſpaniarum Infantis, &c. ac Emenẽtiſſimo Cardinali Sancti MARCI, FEDERICO CORONARIO. Inquorum fidem hæc tacto pectore de more Religioſorum atteſtor. Venetijs die 24 Nouembris 1633.

Ita eſt Frater Remigius Scroffa Prouincialis quiſupra.

Inquiſitor Generalis Venetus Magiſter Clemens de Iſeo.

De

Digitized by Google

EPILOGVS PRÆCEDENTIS QVÆSTIONIS

Humanæ libertatis, eiuſq; Concordia cum efficacia gratiæ,& infallibilitate permiſſionis diuinæ,ad defendendam explicandamq; doctrinam Sancti Thomæ,reducendo ſcientiam mediam , ad ſcientiam ſimplicis intelligentiæ,ex vna parte poſſibilium,& ad ſcientiam Viſionis,ex altera parte futurorum.

QVAESTIVNCVLA SECVNDA.

VIſum eſt in prima Quæſtiuncula Eminentiſſime Princeps de naturali libertate hominis non lædenda, ne iniuria fiat ipſi Creatori , hominem liberum ad vtramq; partem , & ab omni neceſſitate & coactione expeditum eſſe volenti ac creanti. Liberum inquam,tam quò ad actum primum , quàm quo ad actum ſecundum , ſeu tam in ſenſu diuiſo , quàm in ſenſu compoſito in quo Chriſtus dixit, *Vos ſpiritui Sancto ſemper reſtitiſtis* : Neq; enim maior ſeu alia ratio & libertas , ſeu potentia eſt reſiſtendi Spiritui Sancto in ſenſu compoſito, & alia in ſenſu diuiſo . Neq; alia eſt potentia, & libertas reſiſtendi Spiritui Sancto , quo ad vnum genus auxilij , quàm quo ad aliud ; ſed eadem libertas & potentia adeſt homini ad reſiſtendum de facto ipſi Spiritui Sancto in vno ,quàm in alio , ad præſcriptum Concilij Triden. ſeſſ.6. can.4. *Si quis dixerit liberum hominis arbitrium motum , & excitatum à Deo , non poſſe diſſentire ſi velit,anathema ſit,&c.* Potentia autem hæc in ſenſu compoſito ſemper eſt potentia, & nunquam eſt actus, ſed reduci poteſt ad actum, dummodo voluntas velit . Mouetur enim potentia libera ab obiecto conſequendo ſeu eligendo , motu metaphorico alliciendo ad ſe;vel remouẽdo à ſe,non autem mouetur motu phyſico , quia licet ipſum obiectum moueat motu naturali, ſeu per modum naturæ ad vnum determinatè : tamen quicquid recipitur, per modum recipientis recipitur. Vnde implicat potentiam liberam moueri non libere. Implicat etiam Deum mouere nos libere,ac mouere motu phyſicæ prædeterminationis ad vnum tantum antecedenter , & independenter à noſtra voluntate. Nihil enim aliud eſt Deum velle libere conſentiendum eſſe vobis per motum phyſicæ prædeterminationis , quam Deum nolle libere diſſentiendum eſſe à nobis : ſeu velle hominem non poſſe diſſentire , tollendo libertatem , & meritum eius . Confirmatur primo quia libere conſentire , & libere diſſentire , ſeu diſſentire poſſe , ſunt contradictoria , ſeu ad contradictionem reducuntur tanquam priuatiua , inclufio enim vnius , eſt excluſio , ac deſtructio alterius; quare non poſſunt eſſe effectus gratiæ prædeterminantis phyſicè;ſed potius ſunt ipſa eſſentia liberi arbitrij in ſtatu præſertim corrupto.Cõfirmatur ſecũdo quia prædeterminatio phyſica antecedenter , & independenter à libero arbitrio , eſt neceſſitas abſoluta, ſeu neceſſitas conſequentis , quæ tollit libertatem. Non vero eſt neceſſitas conſequentiæ & ex ſuppoſitione , quæ ſtat cum libertate . Confirmatur tertio quia neq; Deus ipſe poteſt ſe ipſum phyſica prædefinitione ſic ad vnum , per modum naturæ prædeterminare, independenter, & antecedenter ad ſuam liberam voluntatem , quin ſibi ipſi CAP. 4.

tollat libertatem. Implicat ergo Deum velle aliquid à ſe, vel à creatura libere fieri, ac ſimul & ſemel prædeterminare phyſicè potentiam ad vnum, per modum naturæ antecedẽter & independenter à voluntatis electione & inclinatione. Liberum enim ideo eſſe dicitur arbitrium, tam in Deo, quam in nobis, quia liberum eſſe debet ab omni neceſſitate conſequentis. Atq; ita ſenſiſſe intelligo, & explico ſanctum Thomam in hac Controuerſia gratis impugnatum ab aliquibus. Hanc autem libertatem ſicut perficit ipſa gratia, ſic maior gratia in patria magis facit liberos in bono; Quod vero in Patria liberi ſimus ab omni malo, non vero liberi ſimus ad malum proſequẽdum, id patet, quia in ſtatu corrupto duplex eſt libertas, alia ad bonum, atq; alia ad malum; in patria vero ſola libertas eſt ad bonum aliud, & aliud bonum &c quia liberum arbitrium in patria eſt ſanatum, & confirmatum in bono ac liberum à malo. Ad hoc autem quod liberum arbitrium non diſſentiat, non opus eſt phyſica prædeterminatione per modum naturæ ad vnum, ſine potentia contradictionis idq; antecedenter & independenter à voluntate: ſed ſatis eſt quod voluntas ſanata ſit, ac diuinis auxilijs inſtructa, & confirmata & videns (non autem excæcata) nolitq; eſſe miſera ſeu mala, ſeu infirma, ſed infallibiliter applicata, alliciatur ab obiecto, ſibi repræſentato, vt magis honeſto, & vtili quam laborioſo. Adeſt enim ordo naturalis ac proportio, ſeu relatio conuenientiæ, aut diſconuenientiæ à Deo præfixæ inter potentiam debite applicatam cum ſuo obiecto; ita vt neq; potentia ferri poſſit extra tale ſuum obiectum: necnon obiectum libere neceſſitet potentiam liberam debite applicatam ad ſui amorem motu metaphorico, quæ eſt neceſſitas cõſequentiæ, non autem conſequentis, & ideo non tollit libertatem, nam eſt poſt virtualem ſeu actualem inclinationem ac præuiſum conſenſum naturalis propenſionis liberæ cum ſuo proportionato obiecto in ſcientia Media, quæ reducitur ad ſcientiam ſimplicis intelligentiæ.

CAP. 5. Neq; dicatur Eminentiſſime Domine quod prædeterminatio phyſica eſt neceſſaria ad ſcientiam Dei certam & infallibilem: ſicut neq; neceſſaria eſt ſcientia Media Ieſuitarum nam talis ſcientia Media, niſi reducatur ad ſcientiam ſimplicis intelligentiæ Dei, quo ad poſſibilia, ac ad ſcientiam Viſionis quo ad futura contingentia, ſatis præiudicat Diuinæ Dignitati. Nihil aliud eſt ergo ſcientia Media Ieſuitarum, niſi S. Thomæ ſcientia ſimplicis intelligentiæ ex vna parte, quo ad poſſibilia: ac ſcientiá Viſionis quo ad futura contingentia; quæ præſupponit futuritiones, ex neceſſitate ſuppoſitionis, ac conſequentiæ; non autem conſequentis, & ideo non tollit libertatem, ſed potius ponit, ac præſupponit eam. Neq; talis ſcientia Media ſeu (quod idem eſt) ſimplicis intelligentiæ eſt cauſa noſtræ ſalutis: ſeu reprobationis, ſed potius eſt effectus gratiæ, noſtræq; poſſibilis prædeſtinationis, ſeu reprobationis. Cognoſcit autem Deus omnia in ſe, & ex ſe, ſiue ex ſua permiſſione, ſiue ex efficacia ſuorum auxiliorum, ex ſe inquam tanquam ex prima cauſa efficiente, & ex creatura tanquam prima cauſa libere deficiente. Non enim propter illas futuritiones nos prædeſtinat Deus, neq; reprobat, quo ad primum effectum reprobationis: ſed ex ſola miſericordia Dei, ſeu Iuſtitia eius exercenda nos prædeſtinat, ſeu reprobat vt patet in Iacob, & Eſau, *Antequam enim aliquid boni, vel mali egiſſent, Iacob dilexi Eſau odio habui &c.* Nã gratia prima non cadit ſub merito futurorum operum. Neque primum peccatum cadit ſub demerito, ſeu pœna præcedẽtis peccati. Neq; cõſequẽter damnatio habetur ex præuiſione malorum operum, vt poſſibilium. Nam paruuli morientes ſine Baptiſmo non damnantur ob præuiſa peccata poſſibilia: quia ſimpliciter non ſunt peccata, quæ voluntaria, & actualia eſſe debent. Vnde Auguſtinus in bonis recurrit ad ſolam miſericordiam Dei; & in malis ad ſolam iuſtam permiſſionem eius, dicens *Non eſt volentis, neq; currentis, ſed Dei miſerentis quia nemo venit ad me niſi Pater meus traxerit eum &c.* Ex parte ergo noſtra non datur cauſa prædeſtinationis, neq; reprobationis, quo ad primum reprobationis effectum, qui eſt ſola excluſio, à regno cælorum, vt patet in paruulis ſine Baptiſmo morientibus & excluſis ſolum à regno cælorum. Licet detur cauſa reprobationis, quo ad ſecundarium effectum, qui eſt damnatio ipſa ſeu

pœnæ

Digitized by Google

pœnæ inflictio ob culpam, ſeu ob actualia peccata commiſſa, quia, *ſalus tua ex me; perditio tua ex te,* quo ad inflictionem pœnæ ſenſus, commiſſionem & commiſſionem culpæ. Deſumit ergo Deus certitudinem ſcientiæ ſuæ à ſuo primario obiecto diuinæ eſſentiæ, ſibi ſumminiſtrante ſcientiam ſimplicis intelligentiæ diuinorum auxiliorũ, in quacunq; circumſtantia, ac ex ſcientia viſionis, ad quas ſcientias, partialiter reducitur ſcientia Media Ieſuitarum, hoc eſt ante præuiſionem vſus liberi arbitrij, repreſentati ab ipſo obiecto ſecundario, ſed poſt præuiſionem vſus liberi arbitrij repræſentati à primario obiecto diuinæ gratiæ efficacis, ac diuinæ permiſſionis infallibilis, non enim Deus ſumit ſcientiam ſuam ab obiecto ſecundario. Quod autem hæc ſcientia ſimplicis intelligentiæ & viſionis coniuncta, & reducta in vnam ſcientiam Mediam non tollat libertatem apud S. Thomam, etiam ſi exequutioni mandetur per determinatum Decretum Dei, de tali numero cōcurſu Dei, ad talem numero actionem naturaliter & phyſice ac neceſſario exequendam in tempore, non tollat libertatem, ſicut neq; apud ſcientiam Mediam Ieſuitarum; patet quia vtraq; eſt neceſſitas conſequentiæ, & non conſequentis, ac præſupponit virtualem & conditionalem inclinationem voluntatis creatæ tam in bonis à Deo intentis, quam in permiſſis malis actibus. quibus præſuppoſitis, effectus eſt Diuinæ miſericordiæ, quod Deus prædefiniat aliquos duntaxat actus peccaminoſos non vero omnes; & quod aliquando omnes impediat. Vnde quia creatura eſt ex nihilo, ac tendit in nihilum, ſeu in peccatum potius, nam *Vidit Deus, quod totus mundus poſitus eſt in maligno, corrupit enim omnis caro vias ſuas, magis amans tenebras, quam lucem: Vnde non eſt qui faciat bonum, non eſt vſq; ad vnum, &c.* hinc pertinuit ad Diuinam miſericordiam ac prouidentiam in aliquibus omnes futuros malos conatus miſericorditer impedire, morte immatura: Econtra vero in alijs aliquos impedire, atq; alios permittere, ad iuſtam permiſſionem, quia peccatum eſt pœna peccati, vel quia ex malo permiſſo Deus elicit bonum, vt in B. Magdalena; nec non ad iuſtitiam punitiuam malorum, vel exercitatiuam bonorũ, quia *Caſtigabo inimicos meos cum inimicis meis.* & malus ideo viuit vt emendetur, vel vt iuſtus per ipsũ exerceatur. In multis enim meretricibus, ſeu alijs in reprobum ſenſum fere conuerſis, qui millies vellent in die mœchari, ſeu adulterari, ſeu peiora peccata carnis committere, ac dolent quando libidinem propriam ex illis explere non poſſunt, ſeu impediuntur, quis neget infinitam eſſe Dei miſericordiam, quod ex tot vicibus concupitis ad peccandum, effrenatis quibuſcunq; circumſtantijs non niſi aliquos actus carnales, & cum aliquibus duntaxat perſonis & circumſtantijs permittat, prædetermineq; Deus, alias autem concupiſcentias impediat, miſericorditer, illuſtrationem, erubeſcentiam, ac reſipiſcentiam concedendo? Dices ſi ita eſt, ergo Deus erit Author malorum, quia vt Cauſa prima præmouet ad malum de potentia nos reuocādo ad actũ & tollendo libertatem. Reſpondeo primo quod Deus, vt cauſa prima præmouere debet cauſam ſecundā, ad id, ad quod libere eſt inclinata ex ſcientia media, vt ſupra. hoc eſt ex ſcientia ſimplicis intelligentiæ ex vna parte, ac ſcientia viſionis ſeu permiſſionis ex alia. Vnde talis præmotio præſupponit præcedentem inclinationē, non tollit, ſed ponit libertatē. Reſpōdeo ſecundo quod præmouet ad bonũ illius entitatis peccaminoſæ, ex qua Deus eliciturus eſt maius bonum erubeſcentiæ, & reſipiſcentiæ in conuerſione prædeſtinatorum; vel maius bonum iuſtitiæ permiſſiuæ Dei, ac vindicatiuæ in præſcitis ſaltem quo ad præſentem iuſtitiam: iuſtum eſt enim, vt qui à Deo auertuntur, ſummo bono, in peccata labi permittantur, quæ ſunt ſummum malum, ac ſumma miſeria creaturæ. Non tollitur ergo libertas per præmotionem liberæ cauſæ ſecundæ ad ſuas liberas inclinationes præſuppoſitas ex ſcientia media, ad ſcientiam ſimplicis intelligentiæ Diuinæ, ac ad ſcientiam viſionis reducta; ſed potius ponitur, aut præſupponitur propria inclinatio & voluntas interpretatiua ſaltem. Neq; prædeterminatio phyſica pro actionibus phyſicis tollit libertatem, quando eſt conſequenter ad noſtram electionem, ſeu inclinationem virtualem, niſi quando eſt antecedenter & independenter a noſtra voluntate; Neq; vero ſingularis

Digitized by Google

actio phyſica fieri poteſt à Creatura, nec à Deo abſq; prædeterminatione ad vnū illū actum phyſicum per modum naturæ liberæ in creatura libera. Nam quicquid recipitur, per modum naturæ liberæ recipientis recipitur. Actio ergo humana habet duo. Nam primo eſt phyſica, ac ſingularis, & eſt liberè determinata ad vnam tantum partem contradictionis; & vt ſic cauſa ſecunda non poteſt ſe eximere à ſubordinatione cauſæ primæ, à qua præmoueri, & applicari debet ad hanc potius numero actionem, quàm ad aliam eiuſdem ſpeciei. quia cauſa ſecunda eſt indifferens ad omnem indiuiduationem, numericamq. circumſtantiam. Et ſic per præmotionem phyſicam non læditur libertas creaturæ, ſed potius adiuuatur eius impotentia, & tollitur eius indifferentia, ac impedimentum ad hoc vt exire poſſit in actum ſecundum ad quem habet inclinationem. Secundo habet actio humana, quod ſit libera ab omni neceſſitate, & coactione, vt meritoria ſit; & vt ſic, neq; læditur libertas per præmotionem phyſicam, primò quia talis præmotio phyſica fit iuxta propriam inclinationem, & virtualem præſuppoſitam determinationem vniuſcuiuſque, quā Deus cognoſcit ex ſe, & in ſe, hoc eſt, ex cognitione efficaciæ auxiliorum Dei, ac diuinæ eius permiſſionis infallibilis, in quacumque circumſtantia ponatur creatura, ſeu ex ſcientia Media Ieſuitarum, reducta ad ſcientiam ſimplicis intelligentiæ ex vna parte, ac ſcientiam viſionis ex alia parte iuxta doctrinam S. Thomæ. Secundò non læditur libertas noſtra, quia Deus non prædeterminat antecedenter, & independenter à noſtro libero Arbitrio, ſed dependenter ab illo. Gratia enim licet ex ſe inclinet ad vnā duntaxat partem per modum naturæ, tamen, quia recipitur in natura libera, ideo efficit vt ipſa natura libera libere ſe prædeterminet potius ad vnam partem contradictionis, quam ad aliam, quatenus ſanat infirmitatem eius, illuſtratque cęcitatem, & ſuauiter applicat, nec non quatenus in obiecto oſtendit maiorem eſſe honeſtatem, quam ſit moleſtia, ſeu ſpinoſitas, ſeu difficultas. Nec non oſtendit ac ſuadet & perſuadet iugum diuinū ſuaue eſſe in laboribus, ac onus eius eſſe leue, infinitumq. eſſe bonum æternum, quod inde ſequitur. Qua ſuauiſſima perſuaſione allectus ac metaphoricè motus homo in applicatione, non poteſt in actu exercito non amplecti obiectum, ob naturalem ordinem ac relationem, proportionem, & inclinationem à Deo præfixam inter potentiam applicatam, & obiectum proprium, extra quod non poteſt ferri potentia, vt fuſius in Tractatu quinto.

Dices vltimo. Ad libertatem humanam ſatis eſt, quod Deus velit actiones noſtras liberè à nobis fieri, idest non coactè, ſed libenter & ad libitum, ſeu ad libidinem noſtram: ita vt liberi ſimus ab omni coactione; nō vero ſimus liberi ab omni neceſſitate, antedecenter, & independēter à noſtro libero arbitrio, ac prædeterminante nos phyſicè. Reſpondeo id falſo imponi doctrinę S. Thomæ: quia vt ſic humana libertas tolleretur, ſicut tollitur in animantibus. ſeu non alia libertas homini daretur, quam ea, quę permittitur beſtijs, quę quidem pro earū libidine, & appetitu ſuauiſſime ferūtur ad obiectum bonum & delectabile, ſibique vtile & conducens, ac libenter abhorrent & refugiunt ab obiecto ſibi repręſentato vt moleſto ſeu malo. licet eorum actus omnes phyſicè à Deo ſint prædeterminati independenter & antecedenter ad eiuſmodi earum libertatem ſeu liberum appetitum proſequutiuum delectabilis, ac auerſiuum ab omni obiecto malo. quod eſt maximum abſurdum Caluinianum.

QVÆ-

Digitized by Google

QVÆSTIVNCVLA TERTIA,

Quod in probabilibus, & contingentibus Controuerſiis fidei, non poteſt dari certum iudicium, neque definitio fidei. Implicat enim probabilia, & contingentia, vt talia ſunt, & ſub tali medio ſeu ratione formali, certa tamen eſſe poſſe de fide, dum non habent neceſſariam connexionem cùm præmiſſis de fide.

QVoniam de contingẽtibus ſeu poſſibilibus, vt cõtingentia ſunt, nõ datur determinata veritas, neque ex parte noſtri, neq; ex parte Dei, eiuſque ſciẽtiæ ſolius ſimplicis intelligentiæ, ob defectum neceſſariæ connexionis cum medio, ſeu argumento connexionis extremorum: ſic neque de probabilibus, vt probabilia ſunt, ideſt cum incertitudine ac formidine partis aduerſæ, poteſt dari ſcientia, quæ eſt certa & euidens, in ſuo genere cognitio per cauſam primam, immediatam, & infallibilem, ita vt impoſſibile ſit rem aliter ſe habere ex primo Poſt. Hinc patet quod ſicut probabilia ſemper ſunt probabilia in philoſophicis: ita & in Theologicis. Quod enim eſt per ſe, & intrinſecè, ſeu eſſentialiter tale, ſemper eſt tale, at eiuſmodi eſt opinio, & probabile. Ergo de eo ſub tali formalitate non poteſt eſſe veritas ſcientifica ſeu ſcientia, neque definitio fidei, quæ non eſt de ſolum probabilibus. Non enim de quolibet verum eſt determinate affirmare vel negare ſcientificè: niſi de iis, quæ ſunt per ſe, & intrinſecam habent connexionem cum medio ſimpliciter neceſſario. Vnde dicitur Abſtrahentium non eſt mendacium, Animal enim ſecunda intentio, ſeu in actu ſignato, neque eſt rationale, neque irrationale, niſi vt eſt prima intentio, ſeu in actu exercito. Hinc fit etiam vt ſi ſumantur ſinguli articuli fidei, & cum Medio probabili tantum iungantur, non poſſit de eis ferri iudicio ſeu aliqua definitio fidei ex defectu neceſſariæ connexonis cum infallibili Medio fidei, *Vt Deus eſt Trinus, & vnus: quia ita docet magiſter meus, vel quia decens eſt, ſeu probabile eſt, ſeu probabilius, ita eſt &c.* Sic Scotus in 3 diſt. 3. q. 1. de Immaculata Conception. B. Virginis ait §. *Ad quæſtionem dico poſſibile eſt B. Virginem fuiſſe conceptam immaculatam negatiuè, ac poſſibile eſt fuiſſe conceptam immaculatam priuatiuè. Vnde Deus ſcit, quanam contradictionis pars ſit vera, &c.* Quatenus ergo probabile tantum, ſeu poſſibile eſt vtrumque, quomodo cadere poteſt ſub definitione certitudinis fidei id quod tantum probabile nobis eſt & neque Deus ipſe certo ſcire poteſt ſub tali ratione formali niſi per ſcientiam, & decretum probationis, ſeu viſionis? Niſi ergo id nobis reueletur à Deo, Eccleſia ſeu Papa nullo modo id ſcire poteſt. Reuelatio enim fidei miraculosè non fit amplius, ſed ſemel facta ſufficit. Vnde quod Deus non vult miraculosè reuelandum, non eſt præſumendum reuelari poſſe ab Eccleſia. Nam ſufficit reuelatio præmiſſarum Sacræ Scripturæ pro quacunque concluſione reuelanda, quæ neceſſariam habeat connexionem cum præmiſſis ſuis. Quia in præmiſſis implicitè, & virtualiter reuelatæ fuerunt omnes concluſiones neceſſariæ connexionis, quare nihil aliud reuelari poteſt de fide in Eccleſia Sãcta Dei in decretis, & concluſionibus eius, niſi illud idem, quod reuelatum fuit implicite in præmiſſis, in quibus deducendis Spiritus Sanctus docebit nos omnem veritatem, vſque ad conſumationem ſæculi. Confirmatur quia quod eſt, vel erit de fide explicita, ſeu implicita ſemper fuit de fide ſeu implicita, ſiue explicita, & non contingit fieri nouas reuelationes fidei, ac ſi inſufficiens, ſeu deficiens fuerit huc vſq; CAPVT 6.

facta

facta reuelatio fidei. In probabilibus ergo Controuerſijs Sacræ Scripturæ ſupremus Iudex eſt Pontifex Romanus loco Eccleſiæ ſeu Concilij. Et quia neutra opinio vt probabilis eſt, de fide eſſe poteſt, ideo talis definitio Papæ, ſeu Concilij vt innixa ſoli probabili rationi ſeu medio, non eſt dogma fidei, nec excedit rationem & authoritatẽ ipſius ſolius opinionis duntaxat probabilis ſeu magis probabilis, ſed ſemper eſt cũ ſua intrinſeca ratione incertitudinis ac formidinis partis aduerſæ. Iudex enim in probabilibus iudicare tenetur ſecundũ allegata, & probata opinabilia: quare nõ niſi ſecundũ talem rõnem probabiliter iudicare poteſt, ideſt cũ incertitudine, & formidine partis aduerſę.

CAPVT 7. Cõfirmatur primo, quia poſſibilia, ſeu probabilia, & cõtingentia ſunt ad vtrumque, nam potentia eſt contrariorum, ob nullam neceſſariam connexionem, ſeu repugnantiam, cum alterutra parte. Confirmatur ſecundo, quia Deus non aliter per ſcientiam ſimplicis intelligentiæ cognoſcit poſſibilia niſi vt indifferentia, & non niſi ex certo decreto ſcientiæ viſionis cognoſcere illa poteſt vt magis vera, quam falſa. Confirmatur tertio, quia omnis probabilitas ſeu poſſibilitas, & non repugnantia aut contingentia oritur vel ex ignorantia noſtra neſcientium rem per ſuã cauſam immediatam cognoſcere, ſeu falſam aut inſufficientem rationem ac connexionem terminorum aſſignantium. At in Sacra Scriptura nihil reuelatum eſt vt probabiliter ſeu indifferenter ad vtramque partem credendum. Confirmatur quarto, quia ſacra ſcriptura non poteſt probabiliter & indifferenter ad vtramque partem contradictionis induci ac deduci. Secus ſimul vera eſſet, ac falſa ſi ex ea æquè verum ſeu falſum deduci poſſet. Qualis eſt enim cauſa, talis effectus, quando ergo ęquè Scriptura pro vtraque parte fidei allegatur, in vna vere, & orthodoxè ſeu catholice allegatur: in alia vero ſophiſtice, falſo, ac erroneè in fide, ſeu hæreticaliter allegatur, pro dogmate fidei, quia in dogmatibus fidei Veritas eſt vna. Quænam autem pars ſit vera, ſeu falſa, ex ipſa definitione veri, ſeu falſi conſtare poteſt, & ex abſurdis, ſeu à contrario ſenſu. Falſum eſt enim quod ſequitur ex falſo, & ex quo, non niſi falſum ſequi poteſt. Verum autem eſt ad quod non poteſt ſequi falſum, quodque ex vero ſequitur formaliter, quia nemo dat, quod non habet, & qualis eſt cauſa talis eſt effectus. Confirmatur quinto, quia eadem eſt ſcientia contrariorum, incluſiua nimirum vnius, ac excluſiua alterius. Vnde fides ab Apoſtolo dicitur Argumentum non apparentium, ideſt arguens mentem erroneam, & falſam ac conuincens ex authoritate Dei Primæ Veritatis reuelantis. Si ergo ex Sacra Scriptura elũcet euidenter de fide vera redemptio B. Virginis, inde euidenter deducitur de fide vera captiuitas eius, & arguitur falſitatis contraria doctrina. Quia Contrariorum vna eademque eſt doctrina incluſiua nimirum vnius, atque excluſiua & deſtructiua alterius. Vbi enim reuelatur veritas vnius concluſionis ex præmiſſis, ibi conſequenter reuelatur oppoſita falſitas alterius deductionis. Confirmatur ſexto, quia reuelatio dogmatum fidei in Concilijs aut Decretis Pontificum non poteſt fieri miraculoſè, niſi ex deductione Sacræ Scripturæ ſeu deducendo rectas concluſiones ex reuelatis præmiſſis fidei. Non enim Concilium loqui poteſt miraculoſè, ſicut aſina Balaam, vel ſicut oraculum Delphicum diuino numine afflatum (quod omni qua decet maiori reuerentia dictũ ſit pro catholica hac veritate declaranda) neque aliquo alio modo concluſio fidei deduci poteſt, niſi ex reuelatis præmiſſis fidei. Confirmatur ſeptimo, quia ſicut aliud eſt credere Deo, & aliud Credere Deum, atque aliud eſt Credere in Deum tanquam in primam Veritatem reuelantem, firmiter ei adhærendo. Sic aliud eſt Credere Eccleſiæ ſeu Papæ, & aliud eſt credere Eccleſiam dari, ac Papam eſſe. Atque aliud eſt credere in Eccleſiam ſeu in Papam, tanquam Primam Veritatem reuelantem. Vnde non niſi Eccleſiæ ſeu Papæ credere poſſumus non vt authoritatiue dicentibus ac tanquã primã veritatẽ reuelantibus; Sed vt atteſtantibus reuelatas à Deo concluſiones in præmiſſis. Hæreticum eſt ergo æquè credere in Papam ſeu in Eccleſiam, ſicut & in Deum. Immo in ijs credimus in Deum, quæ reuelata ſunt ex Sacra Scriptura non autem ſine Scripturarum reuelatione. Et multo minus in Papam eſt credendum ſine reuela-

reuelatione Sacræ Scripturæ. Ex qua nobis loquendum eſt, quia ex ea nobis loquitur Spiritus ſanct⁹; & docebit nos omnem veritatem, deductiue nimirum implicitam in præmiſſis, & ex eis in concluſiones explicitas infallibiliter Theologica ſyllogizatione euidenti ac demonſtratiua inferendas. Non enim eſtis vos qui loquimini, ſed Spiritus Patris Veſtri loquitur in vobis, qui non ſolum loquutus eſt per Prophetas; ſed etiam loquetur per Concilium & Pontifices, quando demonſtratiue deducunt concluſiones explicitas fidei ex implicite reuelatis præmiſſis Sacræ Scripturæ. Secus enim quando non deducunt ex reuelata Sacra Scriptura: ſed ex proprio libito, ſeu lumine, & habitu aliquod reuelant eſt impropria, & æquiuoca reuelatio, quæ non excedit veritatem opinatiuam, & probabilem cum incertitudine ſemper, & formidine partis aduerſæ ex defectu neceſſariæ connexionis terminorum concluſionis cum præmiſſis fidei, apud Sacram Scripturam. Dices Sacra ſcriptura eſt inſufficiens ac deficiens, & ſermo mortuus. Vnde requiritur ſermo viuus, ſeu Oraculum viuæ vocis. Reſpondeo primo maximam eſſe iniuriam legiſlatoris inſufficientem ac deficientem nobis legem tradentis, pro ſalute animarum Reſpondeo ſecundo, falſum eſſe antecedens, quia Sacra Scriptura admittit Sacras Traditiones, quas fuſius probat Cardinalis Bellarminus ex ipſa Sacra Scriptura, quæ nihil aliud eſt niſi Verbum Dei, quod non eſt de eſſentia legis, vt ſit ſcriptum; Sed ſatis eſt ſi ſit traditum à Deo. Reſpondeo tertio, quod Viuus eſt ſermo Dei, & omni gladio acuto penetrabilior, & Apoſtolus ad Eph. Eccleſiam ait lauari in Verbo vitæ. Eſt ergo Scriptura Verbum Dei, ac per ſe eſt viuæ vocis oraculum, quod ſequi & aſſumere debet ſemper Pontifex in omni dogmate fidei deducendo ex ipſa Sacra Scriptura, ſeu Verbo Dei, adhoc vt Pontifex dici poſſit per imitationem, Viuæ vocis oraculum, & Doctor Eccleſiæ ideſt loco Eccleſiæ docens, ſeu eorum quæ Eccleſia ex cathedra definiuit deducendo ex Sacra Scriptura Doctor. Papa enim vt Doctor loco Eccleſiæ non poteſt errare in iure: quia nihil de ſuo docet, niſi quæ deductiuè Eccleſia ex cathedra Conciliorum docuit in ſuis Concilijs & Decretis, quorum Papa Doctor eſſe debet. Nam ſi quando erraret (quod abſit) tunc potius erraret vt non Doctor, ſed vt indoctus; & ſolum vt Papa, ideſt vt exercens in facto iuriſdictionem pontificiam, non vero vt definiens in iure.

Obiectio notabilis.

CAPVT 8.

CAPVT 9.

Spirator Deus Becani qui ſit indiuiduum ſingulare neque tamen ſit formaliter Pater, neque filius, nen poteſt dari ex Sacra Scriptura.

Firmum ſit ergo, quod non poſſunt vere allegari duo loci Sacræ Scripturæ de fide ſapientes vtrique parti contradictionis, quin alter ſit verus & Catholicus, atque alter ſit falſus & diabolicus ſenſus, qui non niſi ex abſurdis eiuſdem Sacræ Scripturæ conſequentibus conuinci debet de fide Sit exemplum. Contendant Græci Proceſſionem Spiritus ſancti eſſe ex Patre ſeu ex ſolo Patre fontaliter, ingenitè, immediate, anarchicè, & procatarcticè, quia Chriſtus de tali anarchica productione fontali loquens Io. 14. dixit *Pater maior me eſt*, & Io. 16. *Spiritus ſanctus, quem ego vobis mittam à Patre*, non autem dixit, neque dicere potuit, *Quem ego mittam vobis à me, &c.* Econtra contendant Latini falſum eſſe talem ſenſum Græcorum, quia Chriſtus dixit. *Ego & Pater vnum ſumus ad extra: ergo vnum etiam ſumus ad intra.* Tunc alterutra allegatio eſt vera, atque altera eſt falſa & ſophiſtica, ſeu erronea in fide, & hoc non niſi ex abſurdis eiuſdem Sacræ Scripturæ cognoſci & impugnari debet. Primo, quia ſicut Pater & filius non poſſunt eſſe vnum principium perſonale ad extra; ſic neque ad intra. Secundo, quia vbi eſt multitudo agentium ſine ordine ibi eſt confuſio & imperfectio. Vnde in omnibus ſemper deueniendum eſt ad vnum tantum primum & immediatum negatiue ex S. Th. p.p.q.33. art. 4. ad 4. Vbi enim eſt ordo ibi eſt prius & poſterius, neque eſſe poteſt ſimultas principij perſonalis. Tertio, quia tale principium ſpiratiuum vel genitum ſeu productum, vel ingenitum eſſe debet ex S. Th. cit. *Ponere duos ingenitos, ſeu immediatos, & ponere duos Deos, &c.* Spirator ergo ſi ſit principium productiuum ingenitum, erit pater alter. Si vero ſit productum ſeu genitum; tunc vel erit filius alter, hoc eſt filius filij, ac Patris Nepos, vel erit alter Spiritus ſanctus, vtrumque eſt abſurdum. Quartò, ſi non habet propriam perſonam neque habet propriam exiſtentiam, ſed ſuam exiſtentiam habet à Patre, & filio ſeu à perſona Patris,

& filij,

Digitized by Google

& filij. & ſic habebit ēt eſſe à Patre & à Filio. & erit vel genitus, vel ſpiratus ab eis. Quinto ſi ad ſpirandum eget duplici perſona, ergo vna perſona eſt inſufficiens ad producendum. Sexto ſi ex aliena perſona quis agere poteſt, ergo diſtinguetur realiter eius relatiua formalitas ſeu entitas ſpiratiua, ab aliena perſona Patris, & Filij ſicut realiter diſtinguũtur ipſæ perſonæ. Septimo, quia prius eſt eſſe in ſe ac per ſe ſubſiſtere vt *Quod*, quam eſſe in alio ſeu operari. Octauo, quia ſi non ſubſiſtit vt *Quod*, neque perſonaliter operabitur vt *Quod*, neque referetur ad Spiritum ſanctum vt *Quod*. Nono, quia ſecus, ſubſiſtet vt Quò, & ſic non ſpirabit niſi vt Quo. Decimo quia ſicut Deus vt ſubſiſtens in tribus, non eſt productiuus ad intra, ſic neque vt ſubſiſtens in duobus. Immo vt ſubſiſtens in ſola perſona Patris nil ad intra producere poteſt. Generat enim Pater vt Pater eſt, ſeu vt Deus perſonalis eſt: non vero vt Deus imperſonalis ſeu eſſentialis eſt, &c. Ita pariter in alijs controuerſijs Sacræ Scripturæ, non niſi ex eadem Sacra Scriptura, eiuſque abſurdis dirimenda eſt lis omnis.

CAPVT 10. Dices ex Ariſtotelis Perihermenias. *De quolibet verum eſt affirmare, ſeu negare*. Eſt enim lex Oppoſitorum, quod vnum eſt verum, & alterum eſt falſum. Ergo etiam in opinionibus vna pars eſt vera, & altera eſt falſa. Et ſic dari poteſt in eis determinata veritas ac certum iudicium, ſeu Iudex. Non ergo dari poſſunt duæ opiniones ambæ incertæ, & dubiæ, ac fallacis iudicij, ſeu iudicis falſi, & iniqui. Reſpondeo primo, id omnino falſiſſimum eſſe in contingentibus ac probabilibus, non habentibus, ſeu non aſſumentibus medium neceſſariæ connexionis extremorum. Quoties enim ratio formalis connectendi extrema, eſt contingens, & non neceſſaria: tunc non poteſt ſciri à nobis, quia ſcientia eſt de neceſſario connexis, & æternis, ſeu æternæ veritatis. Vnde Animal, neque eſt album per ſe, neque nigrum, ſed vtrumque contingenter eſſe poteſt. Et de ijs, quæ ſunt vnum per accidens ſicut non poteſt eſse vna definitio, ſic neque eſſe poteſt certa & vna ſcientia, penes nos. Animal item, ſicut & quodlibet genus, neutra eſt differentia diuiſiua. Vnde neque Animal eſt rationale, neque irrationale, ſed vtrumque permiſſiuè & hinc dicimus; *Abſtrahentium, ſeu in actu ſignato, non eſt mendacium*. Habent ergo contingentia & probabilia extrinſecam veritatem, ſeu rationem veritatis, nimirum liberam & contingentem, non autem naturalem, & neceſſariam connexionem, dependentem nimirum à cauſa libera, ſiue Prima ſiue ſecunda, exempli gratia. *Cras erit mihi bellum felix ſi talis auis mihi fauſta apparebit, &c.* Contingentia item potius à poſteriori, & ex ſuppoſitione cognoſcuntur, quam à priori & abſolutè, non enim abſolutè habent cauſam naturalem connexionis eorum, vt patet ex libera Viſionis ſcientia Diuina reſpectu contingentium ſeu poſſibilium, ex libero decreto Dei cognoſcendorum: & ex naturali ſcientia ſimplicis intelligentiæ, reſpectu neceſſariæ eſſentiæ rerum.

Dices ſecundo, ex eodem Ariſtotele, *Ex eo quod res eſt, vel non eſt, oratio dicitur vera, vel falſa*. Quælibet ergo opinio vel eſt vera, vel falſa per conformitatem ad obiectum, ſeu ad rem ipſam. Reſpondeo contingentia quia non habent neceſſariam cauſam connexionis, ideo non poſse ſcire à priori, niſi à poſteriori, & ex ſuppoſitione ꝙ ita ſint. *Omne.n. quod eſt, dum eſt, neceſſe eſt eſſe:* ſed talis neceſſitas ex ſuppoſitione, non eſt ſcientia, quia eſt neceſſitas contingens, & non abſolutè neceſsaria vt requiritur in ſcientia. Nihil aliud eſt ergo veritas contingens, niſi veritas ad vtrumlibet, ſeu incerta ac cum formidine partis aduerſæ, ſeu non abſoluta veritas, aut nō ſimpliciter veritas ex parte noſtri, quia pendet à libero & contingenti decreto Dei.

Dices tertio, ex eodem Ariſt. cit. *Ex eo quod res eſt, vel non eſt, neceſſe eſt rem eſſe vel non eſſe.* Ergo etiam in opinionibus altera pars neceſsario eſt vera. Reſpondeo id valere in neceſsarijs ſimpliciter quæ cognoſcuntur à priori. E contra vero in neceſsarijs per accidens, ſeu ex ſuppoſitione id cognoſci ab effectu, ſeu à poſteriori: & ideo nō poſse aſsumi pro cauſa ſcientiæ, neque cognoſci per cauſam ſcientificam quæ aliter non poſſit ſe habere. Niſi per cauſam contingentem, & à poſteriori. Quæ potius eſt effectus contingens, vnde nil tale certa ſcientia, & cauſa neceſsaria cognoſci poteſt.

Quoties

Digitized by Google

Quoties ergo opiniones ſunt tantum probabiles, cum intrinſeca incertitudine, & eſſentiali formidine partis aduerſæ, toties id apertum eſt argumentum. Quod neutra eiuſmodi controuerſa opinio eſt de fide. Item eſt argumentum quod id Deus noluerit reuelare de fide ſeu noluerit nobis eſſe certo de fide credendum. Quia id Deus ſibi ſoli reſeruauit. Vnde à nullo alio reuelari poteſt, quia à nullo alio certo ſciri poteſt, niſi à ſolo Deo Patre ſicut *de die iudicij nemo certa ſcit neque filius hominis niſi ſolus Pater*, quia ipſe ſolus Pater facit filium ſcientem. Vnde dicitur *Pater maior me eſt* maioritate fontalis ſcientiæ. Neque recurrendum eſt ad miracula, ſeu miraculoſam reuelationem aliquam extra Sacram Scripturam; nam quærere miracula extra Sacram Scripturam, eſt tentare Deum circa ea occulta, quæ Deus nulli reuelare voluit, ſed ſibi ſoli ſecreta & nota eſse voluit. Vnde temerarium eſt ea reuelare velle quæ Deus reuelare noluit: vel occulta ea ſcire contendere, quæ non niſi ſolus Deus ſcit.

Hinc eſt quod in ſolum probabilibus, non poteſt dari per Eccleſiam reuelatio vlla fidei extra Sacrã Scripturã. Quare ſi alicubi id reuelare tentat Pontifex, ſeu Concilium, id non poteſt eſse dogma fidei explicitæ niſi demonſtratiua euidentia theologica deducatur tanquam reuelatum implicitè ex præmiſſis Sacræ Scripturæ. Sic decretum Concilij Baſilienſis de Conceptione B. Virginis; valet vt ſola opinio, cum incertitudine, & formidine partis aduerſæ, quia non eſt deductum ex Sacra Scriptura. Immo eſt contra S. Thomæ ſanam doctrinam, ex Sacra Scriptura ſatis orthodoxè & ex ſcientifica deductione theologaliter illatam & probatam.

Dices quarto, ſicut olim dabatur viuæ vocis Oraculum loquente ſybilla, & diuino ſpiritu de quacunque re conſulebatur, cur nunc non dari debet idem viuę vocis Oraculum? numquid Papa non eſt maior ſybillis? Reſpondeo, datur nunc viuæ vocis Oraculum Diuinum, quod eſt Papa, dum tamen loquitur ex Oraculo viuæ vocis Sacræ Scripturæ, & ex implicitis præmiſſis deducit explicitas fidei concluſiones. Maneat ergo in contingentibus, & probabilibus reduplicatiuè non poſse dari certitudinem aliquam fidei extra Scripturam, neque ex ipſa Sacra Scriptura quæ non fuit reuelata probabiliter, neque probabilis eſse poteſt tantum, ſeu incerta, ſecus non eſſet à Spiritu ſancto; & oppoſitum eſt maxima proteruia aduerſariorum ac deceptio fidelium, ſeu adulatio, & illuſio Pontificum Romanorum. In contingentibus enim ſeu probabilibus ex defectu neceſſariæ connexionis, vtraque pars vera, & vtraque pars falſa eſſe poteſt. Subſtantia enim, corporea, & incorporea eſſe poteſt, quia ſpecies accidunt generi. ſic Oratio vera, & falſa in genere eſſe diſiunctim, non vero diſiunctiue. & Animal tam rationale, quam irrationale eſſe valet, quia ab vtroque diſtinguitur ex natura rei. Sic in accidentalibus ſeu probabilibus, quæ vtrumque eſſe poſſunt, vtraque pars verificari, aut vtraque pars falſificari poteſt, ex defectu neceſſariæ connexionis, ſeu ex contingenti connexione, & permiſſione, ſeu ex non repugnantia vtriuſque. In contingentibus itaque ſeu probabilibus opinionibus, reſpectu noſtri ignorantium, vel non aſſumentium neceſſariam cauſam connexionis eſſentialis, vtraque pars contraria, contingens eſſe poteſt, ac verificari, ſeu falſificari valet; quia æquè eſt indifferens ad vtrumque illud medium contingens. neque valent obiectiones illæ ex Ariſtotelis Perihermenias, vt in ſequenti quæſtiuncula Immaculatæ Conceptionis B. Virginis, quæ vtrinque probabiliter defendi poteſt, ſi vtrinque probabile duntaxat Medium aſſumatur pro ratione formali.

QVAESTIVNCVLA TERTIA de Immaculata Conceptione B. Virginis.

Ad mentem SS. Patrum Græcorum pro defenſione doctrinæ S. Thomæ, abſque vllo præiudicio partis aduerſæ, ad præſcriptum Bullæ Xyſti Quarti. In gratiam Eminentiſſimi Cardinalis ANTONII BARBARINI, Sanctiſſimi Domini Noſtri VRBANI VIII. Nepotis Meritiſſimi, ac Ordinis Prædicatorum Protectoris Ampliſſimi. Sub Cenſura Eminentiſſimi Patris AVGVSTINI Cardinalis de Oregio: & Reuerendiſſimi Patris NICOLAI de RIDOLFIS Generalis Magiſtri Dominicanorum.

SCopus huius quæſtiunculæ eſt, quod hypothetica eſt doctrina S. Thomæ. Si enim Conceptio B. Virginis fuit immaculata negatiuè ſicut fuit Conceptio humanitatis Chriſti: tunc non fuit verè & propriè redempta B. Virgo, ſicut neque humanitas Chriſti verè & propriè potuit pœnaliter redimi, ex ſuppoſitione, quod vtraque humanitas fuerit ab æterno in perpetuo ſtatu innocentiæ, amicitiæ, ſeu libertatis præſeruata ab omni poſſibili peccato. E contra verò ſi B. Virgo verè, ac propriè, & pœnaliter fuit redempta: tunc Conceptio eius verè fuit immaculata priuatiuè, à contrario in contrarium quia verè fuit captiua. Qua catholica hypotheſi ſeu deductione S. Thomæ nil poteſt dici magis orthodoxum, magiſque catholicum. Falſum eſt enim dari poſſe præſeruatiuam redemptionem pœnaliter per mortem Innocentis Agni Dei de toto rigore iuſtitiæ vindicatiuæ ſatisfactiuam in ſtatu, ſeu pro ſtatu præſeruato ab æterno innocentiæ, & gratiæ ſeu amicitiæ humanitatis B. Virginis, ſeu Chriſti Domini, ſeu creationis Adæ, & Euæ aut Angelorum, etiam poſt præuiſum peccatum Angelorum ſeu hominum. Talis enim pœnalis redemptio pro tali ſtatu non ſolum ſuperuacua & fruſtratoria, ſed etiam iniqua & iniuſta ante culpam incurſam immo ante vllam poſſibiliter incurrendam culpam in tali ſtatu innocentiæ ab æterno præſeruata.

CAP. II. Hypothetica eſt doctrina S. Thomæ de Conceptione B. Virginis.

Pro plena expoſitione doctrinæ S. Thomæ ſuppono primo ipſam hypotheticam eſſe, ac ſatis orthodoxam, ſyllogiſmus enim omnis categoricus, ad hoc vt iuxta eius definitionem, ſit vna oratio ad hypotheticum reducitur; nam veritas categorici dependet ab hypotheſi. Conceptio itaque immaculata B. Virginis, vel fuit immaculata negatiuè ſicut & humanitatis Chriſti, ſeu creatio Adæ, & Euæ, ſeu Angelorum, & ſic non indiguit redemptione. Vel Immaculata fuit priuatiuè à contrario in contrarium. & ſic indiguit redemptione, ſicut & nos qui in Baptiſmo euadimus immaculati coram Deo. Item B. Virgo ſi fuit verè redempta, tunc verè fuit in ſtatu corrupto: ſeu verè fuit captiua, cum illo ſingulari priuilegio per ſolum inſtans temporis ſeu naturæ ſiue in anima, ſiue in corpore incurriſſe infectionem carnis Adamicuæ. Econtra verò ſi non fuit verè redempta, neque conſequenter fuit verè captiua. Item B. Virgo vel fuit in ſtatu innocẽtiæ præſeruata ab omni poſſibili peccato in creatione animæ eius ſicut in creatione Adæ, & Euæ, ſeu animæ Chriſti ſeu Angelorum. & ſic principalis præſeruatio culpæ, attulit ſecum acceſſoriam præſeruationem ab omni pœna. In ſtatu enim innocẽtiæ impoſſibilis eſt culpa, ſeu inimicitia, ſeu mors, & offenſa, ſeu captiuitas, ſeu pœna peccati. & ſic non indiguit Redemptione, eiuſque Conceptio fuit immaculata negatiuè. Vel è contra B. Virgo non fuit ſemper in ſtatu innocentiæ, & ſic verè fuit redempta pretioſo ſanguine Chriſti, ac verè Eccleſia cantat ly *Chriſte Redẽptor omnium ſine vlla exceptione B. Virginis. & illud ex Symbolo, Qui propter nos homines, & propter noſtram ſalutem, deſcendit de cælis, natus paſſus, & mortuus eſt, &c.* abſque

vlla

Digitized by Google

vlla exceptione B. Virginis. Item ſi B. Virgo fuit in ſtatu corrupto, capax fuit Sacramenti & characteris Baptiſmi, qui fluxit ex ſanguine Chriſti, ſecus incapax fuit Sacramenti, vel gratię Chriſti Redemptoris, &c. Qua orthodoxa doctrina hypothetica S. Thomæ, nil dici poteſt magis orthodoxum, magiſque catholicum, neque contradicere poteſt Scotus tali catholicæ doctrinæ hypotheticæ, vt plenius patebit infra. Item ſi B. Virgo perfectè reconciliata fuit Trinitati, perfectè quoque inimica fuit Trinitatis. Quæ ſunt conſequentiæ neceſſariæ, & à nullo, niſi à proteruis negari, ſeu impugnari poſſunt.

Redemptio pœnalis non potuit fieri pro B. Virgine ſi ab æterno fuit in ſtatu innocentia.

Suppono ſecundo, quod pœnalis Redemptio Chriſti, per mortem eius innocentis Agni Dei, de toto rigore iuſtitiæ vindicatiuæ ſatisfactoria, ac ſolutiua rigoroſi pretij, non potuit intercedere in ſtatu integro, ſeu in ſtatu innocentiæ Angelorum, ſeu hominum Exempli gratia pro creando Adam, & Eua, ſeu anima Chriſti, ſeu Angelis in ſtatu innocentiæ non opus fuit redemptione Chriſti. Immo in tali ſtatu vana fruſtratoria, indebita, ſeu indigna. immo iniuſta fuiſſet talis redemptio, per mortem innocentis Agni Dei, de toto rigore iuſtitiæ vindicatiuæ ſatisfactiua, ac placatiua Trinitatis in eo ſtatu in quo nulla fuiſſet poſſibilis inimicitia, neque captiuitas, culpa ſeu offenſa, &c. Fuiſſet. n. tunc Deus iniuſtus exactor pęnæ indebitæ, vbi nulla interceſſiſſet culpa. Vnde ſi poſt præuiſum peccatum Angelorũ ſeu hominũ, voluiſſet Deus vtramque naturam præſeruare ab omni poſſibili peccato; ad hoc ſuffeciſſet gratia Chriſti Capitis prædeſtinandorum, & non opus fuiſſet pœnali redemptione Chriſti, de toto rigore iuſtitiæ vindicatiuæ ſatisfactoria. Quia in tali hypotheſi fuiſſet iniuſta & iniqua, ſeu vana, & fruſtratoria redẽptio pœnalis. Sic in B. Virgine præſeruata.

Pęnalis redemptio tam ſubleuatiua, quàm præſeruatiua, in ſolo ſtatu corrupto dari poteſt.

Suppono tertio, quod pœnalis Chriſti Redemptio, tam præſeruatiua cum dono perſeuerantiæ, ſeu confirmationis in gratia vt in B. Virgine & Apoſtolis; quam ſubleuatiua ab incurſu peccato; in ſolo ſtatu naturæ corruptæ hominum dari poteſt, non vero in ſtatu corrupto Angelorum malorum. Vnde in ſtatu integro Angelorum, ſeu hominum (ſi in ſtatu integro eos omnes præſeruare voluiſſet Deus) ſeu pro creatione animæ Chriſti, ac Adæ, ſeu Euæ, non potuit dari Chriſti redemptio, neque ſubleuatiua, neque præſeruatiua per mortem Innocentis Agni Dei, de toto rigore iuſtitiæ vindicatiuæ ſatisfactoria, quia iniuſta, & iniqua fuiſſet talis redemptio & ſolutio pretij rigoroſi ante vllam culpam, & captiuitatem in ſtatu nimirum vbi impoſſibilis erat culpa, & impoſſibilis captiuitas, ac conſequenter impoſſibilis redemptio pœnalis, ne dum vana, & fruſtratoria.

Aequiuoca & impropria ſeu falſa eſt redẽptio præſeruatiua in ſtatu innocentia.

Suppono quarto, diſtinctionem illam Redemptionis pœnalis Chriſti in ſubleuatiuam ac præſeruatiuam ſtatus corrupti, male applicari in ſtatu innocentiæ Angelorum, ſeu hominum, ſeu creationis animæ Adæ, & Euæ, aut Chriſti Domini, &c. quia æquiuoca eſt Redemptio: & potius eſt ſola præſeruatio abſque vlla vera captiuitate, ſeu inimicitia, ſeu culpa: quia ibi impoſſibilis eſt culpa, ſeu offenſa, ſeu captiuitas & mors, ſeu inimicitia. Vnde æquiuocatio eſt magna in tali redemptione. In æquiuocis autem latent deceptiones. ſic dicitur Pſ. 140. *Redemiſti Domine ſeruum tuum de gladio maligni, & Redime me Domine à calumnijs hominum, &c.* id eſt *Preſerua me.* Et ideo iure optimo Medina in hac materia, modum hunc redimendi ait eſse falſum & temerarium, licet gratis impugnetur à Fauentino in 3. diſt. 3. diſput 10. num. 11. SS. *Nota quod Medina, modum hunc redimendi dicit eſſe falſum, & temerarium, &c.* *Medina.*

Suppono quinto, falſificari quamcunque propoſitionem vniuerſalem, ad contrariam inſtantiam vnius duntaxat contrarij ſingularis, quia ad deſtruendum ſufficit vnum, ſecus verificabuntur duæ contradictoriæ, vt *Omnes in Adam peccauerunt, & egent gratia Chriſti, & non omnes in Adam peccauerunt.* Ad hoc ergo vt eiuſmodi propoſitiones vniuerſales Sacræ Scripturæ de natura corrupta, verificentur omnes vniuocè intelligi debent termini talis propoſitionis tam in vniuerſali, quam in omnibus indiuiduis: ſicut ly *Omnis homo mendax.* quod eſt de fide, tam in vniuerſali, quam in particulari, quia agitur de natura corrupta hominis. *Omnis inquam homo*, ex humano mo-

do infectæ Adamieuæ ſeminationis, & complacentiæ carnis natus, mendax eſt ex ſua naturali inclinatione, magis procliuis ad malum, quàm ad bonum. Omnis enim caro corruperat viam ſuam. Vnde ſpectata natura corrupta *non eſt qui faciat bonum, non eſt vſque ad vnum*. Ex qua generali loquutione non poteſt excipi Chriſtus, quia non eſt incluſus in Adamieua ſeminatione, ſeu generatione. ſic ly *Omnes naſcimur natura filij iræ, natura* ideſt Omnes ex naſcitura Adamieuæ complacentiæ, & ſeminationis in ſtatu corrupto, & ſic neque includi poteſt Chriſtus. & *Omnes egent gratia & gloria Chriſti, & Omnes in Adam peccauerunt, & ſicut omnes in Chriſto reuiuiſcunt, ſic omnes in Adam, ſeu propagatione Adamieua moriuntur*, ſic ly *Chriſto Redemptor omnium* hominum humano modo Adamieuo propagatorum. & illud ſymboli, *Qui propter nos homines, & propter noſtram ſalutem deſcendit de cœlis*, & ly *Chriſtus mortuus eſt pro omnibus ergo omnes mortui ſunt &c.* Ex quibus locutionibus non excipitur Chriſtus homo, quia nō includitur in humana naſcitura, quo ad modum Adamieuæ ſeminationis, & complacentiæ ſtatus corrupti. In his ergo conſequentijs, rationabilibuſque argumentis, & loquutionibus generalibus, à Spiritu ſancto intentis, termini vniucè ſumendi ſunt tam in antecedente, quam in conſequente. hoc eſt vel cum æquali exceptione B. Virginis in antecedente ſimul & in conſequente; vel cum æquali incluſione eius vtrobique. Sed per Aduerſarios ipſos erroneum eſt in fide excludere B. Virginem ab antecedente illo, *Chriſte redemptor omnium (excepta B. Virgine) Omnes egent gratia & gloria Chriſti redemptoris (excepta B. Virgine) ſicut in Adam omnes moriuntur (excepta B. Virgine) ſic omnes in Chriſto viuificantur (excepta B. Virgine)* Ergo pariter erroneum eſt in fide excludere B. Virginem à conſequente illo, *ſi Chriſtus pro omnibus mortuus eſt* (non excipiendo B. Virginem) *ergo omnes mortui ſunt* (non excipiendo B. Virginem) Verba itaq; hæc generalia, generaliter intelligenda ſunt, de generali modo corruptæ conceptionis humanæ ſecus verificabuntur duæ contradictoriæ propoſitiones, ac falſificabitur ipſa Sacra Scriptura. ſi enim verum erit ly *Omnes in Adam peccauerunt* (excepta B. Virgine) ergo eius contradictorium illud, *Non omnes in Adam peccauerunt*: pariter erit verum. Et ſic falſum erit ly *Omnes (homines humano modo geniti) in Adam peccauerunt*. ſi verum erit eius contradicens, *Non omnes in Adam peccauerunt*. Non ergo à generalibus loquutionibus illis, *Nemo mundus à ſorde, &c.* loquendo de hominibus (non miraculosè, ſed humano modo genitis) excipi poteſt B. Virgo in conſequente; niſi ſimul excipiatur in antecedente. ita vt non fuerit humano modo ex Adamieua ſeminatione, ſed miraculosè de Spiritu ſancto concepta. ſicut & Chriſtus Deus, & ambo excipiantur, vt non homines humano modo geniti.

Non poteſt excipi in conſequēte, quod nō includitur in antecedente.

Suppono ſexto. quod maior eſt gloria naturæ humanæ inuiſæ Deo poſt corruptionem tamen exaltatā fuiſse ſupra choros Angelorum per Aſsumptionem B. Virginis, quam ſine corruptione & ſine inimicitia, ſed potens in gratia præexiſtentem, mox aſsumptam, & exaltatam fuiſse comparem Angelorum. Sic maior eſt gratia & gloria B. Mariæ Magdalenæ reſurgentis à peccato actuali, & originali: quam ſit gloria paruuli cum ſolo Baptiſmo decedentis. Vnde Chriſtus ait, *Gaudium eſt in cœlo, ſuper vno peccatore pœnitentiam agente* (à peccatis nimirum actualibus) *quàm ſupra nonaginta nouem iuſtos à culpis actualibus*. Confirmatur quia magis Deus dilexit Mariam Magdalenam, cui plus dimiſit, quàm paruulos, quibus minus dimiſit, & maius beneficium amoris, & honoris Chriſtus per ſuam œconomiam contulit corruptæ naturæ humanæ, quàm integræ naturæ Angelicæ, quam noluit aſsumere, neque redimere per proprij ſanguinis emptionem, ac effuſionem. Vnde ſi Deus redemiſset Angelos malos, magis eos dilexiſset, quam bonos, quia maiorem gratiam, & gloriam eis conceſſiſset iuxta viuæ vocis oraculum illud Chriſti Luc. 7. *Cui plus dimittitur, plus diligit. & Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum.* & Io. 6. dicitur, *Ego veni, vt vitam habeant & abundantius habeant*. Quia redemptio maiorem gratiam, & gloriam præſtat, quam præſeruatio paruulorum ab actualibus.

Maior eſt gloria B. Virginis exaltaſſe Adamieuam miſeriam, quàm integritatem.

Suppono ſeptimo, quod B. Virgo vere orabat in Pater noſter ly *Dimitte nobis debita noſtra*.

Nō enim Deus permittit ma-

ta noſtra, & Ne nos inducas in tentationem, &c. quod intelligitur de pœnis ſeu pœnalitatibus peccati originalis, cuiuſmodi ſunt dolores, morbi, mors, &c. ac priuatio aperitionis cœlorum. Quam priuationem non incurrerunt Angeli, quibus ſemper aperti, non vero clauſi neque denegati fuerunt cœli. ſic & B. Virgo ſi in eodem ſtatu innocentiæ poſita fuiſſet, non ſibi denegari potuiſſet ianua cœlorum, ſi ante Chriſtum deceſſiſſet.

lum in prædeſtinatis, niſi vt inde eliciat maius bonum ſupp.

CAP. 12.

Suppono octauo, quod prius natura eſt actus primus, quam actus ſecundus. ſicut prius eſt eſſe, quam operari. Sic prius natura anima fieri debet vnum & ens cum corpore, tanquam forma ſpecificans materiam, quam mundet ac ſanctificet compoſitum & reijciat ab eo maculam aliquam Adamieuæ pollutionis, ſeu culpæ, ſeu pœnæ, ac maledictionis, ac poteſtatis Diaboli, qui ex peccato Adæ factus fuit princeps huius mũdi, ne dum corpuſculi illius, ſeu infectæ carnis & embrionis B. Virginis. materialiter enim peccatum originale eſt in polluta ſeminatione Adamieua. Vnde in primo inſtante, quo anima infunditur corpori non potuit anima B. Virginis ſimul fieri vnũ & ens aſſumendo infectum corpuſculum, ac ſimul reijcere ab illo omnem pollutionem Adamieuæ infectionis, ſecus in eodem inſtanti fuiſſet ſub vtroque termino, & vtraque perfectione, & imperfectione, ac proinde aſſumpſiſſet, & non aſſumpſiſſet Adamieuã carnem, ac ſimul facta fuiſſet vnum & ens cum natura & naſcitura Adameua, ac non facta fuiſſet ens & vnum cum ea. Quare B. Bernardus epiſt. 178. ad Canonicos Lugdunenſes ait, *B. Virgo ante Conceptionem eius non potuit ſanctificari, quia non erat; neque in ipſo conceptu propter peccatum, quod materialiter inerat. Reſtat ergo vt poſt conceptionem ſanctificata eſſe credatur: & Regina Angelorum titulis cumulata ſuis, falſo non eget honore, &c.* Confirmatur nam ideo Chriſtus prius purificauit naturam humanam, de Spiritu ſancto conceptam, extra Adamicuam generationem, quam illam infectam aſſumeret, quia in eodem inſtanti non potuiſset ſimul aſſumere infirmam naturam ac ſanare, ac ſimul recipere & ſimul reijcere maculas eius, neque valet paritas (immo diſparitas) ſolis in aere, in primo inſtanti illuminantis illum, quia lumen non habet contrarium: neque ex ſole & aere fit vnum & ens per ſe, ſicut ex anima & corpore fit vnum.

In primo inſtanti non potuit ſimul aſſumi, & reijci Adamieua corpulentia infecta.

Suppono nono, quod B. Virgo incurrit ſaltem materiale peccati originalis propter quod *Omnes naſcimur natura filij iræ*, quo ad primam materialem conceptionem ſeminum. Naſcimur enim ſub maledictione Dei, ac naſcimur ſub poteſtate principis huius mundi. Confirmatur, quia dandum eſt diſcrimen inter impeccabilitatem naturæ humanæ Chriſti, ac B. Virginis, licet vtraque natura humana, ex ſola gratia facta fuerit impeccabilis ſine vllis præuijs meritis ex S. Th. 3. p. q. 7. art. 9. cor. & art. 13. ad primum, & q. 23. num. 3. corp. humana ergo natura Chriſti fuit omnino impeccabilis in quocumque inſtante temporis & naturæ. Econtra vero humana natura B. Virginis fuit peccabilis ſaltem in primo inſtante naturæ. Inſtans vero naturæ, eſt inſtans cauſalitatis. ergo in primo ſaltem inſtante naturæ B. Virgo habuit cauſam peccati originalis.

B. Virgo incurrit materiale peccati originalis, quod nõ potuit reijci in primo inſtãti.

Suppono decimo, falſam eſſe doctrinam illam Fauentini (pace eius) in 3. diſt. 3. diſp 10. quod perfectiſſimus Mediator, ſeu Redemptor pœnalis non ſolum eſſe debet ſubleuatiuus, in natura lapſa, ad hoc vt perfectiſſimè reconciliet Trinitatem cum perſona redempta; ſed etiam eſse debet Mediator præſeruatiuus in ſtatu innocentiæ, & ſic eſse debuit in B. Virgine. Partus enim ancillæ captiuæ tunc dicitur perfecte reconciliatus irato Domino ſuo, ſi in gratiam alicuius pretium de toto rigore iuſtitiæ vindicatiuæ ſoluentis, naſcatur liber, non vero ſeruus, & captiuus ex Fauentino & Suario. ſed contra, quia vt iuſta ſit exactio pretij, pro libere naſcituro partu neceſse eſt, quod conceptus ſaltem præceſserit captiuus. ſi enim conceptus fuiſset liber, ſicut in omnibus alijs liberis: tunc partus non potuiſset redimi, tanquam captiuus. Secundo B. Virgo non potuiſset perfectè reconciliari Trinitati, ſi nunquam eius inimica fuiſset; ſed ſemper in ſtatu gratiæ, & amoris, ſeu innocentiæ fuiſset.

Falſum eſt redemptionẽ non factam fuiſse perfectiſſimè niſi B. Virgo præſeruata fuiſset pœnaliter.

Blaſphe-

Digitized by Google

Blaſphemum eſt enim nedum in vllum, ſi ante vllam in tali innocentiæ ſtatu, captiuitatem poſſibilem exigatur redemptio de toto rigore iuſtitiæ vindicatiuæ per mortem Innocentis Agni Dei. Præterea pro peccatis futuris ex ſuppoſitione ſeu poſſibilibus, nemo poteſt iuſtè puniri neque reconciliari, neque redimi, ante contractam culpam. Et ſic pueri morientes ſine Baptiſmo, non poſſunt damnari pęna ſenſus pro futuris, ſeu poſſibilibus præuiſis peccatis. quia non eſt peccatum, niſi ſit voluntarium, & actuale, ſeu formale in anima. Non potuit ergo anima B. Virginis verè, neq; iuſte redimi de toto rigore iuſtitiæ vindicatiuæ, ita ante incurſionem vllam, ſicut poſt incurſionē peccati originalis B.V. Quid enim amplius exegiſset Deus à Chriſto redemptore poſt incurſum peccatum originale, ſi de toto rigore iuſtitiæ vindicatiuæ ante peccatum, per mortem Innocentis Agni exactor ita rigidus fuit Deus pretij ante captiuitatem pro B. Virgine, ſeu pœnæ ante culpam? Neque enim ſatisfieri poteſt Deo pro culpa futura per pœnam præcedentem: nam id iniquum, & iniuſtum eſt. Quamquam ergo poſt præuiſum peccatum hominum & Angelorum, debebat ex ſuppoſitione infalibiliter cadere tam homo, quàm Angelus; hoc tamen debitum peccati futuri, ſeu poſſibilis non potuit indifferenter redimi per mortem Innocentis Agni Dei, de toto rigore iuſtitiæ vindicatiuæ, ita ante incurſionem ſicut poſt incurſionem. Quia peccata mere poſſibilia ſeu futura, non ſunt reatus animæ, quia de ratione peccati eſt, vt ſit voluntariè commiſsum, ſaltem interpretatiuè.

Confirmatur quia erroneum eſt in fide ſentire & docere cum Fauentino in 3. diſt. 3. diſp. 10. num. 13. quod peccata poſſibiliter futura, ſint peccata ac reatus animæ, & indigeant redemptione Chriſti de toto rigore iuſtitiæ vindicatiuæ, ad hoc vt deleantur. Neque valet adducta authoritas, & doctrina Auguſtini, quia illam retractauit Auguſtinus. Per paſſionem ergo Chriſti, non fuerunt redempta poſſibilia peccata B Virginis, quia ſicut non fuerunt voluntaria peccata ante actualem conſenſum, & incurſionem; ſic neque fuerunt verè redempta. Et maxima fit iniuria B. Virgini ſentire, & docere, quòd ita redempta fuerit à peccatis poſſibilibus, per mortem Innocentis Agni Dei de toto rigore iuſtitiæ vindicatiuæ, ante incurſionem, ſicut factum fuiſset poſt incurſionem. Item maxima Blaſphemia profertur contra Deum, quod ita rigidus & iniuſtus, atque iniquus ſit exactor pœnæ ante culpam, de toto rigore iuſtitiæ vindicatiuæ: ſicut poſt culpam. Item ſi peccata poſſibilia in prædeſtinatis delentur & redimuntur, ergoècontra in præſcitis paruulis, ſeu adultis remanent ad vindictam & pœnam æternam ſenſus.

Concluſio vnica.
CAP. 12.

His præmiſſis deuenio ad Concluſionem vnicam ex doctrina Scoti deſumptam in 3. d. 3. q. 2. Vera nimirum & ſatis orthodoxa eſt doctrina ſubtiliſſimi Doctoris cit. q. 1. § *Ad quæſtionem dico, quod vtrumque eſſe potuit; & quod B. Virgo Concepta fuerit in peccato; & quod non concepta fuerit in peccato. Vnde Deus ſcit, quæ nam contradictionis pars ſit vera in hac quæſtione. Sed niſi Sacræ Scripturæ, & authoritati Eccleſiæ repugnet; excellentius eſt tribuere Mariæ præſeruationem à peccato originali, quàm redemptionem ſubleuatiuam; &c.* hæc recte monet Scotus. Sed repugnat Sacræ Scripturæ, & authoritati Eccleſiæ tribuere B. Virgini præſeruationem ſimul & pœnalem redemptionem, quia hoc implicat contradictionem. ergo.

Probatur primo minor, nam Eccleſia ait B. Virginem verè pęnaliter redemptam fuiſse à Chriſto redemptione ſubleuatiua dum generaliter ait *Chriſte redemptor omnium*, ſecus verificaretur eius contradictorium, *Chriſte non redemptor omnium hominum*, humana nimirum naſcitura Adamicua genitorum, abſque vlla exceptione B. Virginis. & ly *Qui propter nos homines, & noſtram ſalutem deſcendit de cœlis, &c.* abſque vlla exceptione B. Virginis. *& Omnes egent gratia, & gloria Chriſti redemptoris* abſque vlla exceptione B. Virginis. *& ſicut omnes homines in Adam moriuntur, ſic in Chriſto omnes viuificantur*, abſque vtrobique vlla exceptione B. Virginis. *& Si Chriſtus mortuus eſt pro omnibus*, abſque vlla exceptione B. Virginis, *ergo omnes mortui ſunt.* Vbi ly *Omnes* vniuocè ſumi debet tam in antecedente, quàm in conſequente, vt vera

ſit illatio

ſtillatio à Spiritu ſancto intenta, quare ſi exceptio fieri debet in antecedente, ita & in conſequente, & è contra, ſi exceptio apponenda eſt in conſequente, ita & in antecedente. Sed etiam per ipſos Aduerſarios erroneum eſt in fide, ſentire quòd antecedens illud intelligi poſſit cum exceptione B. Virginis, ergo ita pariter in conſequente erroneum eſt in fide ipſum intelligere cum eadem exceptione B. Virginis.

Probatur ſecundo, quod repugnet Sacræ Scripturæ, & authoritati Eccleſiæ, excipere B. Virginem à iuſtiſſima Dei lege Adamieuæ generationis corruptæ, quia hoc eſſet ipſam excipere à beneficijs Redemptionis Chriſti, eiuſque gratiæ participatione, ac characteris Sacramenti Baptiſmi, & conſignationis ouis Chriſti in die Pentecoſtes, ac poteſtate rubricandi genas ſuas ſanguine Chriſti, & ſaginandi ac foecundandi animam ſanguine, & corpore Chriſti ipſumque quotidie ſumendi ſub ſpeciebus panis & vini, quæ poteſtas habetur per Sacramentum Baptiſmi. Quamuis autem hæc exceptio videatur Aduerſarijs pertinere ad dignitatem Matris, derogat tamen dignitati Filij ex S. Th. 3. p. q. 27. art 3. corp. § *Quamuis hæc poſitio immunitatis à peccato pertinere videatur ad dignitatem B. Virginis: derogat tamen in aliquo dignitati Filij, ſine cuius virtute nullus à prima damnatione liberatur, &c.* Et art. 2. corp. § *Si B. Virgo non incurriſſet maculam culpa originalis, non indiguiſſet redemptione, & ſalute, qua eſt per Chriſtum, de quo Matth. 1. Ipſe ſaluum faciet populum ſuum à peccatis eorum, &c.* Licet itaque Chriſtus pro omnibus liberandis mortuus ſit: principaliter tamen pro B. Virgine ſua dilectiſſima incarnatus & paſſus eſt, ad dignitatem maternitatis ei tribuendam, etiam in ſtatu corrupto. Mortuus eſt enim Chriſtus pro inimicis ſuis, non autem pro amicis, neque pro ſtatu amicitiæ, & gratiæ, ſeu innocentiæ ex Apoſtolo ad Rom. 5. § *Commendat autem charitatem ſuam Deus in nobis, quoniam cum adhuc peccatores, & inimici eius eſſemus, reconciliati ſumus Deo per mortem Filij eius, &c.* Comparatiuè ergo Chriſtus ſicut magis mortuus eſt pro prædeſtinatis, quam pro præſcitis, ſic inter prædeſtinatos magis mortuus eſt pro ſua dilectiſſima matre, quam pro alijs. Neque dicas quod Matri debebatur ſumma puritas in ſtatu corrupto, ſicut in ſtatu integro, quod eſt impoſſibile, & contradictorium, nam talis eius ſtatus corruptus, non fuiſſet corruptus ſed integer: debebatur autem ſumma puritas, compoſſibilis tamen tali ſtatui corrupto per collationem maioris gratiæ.

Probatur tertio, talis repugnantia Sacræ Scripturæ, & authoritatis Eccleſiæ, in excipienda B. Virgine à iuſtiſſima Dei lege Adamieuæ generationis corruptæ. Nam Eccleſia de ſolo Chriſto prædicat quod fuerit Agnus Dei, ſeu Immaculatus negatiuè. Item de ſolo Chriſto prædicat quod ſuſtulerit peccatum mundi, id eſt peccatum originale, & conſequenter ſanauerit naturam infectam, ipſam aſſumendo immaculatam, & quod in hoc ipſe ſolus, & primus Agnus Dei triumphauerit de peccato originali, & captiuam ducendo captiuitatem in cœlos eam ipſe ſolus primus & vnus immaculatam negatiuè præſentauerit in conſiſtorio Sanctiſſimæ Trinitatis, de quo Ioannes dixit *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi*, vt in textu græco id eſt peccatum originale, & fontale germen omnium aliorum peccatorum. Quod omne falſum fuiſſet, Si B. Virgo prius triumphaſſet de peccato originali, quàm Chriſtus, & ſi prius ab humana carne aſſumpta reieciſſet peccatum originale, quàm Chriſtus, ac prius fuiſſet Agnus Dei (ſeu Agna Dei) tollens peccatum mundi quod repugnat Sacræ Scripturæ Vnde S. Th. 3. p. q. 31. art 1. corp. § *Reſpondeo dicendum quod Chriſtus humanam naturam aſſumpſit, vt eam à corruptione purgaret. Non indigebat autem natura humana purgatione niſi ſecundum quod infecta erat, per originem vitiatam, qua ex Adam deſcendebat: & ideo conueniens fuit, vt carnem aſſumeret ex materia ab Adam deriuata, vt ipſa natura per aſſumptionem curaretur, &c.* Non ergo Chriſtus recepit naturam humanam à B. Virgine ſanatam, & curatam ac ab originali peccato prius purgatam; ſed ipſe primus purgauit eam ac ſanauit, factus caro ſancta, & immaculata, quia non inuenit ſublatum peccatum mundi, ſed ipſe primus ſubſtulit ac triumphauit de eo. Vnde Chriſtus dixit *Gloriam meam* (primatus in triumphando de peccato originali)

alteri non

alteri non dabo. Sicut ergo primum B. Virgo aſcendens ad cœlos corruptam naturam humanam euexit ſupra choros Angelorum: ſic Chriſtus primum eandem naturam, immunem à peccato originali exaltauit ad dexteram Patris. Primum autem in vnoquoque genere eſt maxima dignitas & gloria, ſeu priuilegium, quo non erat priuandus Chriſtus. Vnde S Th. 3. p. q. 27. art. 3. corp. § *B. Virgo neque immunis fuit à peccato originali, neque habuit vſum liberi arbitrij per modum permanentis in vtero exiſtens, hoc enim eſt ſpeciale priuilegium Chriſti* qui dixit *Gloriam meam alteri non dabo*. Confirmatur quia diſcrimen aliquod intercedere debuit inter immaculatam Conceptionem Chriſti, & immaculatam Conceptionem B. Virginis, vt fuſius probat Magiſter Lezzaua Carmelita. nullum autem aliud diſcrimen aſſignari poteſt, niſi quia Chriſtus in nullo priori naturæ ſeu temporis cauſam habuit peccati originali: B. Virgo autem habuit cauſam ſaltem in aliquo priori naturæ. ſed prioritas naturæ, eſt prioritas cauſalitatis ergo, &c.

CAP. 14. Probatur quarto, talis repugnantia Sacræ Scripturæ, & authoritatis Eccleſiæ in excipienda B. Virgine à iuſtiſſima Diuina lege Adamieuæ generationis corruptæ, quia tunc ipſa B. Virgo fuiſset Primogenita mortuorum: non autem Chriſtus fuiſset Primogenitus in gratia inter fratres mortuos ex peccato originali. Et conſequenter ipſa B. Virgo prius facta fuiſſet caro ſancta & immaculata, ac prius Sacerdos & interceſſor, & placans Deum, ac mediator, ſeu mediatrix, & inſtrumentum tollendi peccatum originale, quàm Chriſtus.

Probatur quinto, talis repugnantia Sacræ Scripturæ & authoritatis Eccleſiæ, in excipienda B. Virgine à iuſtiſſima Diuina lege Adamieuæ generationis corruptæ, quia ſecus falſum eſſet illud Angeli elogium de plenitudine gratiæ Chriſti Redemptoris, *Aue gratia plena, Inueniſti gratiam coram Deo, Spiritus ſanctus ſuperueniet in te, & virtus Altiſſimi obumbrabit tibi*. Neque B. Virgo obligata fuiſset ſeruare legem cum ſpe ſalutis in legalibus veteris Teſtamenti, & habere fidem Chriſti Redemptoris, & ſpem ſalutis ſuæ ponere in fide Meſſiæ Redemptoris.

Probatur ſexto, talis repugnantia, quia maior & dignior fuiſset ipſi B. Virgini propria immundorum ſeminum eius conceptio Adamieua, ex carnis fomite, quam contuliſset ei Chriſti Conceptio de Spiritu ſancto. Maior inquam & melior, non ſolum extenſiuè, quia prior in tempore, ac prior & potior in iure ad triumphandum de peccato originali, & ad tollendum peccatum mundi ab aſſumpta humana carne. Sed etiam maior intenſiuè, quia maiorem ſanctitatem, & perfectionem, ac maiora & digniora beneficia, & priuilegia ei dedit propria eius conceptio, quam Chriſti conceptio, quæ non contulit ei immunitatem à peccato originali, neque fomitis ligamen, ſeu extinctionem. neque vſum liberi arbitrij, per modum permanentis, neque primatum triumphandi de Principe tenebrarum, neque primatum carnis ſanctæ & immaculatæ, ac primatum placandi Deum, & offerendi ac merendi pro redemptione mundi. Sed hæc omnia contulit ei propria Conceptio. Immo potius Chriſtus accepiſset à B. Virgine immunitatem à peccato originali, quam ei per ſuam incarnationem illam dediſset, quod expreſsè eſt contra doctrinam S. Thomæ 3. p. q. 27. art. 5. corp. § *Quanto magis res appropinquat ſuo principio in quolibet genere, tanto magis participare debet effectum eius. Sed B. Virgo magis in Conceptione Chriſti appropinquauit ſuo principio, ac fonti omnis gratiæ Chriſto Dominum, quando Chriſtus aſſumpſit naturam humanam ex eadem B. Virgine, quam factum fuit in animatione eiuſdem B. Virginis, &c.*

Probatur ſeptimo, talis repugnãtia, ex illo *Humiliauit ſemetipſum Chriſtus Dominus formam ſerui accipiens, vſque ad mortem, mortem autem Crucis, & ideo datum eſt ei nomen ſuper omne nomen*. quod eſset falſum niſi ſumpſiſset carnem ex carne antea ſerua & captiua. Maxima enim fuit Chriſti exaltatio ad proportionem maximæ humilitatis eius. Maior vero fuit humilitas Chriſti non abhorrere captiuæ, & ſeruæ Virginis vterum ac maius meritum fuit ex aſſumptione vilioris naturæ humanæ, quam Angelicæ, & captiuæ potius quam liberæ. Sic maior eſt Regis amor & charitas deſponſando ſibi

Digitized by Google

do ſibi in vxorem, captiuam aliquam diſparis conditionis & gradus mulierem, quam liberam aliquam Reginam, ſibi fere comparem, magiſque proportionatam, æqualiaque priuilegia habentem, ac ſupra omnes alias digniſſimam, ac meritiſſimam, abſque vlla comparatione, ſibi in vxorem eligere.

Probatur octauo, repugnantia ex illo B. Virginis Cantico, *Magnificat anima mea Dominum, & exultauit Spiritus meus in Deo ſalutari meo, quia reſpexit vilitatem* (vt in textu græco) *ancillæ ſuæ*. quia nullis præcedentibus meritis ſed ſolum misericorditer emundata & liberata ex vilitate, & captiuitate peccati originalis facta fuit Regina cœli, ac mater Chriſti. Quod vilitatis elogium falſum eſſet, ſi nunquam B. Virgo fuiſſet in vilitate peccati originalis, ſed in excellentia ſtatus innocentiæ, ſuper omnes angelos, nedum homines. ac potius dicendum ei erat, *Quia reſpexit excellentiam ac Dignitatem matris ſuæ*, non autem *Vilitatem ancillæ ſuæ*.

Probatur nono, talis repugnantia, quia incarnatio Chriſti, ſeu deſponſatio eius, cum Eccleſia Sponſa ſua, fuit ſymbolum coniunctionis & diſpenſationis cum anima peccatrice. quod non verificaretur ſi abhorruiſſet Emundatæ Virginis vterum. contra teſtimonium Apoſtoli Eph. 5. *ſic Chriſtus dilexit Eccleſiam ſponſam ſuam lauans, & mundans eam lauacro aquæ in Verbo vitæ*. quod ſi abhorruiſſet à peccato originali, multo magis abhorruiſſet à peccato actuali coniungi cum anima peccatrice in iuſtificatione impij.

Probatur decimo, quia omnia Sacramenta per ſe ſunt ſigna practica coniunctionis Chriſti cum anima peccatrice potius, quam iuſtificata, vt in Baptiſmo, & Pœnitentia. Vnde matrimonium conſummatum, eſt indiſſolubile, tanquam maius ſignum coniunctionis Chriſti cum Eccleſia fidelium, reſurgentium à peccato. Vnde coniunctio cum B. Virgine præſeruata non eſſet verum ſignum coniunctionis Chriſti cum anima peccatrice.

Confirmatur primo, quia B. Virgo priuata fuit iuſtitia originali, ſicut & nos; ac pro ea ſubijt gratiam iuſtificantem. Priuatio autem præſupponit habitum amiſſum, ac amiſſum donum immortalitatis, ex S. Th. p. p. q. 97. art. 4. Vnde B. Virgo non fuiſſet immortalis, ſicut Adam, ſeu Eua, ſi perſeueraſſent in ſtatu iuſtitiæ originalis. nec non priuatio præſupponit maculam priuantem. Immo B. Virgo viuens transferenda erat ad paradiſum, niſi contraxiſſet peccatum originale. & iniuſtum fuiſſet eam ſubijcere pœnæ ſeu morti peccati originalis, ſine culpa peccati originalis. CAP. 14.

Confirmatur ſecundo, quia ſi Chriſtus genitus fuiſſet ex Adamieua ſeminatione infecta, ſicut fuit B. Virgo; contraxiſſet peccatum originale ex iuſtiſſima lege Dei, niſi ſuppoſitum Diuinum obſtitiſſet, ex priuilegio ipſius diuini ſuppoſiti, quod priuilegium Filij repugnat Matri, quia non ſunt concedenda matri, quæ derogant dignitati & priuilegio Filij ex S. Th. 3. p. q. 27. art. 3. corp.

Confirmatur tertio, quia ſi humanitas eius hominis, qui dicitur Chriſtus, ex ſola gratia, abſque vllis præcedentibus meritis præſeruata fuit ex priuilegio, à peccato originali per conceptionem de Spiritu ſancto, & ſuppoſitum diuinum, in quo priuilegio conſiſtit gloria Chriſti, qui dixit, *Gloriam meam alteri non dabo*. non debebat eadem gloria & priuilegium concedi B. Virgini, vt in hoc par eſſet Filio Chriſto Deo. Immo non ſolum fuiſſet in hoc par Chriſto, ſed longe dignior, ac maior; quia æquè ex gratia immunis fuiſſet ſicut Chriſtus à peccato originali ex Adamieua generatione, ac ſi B. Virgo concepta fuiſſet de Spiritu ſancto, vel habuiſſet ſuppoſitum diuinum, ſicut Chriſtus. Neque dicas quod B. Virgo ex gratia: humanitas vero eius hominis, qui dicitur Chriſtus, non ex gratia, ſed ex natura ſua humana immunis erat à peccato, quod damnat S. Thomas 3. p. q. 7. art. 9. corp. & art. 13. § *Ad primum ergo dicendum, quod ex eadem gratia quilibet fit Chriſtianus, qua gratia factum eſt etiam, vt homo ille eſſet Chriſtus, quia vtrumque gratuita Dei voluntate, abſque vllis præuijs meritis factum eſt*. & q. 23. art. 3. corp. § *Dicendum quod natura humana in Chriſto nullis ſuis meritis præcedentibus vnita eſt Filio Dei*, & q. 6. art. 6. concludit S. Th. quod vnio humanitatis

Chriſti facta eſt per gratiam, tanquam per cauſam efficientem, non vero tanquam per medium accidentale.

Confirmatur quarto, quia ſicut Princeps non eſt ſubditus incurrendis pœnalibus comminationibus, ſic efficere poteſt ex gratia, ſeu priuilegio, ne Regina Sponſa, ſeu mater incurrat illas. Sed non debet imprudens mortem eligere pro concedendo tali priuilegio, ſeu gratia ſuę matri, pęnas perſoluendo pro Regina, ante incurſam vllam poſſibilem culpam, redimendo eius præuaricationem, ſeu captiuitatem futuram Talis enim redemptio iniuſta, & iniqua; immo ſtulta fuiſſet, ne dum vana, & fruſtratoria. Quia ad id ſufficit gratia priuilegiati ſtatus innocentiæ, vt ait Vlpianus l. Princeps, ff. de legibus §. *Princeps legibus ſubditus non eſt, Auguſta vero licet ſit ſubdita: Princeps tamen eadem priuilegia illi concedit, quæ ipſe habet, &c.*

Confirmatur quinto, quia non valet obiectio illa feſti Conceptionis B. Virginis, primo quia Pius Quintus ille Sanctiſſimus prohibuit officium illud Conceptionis B. Virginis, in quo dicebatur eſſe præſeruata à peccato originali, vt teſtatur Suarius 3.p.q.27.diſp.3.ſect.5. Secundo non valet talis obiectio, quia etiam apud Eccleſiam Græcam in Horologio, & Minologio fit feſtum Conceptionis S. Ioannis Baptiſtæ die 23. Septembris §. ἡ σύλληψις τοῦ τιμίου ἐνδόξου προδρόμου, καὶ βαπτιστοῦ Ἰωάννου, *Conceptio Venerabilis, & Glorioſi Præcurſoris Ioannis Baptiſtæ*. Vbi Conceptio B. Ioannis Baptiſtæ non arguit immaculatam negatiuè Conceptionem eius, ſed ſufficit ſi arguat immaculatam priuatiuè, de contrario in contrarium.

Confirmatur ſexto, quia non placet oppoſita opinio Anſelmi, gratis & falſo ſentientis, filios Adæ, etiam miraculoſè genitos, ſeu generandos contrahere peccatum originale, ſicut ex humana, conſuetaque naſcitura propagatos ex Adamieua ſeminatione ac complacentia fomitis, Vbi negare videtur materiale peccati originalis, vt eius formale neget. nam pro materiali ponit debitum retinendi collatam iuſtitiam originalem; & pro formali ponit carentiam ipſam iuſtitiæ, Cum tamen tale debitum fuerit perſonale datum, & acceptum in ipſa perſona Adæ, & Euæ. Filij vero qui nil tale perſonaliter receperunt, non potuerunt conſequenter id retinere perſonaliter. Per quod Anſelmus primo magis includit, quàm excludit Chriſtum à peccato originali, teſte ipſomet Scoto in 7. diſt.32 q. 1. Secundo Anſelmus negat ipſum materiale, ac formale peccati originali, admiſſum à S. Thoma, & Scoto Tertio Anſelmus effingit animas eſſe ex Adam, tanquam ex traduce, ita vt ab ipſo deſcendant animæ, & educantur de potentia, dum per ſolam deſcendentiam ex Adam quocunque modo; naſci infectas docet. Quarto Anſelmus peccati originalis Authorem facit Deum, ſi enim peccatum originale non eſt ob contactum infectum Adamieuæ ſeminationis, ac propagationis: ergo vel eſt ex traduce Adam, vel eſt ex Deo in primo inſtanti, in quo anima non potuit demereri, quia peccatum eſſe debet voluntarium, in actu ſecundo ſaltem virtualiter & interpretatiuè per conſenſum. Vltimo Anſelmus aduerſatur Apoſtolo ad Rom. 5. *Omnes natura* (ſeu ex ipſa naturali naſcitura Adamicua) *naſcimur filij iræ*. A contrario ergo ſenſu, ex innaturali naſcitura ſeu miraculoſa genitura non poſſumus naſci filij iræ, ex Apoſtolo. Et hinc patet quam iure optimo Scotus in 2.d.32. q. 1. in ſolutione primæ quæſtionis conuincat Anſelmum falſitatis. §. *Ad tertium dicendum quod carentia iuſtitiæ originalis, eſt formale peccati originalis, ſecundum Anſelmum, in qualibet perſona, quæ ſit naturalis filius Adæ, &c.* & art. 2. §. *Tertium dubium eſt, quia homo miraculoſè formatus, quatenus eſt filius naturalis Adæ, contraheret peccatum originale, ſecundum Anſelmum, Quod tamen eſt contra ipſum Anſelmum, quia caro Chriſti purgata fuit in B. Virgine. Secundo quia conſequenter ex conceptione Chriſti de Spiritu ſancto ſequitur quod Chriſtus fuit naturalis filius Adæ, ſecundum corpulentiam, & ſubſtantiam, non vero ſecundum ſeminalem rationem, quam tamen ipſe Anſelmus ait eſſe per accidens, ad contrahendum peccatum originale, &c.* Hæc Anſelmus non rectè ſentit & docet: quare hanc nō eſſe eius doctrinam ſatis ſuſpicior, ſed ſuppoſititiā potius eſſe doctrinā aliorum prauæ de hac materia ſentientium. Hic mitto viuæ vocis oraculum illud

Chriſti

Chriſti Domini, & vniuerſale teſtimonium eius approbantium doctrinã S. Thomæ, *Bene ſcripſiſti de me Thoma: quam mercedem accipies? Bene* inquam ideſt vniuerſaliter, quia *Bonum ex integra cauſa, De me ſic* nato, quia bene etiam ſcripſiſti de mea matre ſic me generante, vt emundata. *Quam ergo mercedem accipies?* quia merces mea fruitionis non datur ijs qui male, & falſo ſcripſerunt de me ſeu de matre mea, &c.

Quoniam autem vera ſolutio, eſt vitij explicatio, deuenio nunc ad ſolutiones argumentorum Scoti in 3. diſt. 3. q. 1. § *Contra primam rationem; perfectiſſimus mediator, perfectiſſimum habet modum mediandi & reconciliandi B. Virginem cum Trinitate irata. confirmatque id Scotus exemplo Anſelmi. offendens enim Regem in tantum demeretur, vt omni filio naturali eius, Rex ſit infenſus, eoſque exhæredatet. quod ſi quis innocens tale obſequium præſtet regi, vt remittat offenſam, neque exhæredatet eos, bonus eſt mediator; ſed ſi ita placet, vt præueniat iram regis, ita vt filij naſcantur in gratia regis, maximis muneribus cumulati; tunc melior erit mediator, & magis placabit regem. Ita pariter apud Deum, nullus perfectiſſime placat Regem Deum pro offenſa contrahenda, niſi poſſet præuenire, ne ei Deus, ſeu Rex infenſus ſit. Nam ſi iam offenſum placat, vt ſolam offenſam remittat, non perfectiſſime placat. Sed in propoſito Deus non offenditur anima noſtra, ob motum interiorem in ipſo Deo; ſed tantum propter culpam in ipſa anima noſtra. Igitur Chriſtus non perfectiſſime placauit Trinitatem, ſi non præuenit vt Trinitas alicui infenſa non ſit, nec contrahat culpam originalem, &c.* *Primũ argumentum Scoti.* *Nota bene.*

Reſpondeo primo, (pace tanti Viri, quem in omnibus celebro) quod Chriſtus ſuperabundanter pro nobis ſatisfecit, plus ſoluendo quam fuerit debitum; infinitumque valorem pro infinitis mundis ſufficientem expoſuit, perfectiſſimeque placauit Trinitatem, ſecus homo non fuiſſet perfectiſſime redemptus. neque infiniti valoris fuiſſet paſſio Chriſti, ſaltem dignificatiue, & acceptatiue.

Reſpondeo ſecundo, quod Trinitas nunquam fuit infenſa neque potuit eſſe infenſa B. Virgini, ſicut neque Angelis bonis, neque animæ Chriſti, neque Adæ, vel Euæ, dum præſeruati fuerunt in ſtatu innocentiæ. Non enim ante peccatum, voluntarie incurſum in anima, Deus iratus eſſe poteſt nobis. nam id iniquum, & impium eſt odiſſe, ſeu pœnam inferre velle ante culpam. neque Deus quempiam odiſſe, ſeu iraſci poteſt, ob peccata poſſibilia, & nunquam futura quia non ſunt reatus. Non ergo Deus iratus eſſe poterat ante peccatum B. Virginis, neque in ipſo actu peccandi, neque poſt peccatum, ſi nunquam peccauit, ergo nunquam iraſci potuit Trinitas contra B. Virginem, neque conſequenter reconciliari cum ea potuit, ſi ipſam præſeruauit ab omni culpa in ſtatu perpetuæ innocentiæ, per quem præſeruauit etiam eam ab omni pœna, ac inimicitia, ſeu captiuitate, ſeu odio. Sicut ergo Deus ſi omnes Angelos, & omnes homines, poſt præuiſum peccatum eorum, præſeruaſſet tamen illos in gratia, & amicitia ſua, ſeu in ſtatu perpetuæ innocentiæ non potuiſſet eis iraſci, neque conſequenter eis reconciliari: ſic de B. Virgine.

Reſpondeo tertio, quod prætenſum peccatum in Regem eſt perſonale ſolius patris delinquentis, non autem attingere poteſt animã innocentis filij, aut poſterorum, quibus innocentibus iniuſte iraſcitur Rex, anima enim; quæ peccauerit ipſa morietur, nam filius non portabit iniquitatem Patris, Ezechielis 18. & ideo neque reconciliandus eſt innocens filius cum Deo Rege irato, ſed ſolum reconciliandi ſunt formaliter peccatores perſonales ob actualem maculam animæ. Reſpondeo vltimo implicare contradictionem, quod Deus iratus Mariæ, fuerit tamen reconciliatus cum B. Virgine, non propter interiorem motum iræ, quæ fuerit in ipſo Deo, ſed ob peccatum, quod formaliter erat in B. Virgine: & tamen quod B. Virgo præſeruata fuerit ab omni culpa, & conſequenter præſeruata fuerit ab omni pœna, ſeu captiuitate, ac redemptione, quæ omnia, & ſingula implicant. Mitto, quod ſi B. Virgo præſeruata fuit ab omni poſſibili culpa, ſicut & anima Chriſti, ſeu Adæ, & Euæ, dum præſeruati fuerunt in ſtatu amicitiæ, & gratiæ, ſeu iuſtitiæ originalis, fuit conſequenter præſeruata ab omni inimicitia, & captiuitate, neque indiguit reconciliatione, neque redemptione pœnali, per mortem innocentis Agni Dei. Immo iniuſta & iniqua, ne

Digitized by Google

dum vana, & fruſtratoria fuiſſet talis redemptio pro tali ſtatu, in quo impoſſibilis erat inimicitia, ſeu culpa, ſeu offenſa, ſeu captiuitas ſeu redemptio B Virginis.

CAP. 16. Secundum argumentum Scoti in 3. diſt. 3. q. 1. § *Ex ſecunda via arguitur dupliciter. Primo quia perfectiſſimus Mediator meretur amotionem omnis pœnæ ab eo, quem reconciliat. Sed culpa originalis eſt maior pœna, quam ſit carentia diuinæ viſionis, quia peccatum eſt maxima pœna naturæ intellectualis, inter omnes eius pœnas. Igitur ſi Christus perfectiſſimè reconciliauit genus humanum, iſtam pœnam grauiſſimam auferre meruit à B. Virgine. Secundo arguitur, quia Chriſtus immediatius videtur eſſe redemptor noſter à peccato originali, quam ab actuali. Sed Chriſtus fuit perfectus mediator B. Virginis reſpectu peccati actualis, ergo & peccati originalis, &c.*

Reſpondeo primo. ſi attendatur meritum Chriſti, meruiſſet Chriſtus amotionem omnis pœnæ à toto genere humano, ne dum à B Virgine.

Reſpondeo ſecundo, Chriſtum fuiſſe perfectiſſimum mediatorem, ac redemptorem noſtrum, & tamen non ſuſtuliſſe omnes pœnas relictas ad agonem, & ad maius meritum, & beneficium noſtrum.

Reſpondeo tertio, implicare quod B. Virgo fuerit præſeruata ab omni peccato in ſtatu innocentiæ, in quo impoſſibilis erat vlla offenſa, ſeu inimicitia; & tamen quod fuerit perfectiſſimè reconciliata cum Trinitate irata; & per pœnalem redemptionem innocentis Agni Chriſti ſublata ei fuerit pœna peccati originalis. Si enim peccatum originale eſt pœna, ergo alterius anterioris, & proprij peccati eſt pœna. nam peccatum eſt pœna peccati. Vbi ergo tollitur pœna, ibi præceſſit culpa.

Tertium argumentum Scoti in 3. diſt. 3. q. 1. § *Ex tertia via ſic arguo, perſona reconciliata non ſumme obligatur Mediatori, niſi ab ipſo ſummum bonum habeat, quod poteſt per Mediatorem haberi. Sed innocentia illa ſcilicet præſeruatio à culpa contracta, vel contrahenda poteſt haberi per Mediatorem. Ergo nulla perſona ſummè tenebitur Chriſto, vt Mediatori. ſi nullam præſeruauit à peccato originali.*

Reſpondeo primo, quod quilibet etiam præſcitus, ne dum prædeſtinatus, ob beneficium creationis, & conſeruationis, nedum redemptionis tenetur ſuper omnia diligere Deum, quippe qui pro inimicis ſuis mori voluit, ex infinita eius charitate. Vnde ad ſingulos homines dictum eſt illud Euangelicum præceptum. *Diliges Dominum Deum tuum, ex toto corde tuo. ex tota anima tua, ex omnibus viribus tuis, &c.*

Reſpondeo ſecundo, quod B. Virgo non fuit reconciliata iratæ Trinitati, ſi nunquam fuit in ſtatu actualis captiuitatis, ſeu inimicitiæ, aut mortis, ſed ſemper fuit in ſtatu amicitiæ, gratiæ, & innocentiæ.

Reſpondeo tertio, quod in B. Virgine ab omni culpa præſeruatio fuit, etiam conſequenter præſeruatio ab omni pœna. Vnde per ſolam gratiam Chriſti capitis præſeruari debuit, ſicut & anima Chriſti, non vero per pœnalem redemptionem iniuſtam, & iniquam in ſtatu innocentiæ B. Virginis, in quo ſicut impoſſibilis fuit culpa, ſeu captiuitas, ſeu ira: ſic impoſſibilis fuit quælibet pœna ſeu captiuitas, ſeu redemptio pęnalis. Immo iniqua, & iniuſta, ne dum vana, & fruſtratoria fuiſſet redemptio in tali ſtatu innocentiæ præſeruatæ. Sicut enim pro præſeruando ſtatu Angelorum omnium, ſi omnes Angelos Deus poſt præuiſum eorum peccatum præſeruare voluiſſet, non erat opus aliqua redemptione pęnali, ſed vana, & fruſtratoria, immo iniqua, & iniuſta fuiſſet talis eorum redemptio pęnalis, per mortem innocentis Agni Dei: ſic in præſeruato ſtatu perpetuæ innocentiæ B. Virginis. Sed deueniamus ad argumenta Suarij negantis B. Virginem comprehendi in generalibus locutionibus illis Sacræ Scripturæ *ſicut Omnes in Adam moriuntur, ſic omnes in Chriſto viuificabuntur, &c.* Vnde admittit eius contradictoriam, idest *Non omnes peccauerunt in Adam, neque omnes naſcimur filij iræ. Neque omnes in Chriſto viuificabuntur, &c.*

CAP. 17. Primum argumentum Suarij 3. p. q. 27. diſp. 3. ſect. 5. eſt quod B. Virgo non contineatur in generalibus loquutionibus Sacræ Scripturæ, ſed potius excipiatur. quod mihi videtur falſum, & erroneum in fide, vt patet excipiendo in ſequentibus eandem ad

dem ad

Digitized by Google

dem ad Rom. 5. *Sicut in Adam omnes moriuntur,* (excepta B. Virgine) & *Chriſtus pro omnibus mortuus eſt* (excepta B. Virgine) *& Omnes egent gratia, & gloria Chriſti.* (excepta B. Virgine) & Chriſtus Redemptor omnium (excepta B Virgine. Vniuerſalis enim propoſitio de omnibus hominibus, Adamieua complacentia, & ſeminatione infecta propagatis, falſificatur per inſtantiam vnius ſingularis contradicentis, potius ergo falſa eſt doctrina Suarij, quam Sacræ Scripturæ. Neque Concilium Tridentinum excipit, neque excipere poteſt B. Virginem à ſupradictis loquutionibus generalibus, licet excipiat à Decreto peccati originalis neque includendo, neque excludendo illam potiuſque fauendo S. Thomæ q. 4. de Malo. art 6. & p. 2. q. 81. art. 3. corp. § *Dicendum eſt ſecundum fidem catholicam ſolum Ieſum Chriſtum immunem fuiſſe à peccato originali, &c.* Vbi ergo lex diuina non diſtinguit, neque excipit, neque nos diſtinguere, neque excipere debemus. Et quis enim magis diſtinguere ac excipere debuiſſet niſi Apoſtoli, vel Spiritus ſanctus dicendo *Sicut omnes in Adam moriuntur* (excepta B. Virgine) *ſic omnes in Chriſto viuificantur* (excepta B. Virgine.) Exceptio itaque fit in lege humana imperfecta, quæ non poteſt eſſe generalis. falſa eſt enim omnis regula humana, quæ non patitur exceptionem, quia legislator humanus non poteſt præuidere omnes caſus ſingulares, & exceptibiles non ſic autem lex Dei.

Secundo arguit Suarius ex feſto generali Immaculatæ Conceptionis B. Virginis. Cui reſpondet S. Th. 3. p. q. 27. art. 2. ad tertium, quia Immaculata Conceptio intelligitur dupliciter vel negatiuè, vel priuatiuè & hoc ſatis eſt ad Immaculatam Conceptionem B. Virginis celebrandum in qua facta eſt Tota pulchra ſine vlla macula: ſicut de feſto Conceptionis S. Ioannis Baptiſtæ apud Græcos die 23. Septembris. Speciale autem priuilegium fuit conceſſum B. Virgini in eius immaculata Conceptione, vt per inſtans ſubiaceret iuſtæ legi infectæ propagationis Adamieuæ. Non poterat autem aliud maius priuilegium concedi B. Virgini, niſi vt in Adam mortua fuerit per inſtans, & mox redempta. Si enim priuilegium præſeruationis ab æterno ei collatum fuiſſet ab omni culpa, pariter eidem collatum fuiſset priuilegium redemptionis pœnalis ab omni pœna. Vnde implicat vere redimi pœnaliter, & non fuiſſe vere captiuam per inſtans ſaltem. Dices B. Virgo debebat incurrere peccatum originale ex præuiſione ac permiſſione Diuina: ergo debuit redimi pœnaliter. Reſpondeo primo, falſum eſse antecedens, quoniam per te B. Virgo ab æterno præſeruata fuit in perpetuo ſtatu amicitiæ, & gratiæ, ſeu vitæ, & innocentiæ. Ergo nullo modo poterat redimi pœnaliter. Reſpondeo ſecundo conceſso antecedente, negando conſequentiam, quia peccata ſolum poſſibiliter peccata, non ſunt reatus, & maculæ animæ, quia eſse debent actualia & voluntaria. Vnde pro ſolum poſſibilibus peccatis, ex præuiſione ſola, ſeu permiſſione diuina. paruuli cum ſolo Baptiſmo ante vſum rationis morientes, non damnantur pœna ſenſus. Iniuſta fuiſset ergo atque iniqua, nedum fruſtratoria, & vana talis redemptio pœnalis B Virginis ante incurſam culpam, immo ante vllam poſſibilem culpam, ſeu offenſam, ſeu inimicitiam, aut captiuitatem ex ſuppoſitione, quod ab æterno fuerit præſeruata in ſtatu amicitiæ, & vitæ, ſeu gratiæ, & innocentiæ. Inſtat vlterius Suarius ex reuelatione B. Brigidæ in eius libro primo. cap. 9 & lib. 6. cap. 49. & cap. 55.

Reſpondeo primo, reuelationes fidei non fieri mulierculis ſomniantibus.

Reſpondeo ſecundo, totum oppoſitum reuelatum fuiſse S. Catherinæ Senenſi vt fuſius teſtatur Caietanus, & Turrecremata ex ſumma Antonina, p. p. Theol. tit. 8. c. 2.

Reſpondeo tertio, reuelationes fidei non poſse eſse contrarias, neque ad eas concurrere poſse Spiritum ſanctum.

Reſpondeo quarto, reuelationes dogmatum fidei in controuerſijs Sacræ Scripturæ non fieri miraculosè, loquentibus mulierculis inſtar aſinæ Balaam, ſed deductiuè fieri in Eccleſia, & Concilio ex ſola Sacra Scriptura, ſeu Verbo Dei, ſiue ſcripto, ſiue non Scripto: intercedente Theologica ſyllogizatione demonſtratiua, & ſcientifica, ex certis licèt implicitè reuelatis præmiſſis deducendo certas reuelatas concluſiones ex-

Digitized by Google

nes explicitas. & oppoſitum eſt maxima proteruia Aduerſariorum, ac deceptio fidelium. Dices vltimo ſcandalum eſse ſententiam S. Thomæ, apud imperitum vulgum præſertim.

Reſpondeo primo, ſcandalum hoc eſse paſſiuum, ac ſcandalum eſse imperitorum, ſeu Phariſæorum, cuiuſmodi fuit illud Euangelicum: *Neſcis, quia audito hoc verbo ſcandalizantur phariſæi.* Cui ſcandalo paſſiuo reſpondit Chriſtus *ſinite illos*, ſeu nil curetis eos. *cæci ſunt, & duces cæcorum &c.*

Reſpondeo ſecundo, non eſse ſcandalum prædicare veritatem catholicam, Et Euangelicam in hac materia.

Reſpondeo tertio, doctrinam S. Thomæ hypotheticam eſse, ſeu ad hypotheſim reduci. vnde non poteſt reijci ab Eccleſia. Ait enim, quod ſi B. Virgo vere fuit pœnaliter redempta, vere conſequenter fuit captiua, idq; deducit de fide ex reuelatis præmiſſis Sacræ Scripturæ. Non ergo S. Thomas affirmat, neque ſimpliciter negat, ſed ſolum hypotheticè loquitur. Quare nunquam Eccleſia Catholica diſcedere poteſt ab eius catholica deductione Sacræ Scripturæ. Concludamus ergo, quod rectè monet Scotus in 3. d. 3. § *Vtrumque eſſe potuit, & quod B. Virgo Concepta fuerit in peccato originali, & quod præſeruata fuerit. Quæ nam autem pars contradictionis ſit vera, Deus ſcit.* Remittamus hoc ergo ſcientiæ Dei, quia non eſt neceſsarium ad fidem noſtræ ſalutis æternæ.

Dices, B. Virgo fuit ab æterno præſeruata; & ideo excipitur ſemper in omnibus locutionibus generalibus Sacræ Scripturæ, in materia peccati originalis. ergo quatenus excepta, debebat incurrere culpam, & maculam originalem, nam exceptio firmat regulam, & conſequenter debebat redimi pœnaliter. Reſpondeo totum oppoſitum inferri debere, nimirum quod B. Virgo quatenus excepta per te, & ab æterno præſeruata, ſicut & humanitas Chriſti, nullo modo poterat, neque debebat incurrere maculam originalem.

Dices ſecundo, Verum eſt quod *Inter natos mulierum non ſurrexit maior Ioanne Baptiſta*; ſi vero B. Virgo cecidiſset, ipſa maior ſurrexiſset inter natas mulierum. Reſpondeo ſi B. Virgo cecidit (quod non affirmo) tunc ſicut inter natos mulierum, non ſurrexit maior Io. Baptiſta, ſic neque inter natas mulierum ſurrexiſſet maior B. V.

Dices tertio, de B. Virgine dicitur per appropriationem illud Eccleſię electorum, ſponſæ Chriſti: *Tota pulchra es amica mea, & macula non eſt in te.* Reſpondeo de eadem Eccleſia ſponſa Chriſti intelligi ly *Nigra ſum, ſed formoſa filia Hieruſalem, ideo dilexit me Rex, & introduxit in cubiculum ſuum.* Quod autem per gratiam iuſtificantem fiamus immaculati, de fide eſt, ex Tridentino Seſs. 5. de iuſtificatione.

DE

Digitized by Google

DE PANOPLIA SEV TOTALI ARMATVRA HÆRETICORVM OMNIVM

Circa Sacramenta, hoc eſt de adulteratis, obtruncatiſq; octuaginta quattuor Canonibus Apoſtolorum, qui nil aliud ſunt, niſi compendium apocryphi, adulteratiq; B. Clementis Romani in ſuis octo libris Conſtitutionum Apoſtolicarum, gratis & falsò defenſarum à Franciſco Turriano Ieſuita, pace eius, quod omni qua decet maiori reuerentia ſemper dictum ſit, pro Catholica veritate defendenda.

Eminentiſſimo S.R.E. Principi FRANCISCO BARBARINO, Cardinali de Sancta Agata, Græcorum Protectori Ampliſſimo, ac Sanctiſſimi Domini Noſtri VRBANI VIII. Nepoti Digniſſimo dicata.

Auctore IO. BAPTISTA CATVMSYRITO, Italogræco Rhegyno, poſt Protopapam Deutereo, mox Canonico, & Vicario Generali Craſſetano.

Paradoxum opus à nullo hucuſque, vel quàm Maximo Italiæ Theologo breuiter demonſtratum.

Sub Protectione Singularis Altitudinis, Regaliſq; Perſonæ Sereniſs. Principis Don FERDINANDI Hiſpaniarum Infantis, &c.

HAereſum omnium, circa Sacroſancta Eccleſiæ Catholicæ Sacramenta, Princeps Eminentiſſime, ſi certiſſimum Seminarium, fidiſſimamque Panopliam, ſeu armaturam omnem Hæreticorum cognoſcere velit Eminentiſſima Tua Amplitudo, ex qua adulterator libri, Catholici Doctoris Arcudij, ſua hæreticalia Sacramenta deſumpſit, legat ſi placet apocryphas Conſtitutiones adulterati B. Clementis Romani, quarum breuiſſimum compendium ſunt obtruncati deprauatique octuaginta quattuor Canones Apoſtolorum. CAP. I.

Probatur autem id euidenter primo authoritate Eccleſiæ Græcæ, mox authoritate Eccleſiæ Romanæ. Nam Sancti Patres Græci in ſexta Synodo Oecumenica Trullana, quæ fuit Tritecti, ſeu Quini ſexta, can. 2. in ſpecie damnarunt ac reiecerunt tanquam adulterinas, & hæreticaliter deprauatas Conſtitutiones Apoſtolicas B. Clementis Romani adulterati § *Quoniam autem in Canonibus Apoſtolorum præceptum eſt, vt eorundem SS. Apoſtolorum per B. Clementem Conſtitutiones ſuſciperemus, quibus iam olim, ab iis qui aliena à fide ſentiunt, adulterina quadam, & pietate aliena introducta ſunt, quæ diuinorum nobis decretorum elegantem, & venuſtam ſpeciem obſcurarunt: ideo has Conſtitutiones ad Chriſti ſanctiſſimi gregis ædificationem, ac ſecuritatem vtiliter reiecimus, hæreticæ prauitatis fœtus nequam immiſcentes, &c.*

Eccleſia item Romana ſub Papa Gelaſio in ſua Synodo Romana vbi apocryphorum librorum catalogum præſcripſit ac reiecit ex *Sancta Romana Eccleſia* diſt. 15. ait § *Clementis libri octo apocryphi, &c.* & diſt. 16. can. *Clementis librum numerant Patres inter apocrypha, &c.* vbi gloſſa ait, Clementis librum, ideſt ſub *mentito nomine Sancti Clementis adulteratum librum, &c.*

Nullaque

Nullaque maior, neque euidentior ratio talis Cenſuræ aſſignari poteſt, niſi quia è medio ſublata fuit omnium fere Sacramentorum eſſentialis diſciplina ab ipſis, ſic deprauatis Conſtitutionibus Apoſtolicis, vt ſingillatim infra conſtabit. Vnde nulla alia ratione Hæretici omnes impugnant, reijciuntque omnia fere, & ſingula Sanctæ Matris Eccleſiæ Romanæ Sacramentorum eſſentialia, niſi ex vno hoc apocrypho Clemente Romano, gratis & falſo a Franciſco Turriano Ieſuita, per fas quaſi & nefas in Sacramentorum eſſentialibus reiectis, & hereticaliter deprauatis, armata fere manu defenſo, & ſuſtentato Romæ, & per Totam Italiam non obſtante mea contradictione viginti annorum, à PAVLO V. vſque ad præſentem Pontificem VRBANVM VIII. Eminentiſſimæ Amplitudinis Tuæ Patruum Digniſſimum. Quare idem Turrianus aperte in Sacramentis fauet omnibus hæreticis, cum quibus coincidit in Sacramento præſertim Ordinis, quod eſt Sacramentum Sacramentorum, vt patet ex eius Commentarijs libri octaui, Conſtitutionum Apoſtolorum B. Clementis apocryphi, ſeu adulterati.

Negat enim primo, Turrianus cum omnibus hæreticis omnem Canonicam eſſentialemque materiam Sacramenti Ordinis, in ſingulis Ordinibus, tam Maioribus, quàm Minoribus, contra dogmaticam doctrinam Catechiſmi, ac Pontificalis Romani, & praxim Sanctæ Matris Eccleſiæ Romanæ. quod hæreticaliter damnatur in cap. *Ad abolendam de hæreticis.* Negat ſecundo, conſequenter omnem Canonicam formam Sacramenti Ordinis in ſingulis Ordinibus, poſt negatam omnem Canonicam materiam. Negat tertio, Turrianus Sacras Vnctiones Ordinis, æquè eſſentiales in ſacrando Epiſcopo, Sacerdote, Eccleſia, altare, patena, Calice, &c. vt probatum fuit Tractatu primo. Negat quarto, collationem Spiritus ſancti, quem reijcit tam in ordinatione Diaconi, & Sacerdotij, quam etiam Epiſcopi, ac ſi fruſtra Epiſcopus dicat, *Accipe Spiritum ſanctum*, quod hæreticaliter damnatur in Tridentino, ſeſſ. 23. can. 4.

Negat quinto omnem eſſentialem diſtinctionem ſingulorum Ordinum, nam negata quacunque ſpecifica materia, & forma, per eandem manus impoſitionem laicam, eandemque electionis formam ſingulos ordines conferri debere ſentit, & docet, immo blaſphemat cum ſuo Clemente apocrypho.

Sexto negata materia, & forma ſingulorum Ordinum, cum adulterato Arcudio eius Diſcipulo, negat pariter totum ipſum Sacramentum Ordinis, quod nihil aliud eſſe ſentit, niſi Ritum tantum quendam eligendi miniſtros Verbi Dei prædicandi, & Sacramentorum adminiſtrandorum, quod hæreticaliter damnatur in Tridentino, ſeſſ. 23. can. 3. ſupponendo omnem poteſtatem Ordinis, in Baptiſmo omnibus vtriuſque ſexus æque collatam in actu primo, ſed ſuſpenſam, & impeditam, ita vt non poſſit exire in actum ſecundum, abſque electione, & profana manus impoſitione laicali & non ſacrata Epiſcopi, duntaxat Lutherice electi, per pias preces; ſed non ſacrati in forma Sanctæ Matris Eccleſiæ.

Septimo introducit, ſeu introductam defendit ſolam manus impoſitionem laicam & profanam; ſeu non ſacratam, pro Sacramento Ordinis; ſequendo, & ſtrenue defendendo conſequenter, & tacitè ipſam hæreſim Lutheri, & Arnoldiſtarum, quos impugnat Durandus Rational. lib. 6. cap. 84. vt in noſtro Prolegomeno.

Negat octauo, cum Arcuda electionem Epiſcoporum, ac Sacerdotum, & Diaconorum pertinere ad Pontificem Maximum, alioſque Patriarchas; ſeu Archiepiſcopos, quibus ex indulto Summi Pontificis id conceſſum eſt: niſi ad ſolum Deum, quia ſolus Deus eſt ſcrutator cordium, & cognoſcit eos, qui digni ſunt iuxta hæreſim Vuiclefi, & Vſſitarum, quam impugnat idem Vaſchez, & Becanus in Sacramento Ordinis.

CAP. 2. Negat nono, cum Arcuda in Sacramento Ordinis Epiſcopos dicere poſſe, *Eligimus Domine hos præſentes Subdiaconos ad officium Diaconatus vel Eligimus hos Diaconos ad Sacerdotium, ſeu Eligimus Sacerdotes in Epiſcopos, &c.* Sed ad Deum recurrendum eſſe tacitè, & conſequenter blaſphemant cum Luthero, & Conſtitutionibus apocryphis Apoſto-

Digitized by Google

Apoſtolorum vt Deus ipſe eligat dicendo, *Elige Domine hos famulos tuos ad officiũ ſubdiaconatus, ſeu diaconatus, &c.* θεία χάρισ προχειρίζεται τὸν δεῖνα τὸν τόνδε εἰσ διάκονον ἢ πρεσβύτερον ἢ ἐπίσκοπον, hoc eſt, *Diuina gratia eligit ac creat hunc in Diaconũ, ſeu Sacerdotẽ, ſeu Epiſcopum*. Creat inquam ex nihilo materiæ, & nihilo formæ S. Matris Eccleſiæ. Nam adulteratus Doctor Arcudius Ieſuitæ Patris Eudæmonis approbatus diſcipulus in his tribus verbis, totam ordinationem Diaconorum, Presbyterorum, & Epiſcoporum eſſentialiter conſiſtere ſentit in ſua Concordia, in Sacramento Ordinis, & publicè docet Romæ, immo blaſphemat ita fuiſſe ab omnibus Pontificibus Romanis hucuſque Romæ approbatum in Bullis pertinentibus ad Ritus Græcorum. Id ipſum ſentit, & docet Pater Andreas Ioannes Eudæmon Ieſuita Theologus Sancti Officij Romæ, implanator in hoc Pontificum Romanorum, nedum DD. Cardinalium cum tanto præiudicio veritatis Catholicæ & Euangelicæ vt nihil ſupra. Nec non cum totali euerſione & ruina omnium Sacramentorum Sanctæ Matris Eccleſiæ ex diametro ſeu eſſentialiter diſcrepantium ab his Luthericis, Turrianiſque Sacramentis Arcudianis. nam iuxta regulas Contrariorum, *incluſio vnius contrarij Sacramenti, eſt excluſio & deſtructio alterius contrarij Sacramenti.*

Decimo ſentit & docet Turrianus lib. 8. Commentariorum libri B. Clementis, Sacramentum Ordinis inſtitutum fuiſſe in die Pentecoſtes, non quidem à Chriſto Domino, ſed à Spiritu ſancto ſine vllo ſymbolo externo Sacrarum Vnctionum, ſeu panis & vini in patena & Calice; aut librorum, ſeu inſtrumentorum, ac conſequenter ſine vlla traditione poteſtatis ſacrificæ, ſiue iudiciariæ, ſiue Euangelicæ, dictis ſymbolis proportionata; ac ſine vlla alia collatione Spiritus ſancti, per illa verba *Accipe Spiritum ſanctum*. Sed per ſolam chiratoniam, ideſt manuum eleuationem ad Deum ſupra proprium cuiuſque caput ad Deum. Et hinc eſt quod adulteratus Turrianus Ieſuita blaſphemat ad ordinem Diaconatus, Presbyteratus, & Epiſcopatus nihil aliud eſſentialiter requiri, niſi ſolam deprecationem deſcenſus Spiritus Sancti ſupra ipſos ordinandos cum chirotonia, ſeu eleuatione laicarum manuum epiſcopalium profanarum, nulloque ſacro chriſmate benedictarum, quia ita factum fuit in die Pentecoſte. In qua re orthodoxe Turrianus impugnatur à Vaſchez 3. p. tom. 3. de Sacramento Ordinis diſp. 240. cap 6. § *Tertia ſententia eſt Franciſci Turriani noſtri, quod Ordo inſtitutus fuit in die Pentecoſtes &c.* quod tamen hæreticaliter damnatur in Trid. ſeſſ. 22. can. 2. *Siquis dixerit illis verbis* (*Hoc facite in mei commemorationẽ*) *Chriſtum non inſtituiſſe Apoſtolos in Sacerdotes, &c. anathema ſit.* Hanc eandem doctrinam adulterini Turriani toto pectore hauſit Dominicus de Dominis Archiepiſcopus Spalatenſis, Ieſuita olim eiectus, in Sacramento Ordinis; nec non Doctor Arcudius, & Pater Andreas Ioannes Eudæmon approbator eiuſdem libri Doctoris Arcudæ in Concordia vtriuſq Eccleſiæ.

Iuxta hanc hæreticalem doctrinam adulterini Turriani Ieſuitæ ſentientis Ordinem inſtitutum fuiſſe in die Pentecoſtes, ſine vllis ſymbolis Sanctæ Matris Eccleſiæ, ac ſine vlla materia & forma Ordinis ex Apoſtolica traditione in Pontificali Romano præſcripta & in Concilio Florentino dogmatice definita: ſentiunt etiam omnes Græci Arcudiani, omnes Apoſtolos tàm electos, quàm elegendos, ordinatos fuiſſe quo ad actum primum in die Pentecoſtes ſine vllo Sacramento Ordinis, ex ſola poteſtatis Chriſti excellentia ita tamen vt non potuerint exire in actum ſecundum niſi poſt electionem, & deſtinationem fidelium, vt in Matthia Actor. 1. & Paulo ac Barnaba Actor. 13. ex quo tanquam in clariſſima luce conſtat euidenter totam doctrinam adulterati Franciſci Turriani Ieſuitæ lib. 8. ſuorum Commentariorum ſuper octo libros B. Clementis circa Sacramentum ordinis hæreticalem eſſe (pace eius) eo quod hæreticali fundamento innitatur ordinationis Apoſtolorum in die Pentecoſtes ſine vlla materia & forma Sanctæ Matris Eccleſiæ, ac cum ſola manus eleuatione ad cœlum à ſingulis Apoſtolis ſibi facta cum inuocatione deſcenſus Spiritus ſancti ſuper ſe ipſos, itaut ipſimet ordinauerint, ſe ipſos per talẽ manus eleuationem ſupra

Digitized by Google

propria capita ad cœlum, ſibi inuocando deſcenſum Spiritus ſancti. Et tamen hoc non obſtante eiuſdem Turriani Ieſuitæ doctrina poſt Tridentinum circa Sacramentum Ordinis præſertim, Romæ per fas & nefas defenſa fuit ſtrenue à Bellarmino & Patre Eudæmone contra me viginti annis ſemper apud Sanctiſſimum Officium inſtantem, ſed fruſtra contra ipſos Arcudianos Ieſuitas Græcos.

Vndecimo, Turrianus in hoc eius Lutherico Sacramento Ordinis Arcudiani, toto ſophiſtico ſpiritu, & contentione per fas & nefas defenſi, in ſuis Commentarijs libri octaui B Clementis, impugnat ex diametro & reijcit tacite quidem, ſed conſequenter iuxta regulas contrariorum Catholicam & Apoſtolicam doctrinam Bullæ Armenorum in Conc. Florentino, dogmaticè declaratam, & definitam, ſacro approbante Concilio ipſo Oecumenico, ne dum doctrinam Concilij Tridentini & Catechiſmi, ac Pontificalis Romani. Quod autem ſit de fide ipſa Bulla Armenorum circa ſingula Sacramenta, non ſolùm id ſentit & docet Suarius, qui ſingula cuiuſcunq; Sacramenti eſſentialia de fide probat ex ſola Bulla Armenorum, quæ in omni Sacramento ſe remittit Pontificali Romano.

Duodecimo, Turrianus eodem 8. lib. Cōſtit. Apoſtol. admittit & defendit formam deprecatiuam & electiuam Sacramenti Ordinis dicendo, *Elige Domine hunc famulum tuum in Sacerdotem.* In quo dupliciter fauet hæreticis. Primo in formæ deprecatiuæ ſufficientia & validitate, quam tamen falſam & erroneam eſſe in fide fuſius probatum eſt in Prolegomeno Tractatus Primi ex Concilio Tridentino ſeſſ. 14. de Pœnitentia cap 3. § Forma Sacramenti conſiſtit in illis verbis, *Abſoluo te, & cætera*, vbi contra falſitatem formæ deprecatiuæ tantum laudabilis ſolemnitatis, ſic ait § *quanquam de more eccleſiæ laudabiliter præmittuntur preces aliquæ (Miſereatur tui &c. Indulgentiam & abſolutionem &c.) in quibus nullo pacto conſiſtit vis huius Sacramenti, neq; ad huius Sacramenti ſubſtantiam ſpectant, &c.*

Secundo Turrianus fauet hæreticis admittendo & conſentiendo in formam electiuam & Luthericam, hæreticaliter damnatam in Trid. ſeſſ. 22. can. 23. licet enim electio, nomine Eccleſiæ requiratur eſſentialiter quo ad poteſtatem iuriſdictionis, non tamen ſufficit, quò ad poteſtatem Ordinis. In quo grauiter deceptus eſt Turrianus defendens apocryphum Clementem.

CAP. 3.

De electionis Eccleſiaſticæ neceſſitate & virtute ſeu efficacia.

Eſt autem electio nomine Eccleſiæ ſponſæ Chriſti ſimpliciter neceſſaria in quocunq; miniſtro Eccleſiaſtico, ſiue inferiori, ſiue ſuperiori. Vnde tam Epiſcopus, quam Pontifex Maximus eligendus eſt nomine Eccleſiæ ſponſæ Chriſti, à qua immediate traditur miniſterium iuriſdictionis, abſq; Sacramento, per ſolam legitimam electionem, quia poteſtas ipſa iuriſdictionis remanet ſemper penes Eccleſiam, & ſolum miniſterium traducitur miniſtris, vt nomine Eccleſiæ ſoluant, ac ligent Vnde electus in Epiſcopum, etiam ante eius conſecrationem Epiſcopalem poteſt ſoluere & ligare Cenſuris Eccleſiaſticis nomine Eccleſiæ, quia non eſt poteſtas Ordinis, quæ traducatur per Sacramentum, ſed ſolū miniſterium amouibilis iuriſdictionis. Quod autem hæc poteſtas miniſterij iuriſdictionalis, ſeu miniſterium amouibilis poteſtatis iuriſdictionalis immediate ab Eccleſia tradatur quibuſcunq; miniſtris, ſiue ſupremis, ſiue inferioribus euidenter eſt de fide ex Matth. 18. vbi B. Petro dictum eſt, *ſi peccauerit in te frater tuus, & te non audierit, dic Eccleſiæ: quod ſi Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut publicanus & Ethnicus.* non ergo eſſe poteſt B. Petro aliquis ſicut publicanus & Ethnicus, niſi prius B. Petrus ipſum accuſet penes Eccleſiam, vt ſe defendat, vel reſipiſcat, quia defenſio eſt de iure diuino, & Eccleſia authoritatem ſupremam habet ſuper omnes errantes ac peccantes, & ad ipſam principaliter pertinet poteſtas correctionis fraternæ. Vnde Concilium Conſtantienſe, & Baſilienſe de fide definierunt Eccleſiam immediatè à Deo poteſtatem omnē habere corrigendi mores Eccleſiaſticos, ſeu errantes in fide & moribus Eccleſiaſticis. Non poſſet autem Eccleſia ſponſa Chriſti per Concilium repræſentata poteſtatem habere fraternæ correctionis Euangelicæ exercendæ; ſi ipſa errare poſſet in fidei moribus Euangelicis, quia

quia neq; eſset prima Regula morum Euangelicorum, neq; poſſet cum cauſa deponere quemcunq; Epiſcopum in fide ſeu moribus Euangelicis errantem in docẽdo præſertim ac deffiniendo; quia per te Eccleſia poteſt errare in fide, & moribus Euangelicis, neq; habet infallibilem adſiſtentiam, & conſequenter errare poteſt in deponendo quocunq; Epiſcopo ex iuſta cauſa. Eſto enim quod Concilium ſeu Eccleſia ſponſa Chriſti erret in fide, peto à te à quo nam corrigi poteſt & debet, tanquam à prima regula certa; & infallibili ob indeficientem adſiſtentiam Spiritus ſancti? Reſpondebis, à Papa corrigi debere. Iterum peto, quando Papa (quod abſit) in moribus Euangelicis ſeu in fide errat, à quo nam corrigi & regulari debet tanquam Prima Regula certa, & infallibili ob infallibilem adſiſtentiam Spiritus ſancti? Reſpondebis corrigendum eſſe ab Eccleſia, repræſentata per Concilium Oecumenicum, ex can. *Si Papa, diſt.* 40. Ecce circulum vitioſum; vbi idem eſt prius & poſterius; maius & minus; ſuperius & inferius, regula certa & recta, ac infallibilis; & regulatum, deficiens, ac fallibile; quod implicat contradictionem. Prius enim non põt corrigi à poſteriori, neq; maius à minori cẽſurari valet. In õibus n. ſemper deueniendum eſt ad vnum; primum, & immediatum, quod ſit regula certa & infallibilis omnium aliorum ex S. Th. p. p. q. 33. art. 4. ad 4 Secus non erit ordo in Eccleſia Sponſa Chriſti, ſed confuſio, & imperfectio; cum tamen ſicut caſtrorum acies ordinata eſſe debeat, ita vt ſicut Epiſcopi Papæ ſubordinantur; ita Papa Eccleſiæ Sponſæ Chriſti, ac Eccleſia Chriſto Sponſo, & Chriſtus Deo ordinatus, ac ſubordinatus ſit. Non enim eſſe poſſunt duo Capita, quia fruſtra fit per plura, quod fieri poteſt per pauciora. Vnde gentilis ipſe Ariſtoteles dixit, *Vnus ergo Princeps.*

CAP. 4.

Neq; dicas primo quod Papa eſt ſubditus Eccleſiæ Sponſæ Chriſti, & eius correctioni fraternæ atq; Euangelicæ in ſolo errore fidei, non autem in minoribus erroribus etiam publicis & ſcandaloſis cadere poteſt correctio fraterna & Euangelica. Reſpondeo enim id expreſse eſſe contra Euangelicam doctrinam ſupremi tribunalis Eccleſiaſtici Matth. 18. vbi nemo poteſt excommunicari, niſi ob contemptum Eccleſiæ, vel repræſentatæ per Concilium Oecumenicum in rebus & perſonis grauiſſimis: vel per Concilium Patriarchale ſeu Prouinciale, in mediocribus, vel per Concilium diœceſanum repræſentatum per Capitulum, ſeu aliquos de capitulo, & Curiam Epiſcopalem in exequutione iuris Canonici ſeu decretorum Eccleſiæ Oecumenicæ Sponſæ Chriſti.

Neq; dicas ſecundo, quod inualidum eſt Concilium quodlibet niſi confirmetur à Pontifice, e contra vero ſi reijciatur, illud erit hæreticale, ſeu Conciliabolum, vt Concilium Baſilienſe, reiectum ab Eugenio Quarto & Concilio Florentino. Reſpondeo Concilium quodlibet legitime in Spiritu ſancto congregatum, ac orthodoxam canonicamq; atq; Euangelicam doctrinam ſeu Concluſiones de fide recte deducens Theologica demonſtratione euidenti per ſcientificam ſyllogizationem ex præmiſſis de fide abſq; vlla incertitudine, ſeu formidine partis aduerſæ, confirmari à Pontifice, & Imperatore, omnibuſq; Regibus, ad proteſtandam fidei eorum profeſſionem, non autem quia robur ſeu certitudinem aliquam fidei det Imperator ſeu Pontifex ipſi Sacræ Scripturæ deductæ, & inductæ ad concluſiones explicitas fidei certo inferendas ex ipſis præmiſſis fidei. Confirmat ergo Papa Conciliorum decreta fidei explicitæ, quatenus ſe admittere proteſtatur præmiſſas illas fidei implicitæ, ex quibus deductæ ſunt recte concluſiones fidei explicitæ. Cæterum Suarius de Conceptione B. Virginis atteſtatur Concilium Baſilienſe non erraſſe in moribus Euangelicis neq; in fide, niſi ſolum quod non ſtetit in obedientia Eugenij Quarti. Hic ſolus error adſcribi poteſt Concilio Oecumenico Baſilienſi: ſi tamen error fuit citare, ac fraterna correctione Euangelica reformare velle Eugenium Quartum publice prætenſum Simoniacum, contumacem, & obduratum, ac prætẽſum hæreticum vt ipſum Concilium Baſilienſe atteſtatur, ex eo quod contra Chriſti excellentiam ſuperioritatis Eccleſiæ ſponſæ ſuæ Matth. 18. noluerit recognoſcere ſupremum Tri-

Cõcilium Baſilienſe ex Suario de Conceptione B. Virginis non errauit in fide.

bunal Eccleſiæ Catholicæ repræſentatæ per Concilium Oecumenicum, in correctione & reformatione fraterna & Euangelica publicorum delictorum eiuſdem Eugenij, in eodem Concilio prætenſorum. Eugenius ergo pars intereſſata, ſeu reus, non poterat eſſe ſimul iudex ſui ipſius contra Eccleſiam Sponſam Chriſti; Vnde ſententia lata à Iudice non ſuo, ipſo iure nulla eſt. neq; quis ab Eccleſia recipere poteſt claues ſoluendi & ligandi niſi claue non errante iuriſdictionem ex Scoto de Pœnitentia. Non poteſt autem Eccleſia, ſeu ſuperior dare alicui claues ſoluendi & ligandi contra ſe ipſam Eccleſiam exercendas. Eſt enim Papa Caput Eccleſiæ, ſed Caput conſeruatiuum & defenſiuum iurium, ac omnis maioris prærogatiuæ atque excellentiæ Eccleſiæ Sponſæ Chriſti, quæ eſt bene meritiſſima de omnibus Pontificibus Romanis. Omnis enim dignitas & gloria atq; poteſtas, & imperium Pontificis Romani eſt ab Eccleſia Catholica, ſibi conceſſa & translata, cuius nomine electus fuit Papa, vt Chriſti Vicarius defenſiuus & conſeruatiuus Eccleſiæ, non autem eſt Caput deſtructiuum Eccleſiæ. nam eſt Caput pro Eccleſia Sponſa Chriſti exaltanda, & tuenda; non vero eſt Caput ſupra Eccleſiam, cuiuſmodi eſt ſolus Chriſtus neq; eſt Caput contra Eccleſiã, neq; eſt Caput fundatiuum, ſeu ædificatiuum Eccleſiæ; cuiuſmodi eſt ſolus Chriſtus Dominus, nam Chriſti Caput, eſt Deus ex Apoſtolo, in qua re ſummitto me prudentiori iudicio eiuſdem Pontificis Romani, eiuſq; orthodoxæ doctrinæ, deductæ ex Sacra Scriptura, non autem pro ſuo libito & intereſſe definitæ.

Papa eſt Caput Eccleſiæ: id eſt pro Eccleſia; non vero ſupra neq; contra Eccleſiam.

CAP. 5.

Confirmatur id, quia omne miniſterium Pontificiæ iuriſdictionalis poteſtatis immediatè confertur Papæ ab ipſa Eccleſia: ſicut enim ab ipſa immediate deriuata eſt, ſic ad ipſam immediate reſoluitur, ac deuoluitur in morte, ſeu renunciatione, ſeu in Vicariũ Conſiſtorialẽ, nomine Eccleſię electũ, ſiue miniſtrantẽ, quia tale miniſterium reſidet penes Eccleſiam, Sponſam Chriſti, cuius nomine Papa diſpenſat beneficia & officia Eccleſiaſtica. Si enim poteſtas iuriſdictionis haberetur à Deo immediate, & principaliter, ſicut poteſtas Ordinis; multa ſequerentur abſurda. Nunquam .n. Epiſcopus quilibet deponi poſſet ab Eccleſia, aut inualidari poſſet talis eius poteſtas, quin de facto exeat in actum, quia Eccleſia non eſt ſupra Chriſtum, & multo minus eſt ſupra Deum. ita vt tollere poſſit poteſtatem quam ipſa non potuit tradere, ſed ſolus Deus tradidit. Item ſecundo talis poteſtas iuriſdictionis immediate & infallibiliter conferretur à Deo per electionem tanquam per Sacramentum certiſſimum ex opere operato, ſicut poteſtas Ordinis. Secus incerti eſſemus an aliquis ſit Pontifex; quia incerti ſumus, an Deus tradiderit illi poteſtatem iuriſdictionis Pontificiæ, niſi per ſymbolum electiunm, ſeu Sacramentum externum id ſciremus: eſſet ergo electio loco certi, & efficacis ſigni, ex opere operato inſtar Sacramenti. Item tertio electio ſiue bona, ſiue mala ipſi Deo tribueretur, ſicut & collatio poteſtatis iuriſdictionis per te ipſi ſoli Deo tribuitur. & ſic per te æquè poteſtas ordinis, & iuriſdictionis, eſſet immediate à Deo in Pontifice; & pariter in Epiſcopo, ſeu parocho. Mortuo enim Epiſcopo, ſeu Papa, ad electionem Vicarij Capitularis, ſeu Conſiſtorialis, traderetur per te poteſtas iuriſdictionis à Deo immediate nõ autem ab Eccleſia. Et quis enim hanc poteſtatem tradidit Vicario Capitulari, ſeu Conſiſtoriali in eligendis Epiſcopis, ſeu Parochis, ſi hæc poteſtas non habetur immediatè ab Eccleſia, niſi à ſolo Deo? Quarto ſequeretur quod Deus non eſſet ſcrutator cordium, neq; iudicaret de occultis, ſed cuilibet electo in Epiſcopum, ſeu Pontificem infallibiliter ex opere operato ipſius electionis traderet poteſtatem iuriſdictionis non cognoſcens, neq; iudicans de occultis impedimentis, & nullitatibus, ſicut neq; Eccleſia cognoſcit de eis, neq; de illis iudicat. Et ſic ſi Epiſcopus, ſeu Papa ſit occultè hæreticus (quod abſit) vel ſchiſmaticus, vel ſuſpenſus, interdictus, excommunicatus, ſimoniacus, non baptizatus, vel nulliter, & illegitime, ſeu inſufficienter electus, ſeu coacte, & non libere, ſeu falſis, aut falsò numeratis ſecreto ſuffragijs, &c. Sequeretur inquam quod ſicut Eccleſia de his

occul-

Digitized by Google

occultis nullitatibus non poteſt iudicare, ſic neq; iudicet Deus, ſed tenentur infallibiliter ex opere operato ipſius electionis publicæ (licet inualide coram Deo) conferre poteſtatem iuriſdictionis Epiſcopalis, ſeu Pontificiæ. ita vt ille talis electus, verè conſequatur poteſtatem iuriſdictionis Epiſcopalis, ſeu Pontificiæ; donec manifeſta, & publica fiat eius nullitas ſecundum allegata, & approbata in foro fori: & tunc coram Deo ſit depoſitus, quando coram Eccleſia erit depoſitus, & non antea, ac ſi pariter Deus non erit ſcrutator cordium, neq; iudicaret de occultis, ſicut neq; Eccleſia iudicare poteſt de occultis, quia non eſt perſcrutatrix cordium. Quæ ſunt abſurda indigniſſima tribui Deo. Euitantur autem omnia hæc, ſi dicamus iuriſdictionis poteſtatem Papæ immediate tribui ab Eccleſia Sponſa Chriſti nomine ſui Sponſi. Et conſequenter occultum ſimoniacum, ſeu hæreticum ſeu nulliter electum & occultum vere eſſe Papam, quia Eccleſia non iudicat de occultis. Secus eſſemus ſemper dubij de veritate & certitudine Papæ, ſi immediate poteſtatem habet à Deo. quia neſcimus certitudinaliter de fide an ille coram Deo, verè ſit Catholicus & non hæreticus, vel non ſimoniacus, vel non violenter neq; fraudolenter electus, & non excommunicatus, neq; præciſus ab vnitate Eccleſiæ, ſeu incapax, irregularis, aut ermaphrodita, &c. Atq; hinc conſtat falſitas hæreticorum contendentium non poſſe dari aliquem, qui certo & infallibiliter, ac de fide ſit, quod ſit Papa, quia incertum eſt an coram Deo ſit vere electus, abſq; vllo Canonico impedimento, ex ſuppoſitione quod poteſtas Pontificia, ſeu Epiſcopalis immediate tradatur a Deo. Reſpondemus enim tale fundamentum eſſe falſum, & erroneum in fide, quia poteſtas iuriſdictionis Pontificiæ immediate tribuitur ab Eccleſia cuius nomine electus fuit, Eccleſia vero non iudicare debet de occultis. Semper ergo Papa eſt vere & certo Papa coram Deo, quoties vere, & certo, certitudine morali, eſt Papa coram Eccleſia Sponſa Chriſti, quæ non iudicat de occultis. Quoniam itaq; Papa ab Eccleſia immediate & infallibiliter non iudicante de occultis recipit omnem ſuam poteſtatem iuriſdictionis; & ex Apoſtolo de fide eſt quod *Maius eſt dare, quàm accipere poteſtatem*. nam hoc eſt indigentiæ, illud eſt excellentiæ, ideo conſequenter eſt de fide Eccleſiam dantem maiorem ac ſuperiorem eſſe Papa accipiente & indigente. Et licet per accidens Veritas odium pariat apud iniquos, propriaq; paſſione excæcatos, putamus tamen, quòd hæc Veritatis Catholicæ confeſſio de excellentia Eccleſiæ Sponſæ Chriſti, ſupra Papam, amorem nobis Pontificium quam maximè parituta ſit, apud Sanctiſſimum Pontificem Noſtrum VRBANVM VIII. cuius pedes deuotiſſimè complexos deoſculamur, nulla enim maior gloria eſſe poteſt Romani Pontificis, niſi ſubeſſe Sanctæ Matri Eccleſiæ Catholicæ, Sponſæ Chriſti, ad præſcriptum eiuſdem Chriſti Matthæi 18. *Qui Eccleſiam non audierit; ſit tibi tanquam ethnicus & publicanus*. Eccleſiam inquam repræſentatam per Concilium Oecumenicum, legitimè tamen in Spiritu ſancto congregatum, ac inſuper legitimè in Spiritu ſancto celebratum, euidenter deducentem de fide ſuas concluſiones, & decreta, ex præmiſſis de fide. In qua recta deductione, de fide, non poteſt errare Theologica demonſtratio ſyllogiſtica, quin talis error redundet in præmiſſas fidei Sacræ Scripturæ.

CAP. 6.

Obiectio validiſſima apud multos multipliciter proijcitur.

Neq; valet, ſi dicas Oecumenicum Concilium Baſilienſe, & Conſtantienſe reiectum fuiſſe ab Eugenio Quarto, alijſq; Pontificibus Romanis, quo ad illud decretum fidei, à dictis Concilijs editum, de ſuperitate, ac ſupremo Tribunali Eccleſiæ, Sponſæ Chriſti, per Concilium quodcunq; Oecumenicum repræſentatæ, ſupra quoſcunq; Reges, & Principes, ſiue ſpirituales, ſiue temporales, ac ſupra Pontificem ipſum, fortaſſe (quod abſit) in moribus Euangelicis errantem. Non valet inquam talis reiectio, primò, quia de fide eſt Matth. 18. omnes & ſingulos Chriſti fideles, in moribus Euangelicis errantes, ſubiacere correctioni fraternæ & Euangelicæ, Sanctæ Matris Eccleſiæ Catholicæ, magis ipſos Epiſcopos ſeu Reges ſpirituales, quàm ſæculares, ob maius ſcandalum, & damnum illatum proximis, dicente Chri-

ſto

ſto Matth. 18. *Si peccauerit in te frater tuus, & te non audierit, adhibe duos teſtes*; non autem ſtatim excommunicabis eum (Ecce ſuauiſſimum modum corrigendi errantes) *& ſi illos non audierit, dic Eccleſiæ*, ſeu Cita illum coram Eccleſia, vt ſe defendat, quia defenſio eſt de iure naturali, ac diuino. Non autem ſtatim excommunicabis eum. *Et ſi Eccleſiam non audierit*, tunc euitabis illum; Qui enim Eccleſiam contemnit Sponſam Chriſti, Chriſtum Sponſum contemnere cenſetur. Eccleſia enim Sponſa, & Chriſtus Sponſus ſicut faciunt vnum coniugium ſpirituale: ſic faciunt vnũ Conſiſtorium & vnum Tribunal Et ſicut ſupra Chriſtum Sponſum, nullus homo eſſe poteſt, ſic neq; ſupra Eccleſiam Sponſam. Vbi duo habemus. Vnum quod citandi ſunt contumaces coram Eccleſia, ſiue Cathedrali, repræſentata per aliquos de Capitulo, apud Epiſcopum, ſeu Curiam Epiſcopalem; ſiue diœceſana, ſiue prouinciale, ſiue Patriarchale, ſiue Oecumenica: pro grauitate perſonæ Regalis vel difficultate, & grauitate materiæ. Alterum eſt quod in contumacia, & contemptu Eccleſiæ Sponſæ, ac Chriſti Sponſi; euitandus eſt contumax, ac reputandus eſt, vt ethnicus, & Publicanus, qui non poſſunt excommunicari, niſi ſolum reijci debent à participatione ſpiritualium bonorum Eccleſiæ Catholicæ. Secundo non valet talis reiectio Concilij Baſilienſis, quia quilibet Epiſcopus, aliud docens, & ſentiens in moribus Euangelicis, præter id, quod ab Apoſtolis Euangelizatum eſt, etiam ſi ſit Apoſtolus, vel Angelus de cœlo, ipſo facto, eſt excommunicatus, ex Apoſtolo ad Galat. 3. *Si quis Angelus de cœlo vel quis ex nobis Apoſtolis, aliud annunciauerit, præter id, quod Euangelizatum eſt, anathema ſit, & iterum dico anathema ſit*. Ecce anathema latæ ſententiæ contra aliud ſentientes, vel docentes, præter id quod in Sacra Scriptura reperitur implicite, ſeu explicite annunciatum. Non valet tertio, quia Eccleſia non fuit fundata ſub, ſeu ſubter Petrum; ſed ſuper Petrum, ac ſupra omnem eius authoritatem, & prætenſionem, ſeu contentionem, quia Eccleſia Sponſa Chriſti, ſicut & Chriſtus ſuperioritatem omnem habet & authoritatem ſupra Petrum corrigendum ex can. Si Papa d. 40. ex quo conſtat Papam eſſe Caput defectibile, & amouibile propter hæreſim (quod abſit) ac ſubditum authoritati Eccleſiæ Sponſæ, ſicut & Chriſto Sponſo. Licèt autem quo ad doctrinam Papa ſit fundatus ſuper Petram Euangelicam Chriſti Dei, ita vt ab illa non poſſit diſcedere, neq; contra, neq; præter eam aliquid docere ſub anathemate Apoſtoli ad Galat. 3. *Si quis Angelus de cœlo, &c.* ſed adæquari, & commenſurari debeat doctrina Petri, ſupra firmam Petrã Euangelicã ac nihil in materia fidei docere valeat, hoc eſt neq; contra, neq; præter, tamen quo ad authoritatem Petra, quæ eſt Chriſtus, & eius doctrina Euangelica, prædicata & confeſſa à Concilio Oecumenico repræſentatiuo Eccleſiæ Catholicæ, eſt ſupra Petrum, non autem Petrus eſt ſupra Petram authoritatiuè; & oppoſitum eſt maxima proteruia Aduerſariorum, ac deceptio fidelium. Quarto non valet, quia poteſtas ligandi & ſoluendi, non data fuit quomodocunq; ſed claue duntaxat non errante ex Apoſtolo 2. Cor. 13. *Non data eſt poteſtas ad deſtructionem authoritatis Eccleſiæ; ſed ad ædificationem Eccleſiæ*. Quinto non valet, quia Portæ Inferi non præualebunt aduerſus Eccleſiam Sponſam & multo minus ambitio humana præualebit. nam tunc præualeret etiam aduerſus Chriſtum Sponſum. Sexto non valet, quia eſt contra decretum illud Euangelicum ſuperioritatis & prærogatiuæ Eccleſiæ, tanquam ſupremi Tribunalis Matth. 18. *Qui Eccleſiam non audierit* (quæ vere repræſentatur, per Concilium Oecumenicum) *ſit tibi ſicut Ethnicus & publicanus*. Septimo non valet, quia Concilium Oecumenicum legitime in Spiritu ſancto congregatum repræſentat Sedem Apoſtolicam, & Eccleſiam Catholicam. Vnde Gregorius Septimus, in can. *Si qui ſunt*. d. 81. *§ peccatum paganitatis & infidelitatis incurrit, qui dum ſe Chriſtianum eſſe aſſerit, Sedi Apoſtolicæ obedire contemnit, &c.* Non valet vltimo talis reiectio facta a Concilio Florentino ſeu ab Eugenio Quarto, quia hoc quod circumfertur, eſt Concilium in multis adulteratum, & erroneum, vt fuſius viſum eſt in noſtris Obſeruationibus, ſupra Concilium Florentinum. Introducit enim

Nota quod Spirator Deus Becani nullo modo dari poteſt, apud Concilium Florentinum.

cum

cum Becano Ieſuita de Trinitat. cap. 6. q. 5. Spiratorem Deum, exiſtentem, ac ſubſiſtentem per ſe, in proprietate ſpirationis actiuæ, coniunctæ cum Deitate; ſicut noſtro concipiendi modo, Spiritus ſanctus exiſtit, & ſubſiſtit in ſpiratione paſſiua, coniuncta cum Deitate. Ita vt proprietas Spiratoris, non ſit conſtitutiua Patris, neq; Filij, ſed ſolius, & vnius Spiratoris, tanquam vnici principij ſpiratiui, ac perſonalis. Principium enim ad intra, perſonale eſſe debet: ſicut è contra principium ad extra imperſonale, & eſſentiale per ſe primo eſſe debet. Scio mihi contradicturos meos æmulos, Papæ adulatores, quem Dominum Deum noſtrum eſſe iactant ex gloſ. cap. *Cum inter nonnullos. de verborum ſignific. verb. Declaramus. §. fin. Credere Dominum Deum noſtrum Papam, ſic non potuiſſe ſtatuere, hæreticum cenſetur 99.* can. *nulli fas*. & tamen Dominus Deus noſter Papa Gregorius, & Dominus Deus noſter Papa Nicolaus totum oppoſitum ſentiunt & docent ſine hæreſi in cap. *Exijt. de verborum ſignificatione in Sexto*, circa conſilia Euangelicæ perfectionis, ac paupertatis à Chriſto, & Apoſtolis ſeruata. Sic Dominus Deus noſter Papa Bonifacius, in cap. *Vnam Sanctam de Maior. & Obedien.* de fide definiuit Romanum Pontificem in ſpiritualibus, & temporalibus dominium habere. quod deinde merito reuocauit Dominus Deus noſter Papa Clemens V. cap. *Meruit. de priuilegijs*, quia *Regnum meum* (Xps ait) *non eſt de hoc mundo*, conceſſo, ſeu permiſſo ab æterno Dominis ſæcularibus, etiam infidelibus, & principi huius mundi, &c. quicquid dicat gloſſ. in cap. *Vnam Sanctam de Maior. & Obed. § fin. Non videretur Dominus diſcretus fuiſſe (vt cum reuerentia eius loquar) niſi vnicum poſt ſe talem Vicarium reliquiſſet, qui omnia poſſet, ſicut potuit ipſe Chriſtus naturalis Dominus, &c.* gloſſ. in cap. *Quanto extra, de Translat. Epiſcopi. &* gloſſ. in cap. *Propoſuit. de conceſſione præbendæ ver. Diſpenſare. § Papa diſpenſare poteſt contra Apoſtolum, & contra Apoſtolicos Canones, contra Vetus Teſtamentum, & in votis ac iuramento, & contra ius naturale &c.* Cum tñ Papa non poſſit habere poteſtatẽ excellẽtiæ Chriſti Dñi, neq; eius poteſtatẽ extraordinariã in Sacramẽtis, ſeu Sacramentorũ eſſentialibus, niſi ſolã poteſtatem ordinariam ſicut quilibet Eps. Item Papa nullo modo tollere põt obligationem votorum, neq; iuramentorum, niſi ſolum declarare poteſt præcedentem inualiditatem coram Deo talium votorum, & iuramentorum, hoc eſt in talibus, vel talibus circumſtantijs, nunquam obligaſſe, neq; in futurum, vnquam valere, neq; obligare coram Deo dum ſunt facta in talibus circumſtantijs. Item circa Canones Apoſtolicos, vel Eccleſiaſticos, fundatos in iuſtitia, & iure, nullo modo Papa diſpenſare poteſt, quia ius naturale eſt indiſpenſabile. Vnde impedimenta matrimonialia ſic fundata in iuſtitia, & iure ac honeſtate naturali, & prohibita, quia intrinſecè, & per ſe ſunt mala, Papa nullo modo diſpenſare poteſt relaxando obligationem iuris naturalis. Cum cauſa autem declarare poteſt coram Deo non eſſe, neq; fuiſſe vnquam prohibita in talibus circumſtantijs, & talis declaratio, eſt improprie diſpenſatio, quæ non poteſt dari in ſic prohibitis, quæ per ſe, & intrinſecè ſunt mala, neq; diſpenſare poteſt Papa circa patrimonium Eccleſiaſticum vt diſtribuetur cõtra iuſtitiam geometricè diſtributiuam jis, qui non habent plus iuris ad illa, ob maiorem ſeruitutem altaris quiq; comparatiuè ſunt indigni, ſeu indigniſſimi, &c.

Nota adulationem gloſſæ quod Papa ſit Dominus Deus noſter, & omnia poteſt, quæ Deus poteſt.

Atq; hinc colligo primo, quod duplex eſt diſpenſatio, altera propria, quæ eſt relaxatio obligationis in jis, quæ non fundantur in iuſtitia & iure naturali, niſi in ſolo beneplacito Principis, vel ſolum ad augendum eius patrimonium Cancellariæ, ſeu Datariæ ſiue temporalis, ſiue ſpiritualis introductæ ſunt de iure poſitiuo. Vnde hæc diſpenſatio non datur in ijs, quæ fundantur in iuſtitia & iure naturali; cuius Canones, ſeu Conſtitutiones ſunt indiſpenſabiles ſicut & ius ipſum naturale eſt indiſpenſabile. E contra vero diſpenſabiles ſunt omnes irregularitates ac ſuſpenſiones, & impedimenta illa ad ſacros ordines, ſeu ad beneficia, ſeu ad matrimonium contrahendum, quæ non fundantur in iuſtitia & iure. Altera eſt diſpenſatio impropria ex Azorio p. 2. de diſpenſatione. quæ proprie eſt declaratio in dubijs, & dicitur diſpenſatio ſeu declaratio cum cauſa in votis, iuramentis, ſeu impedimentis quæ in tali-

Papa diſpenſare poteſt relaxando obligationem in ſolo iure poſitiuo circa ea quæ ſolum mala ſũt, quatenus prohibita, non vero prohibita ſunt, quia intrinſece mala vel contra ius naturale ſunt. In iure autem naturali, ſeu diuino diſpenſat æquiuocè ſeu declaratiuè.

Digitized by Google

talibus circumſtantijs non obligant neq; coram Deo neq; corã Eccleſia licèt egeant declaratione. Vnde idem eſt hæc diſpenſatio, ac declaratio quod tale votum, ſeu tale iuramentum, ſeu tale matrimonium, ſic circumſtantiatum, nunquam obligauit, neq; obligabit coram Deo: ſeu declaratio quod Eccleſia non intendit talem obligationem. Alia eſt enim obligatio coram Deo, aut nullitas Sacramenti coram Deo, qui eſt ſcrutator cordium: atq; alia eſt coram Eccleſia, quæ non iudicat de occultis. Vnde fictè accedentes ad matrimonium, coram Deo non contrahunt; licet contrahant coram Eccleſia. Et ideo matrimonia clandeſtina, aliaq; impedimenta de ſolo iure poſitiuo introducta, non dirimunt matrimonium coram Deo cõtractum, vbi non eſt publicatum, ſeu receptum Concilium Tridentinum licet illud dirimant coram Eccleſia, vbi eſt publicatum & receptum Concilium Tridentinum, vnde Græci dirimunt omnia matrimonia quæ coram Deo ſunt nulla, quæq; Deus non coniunxit, ſed Diabolus per illam fictionem. Colligo ſecundo quod impedimenta matrimonalia, ſeu ad Sacros ordines ſuſcipiendos, in quibus diſpenſat Pontifex declaratiue vt ſupra, non fundantur in iuſtitia & iure naturali, quod eſt indiſpenſabile, quantum ad obligationem & obſeruantiam: ſed fundantur in ſolo iure poſitiuo; & ideo non obligant coram Deo, neq; dirimunt matrimonium cõtractum, vbi non eſt publicatum, neq; receptum Concilium Tridentinum. licet vere obligent coram Eccleſia, ac dirimant matrimonium coram Eccleſia, vbi eſt receptum Concilium. Summitto me tamen correctioni ac cenſuræ Sanctiſſimi Domini Noſtri VRBANI VIII. eiuſq; Nepotis Meritiſſimi FRANCISCI BARBARINI Eminentiſſimi Cardinalis de Sancta Agata, Græcorum Protectoris, ac Nepotis, Digniſſimi & Eminentiſſimi Cardinalis ANTONII BARBARINI, & Reuerendiſſimi Patris Hilarionis Rancati Doctiſſimi Abbatis Sanctæ Crucis in Hieruſalem, & Acutiſſimi Doctoris ANGELI Athenienſis Cyrilli, noſtri Patriarchæ amantiſſimi, ex Illuſtriſſima familia BONIZELA verè ANGELI, Angelicis nimirum moribus, & intelligentia Peripatetica, vt ex eius Periphraſi doctiſſima ſupra Totam Ariſtotelis Philoſophiam apparet, eiuſq; cognomen BONIZELI confirmat. Ardet enim bono, atq; optimo ſupra omnes alios zelo extirpandi omnes hæreſes, ac ſchiſmata ab Eccleſia Sancta Dei, ſiue Græca, ſiue Latina: Vna ſiquidem eſt Eccleſia Sancta Sponſa Chriſti, vt in ſymbolo Apoſtolorum dicitur, Vnitas vero, ſchiſmata non admittit. Faxit autem Deus Optimus Maximus vt bonus zelus tanti Doctoris Athenienſi ANGELI BONIZELI, eam ſua doctrina & zelo Eccleſiæ Catholicæ Græcæ ac Latinæ pariat exaltationem, præſeruationem, & vnitatem, quam ſatis fauſtè auguror, & fortaſſe futurorum præſagus Euangelizo, & præſcius, ac exultans præ maximo gaudio diuino.

Epilogus impoſſibilitatis, ac falſitatis Dei Spiratoris, formaliter & relatiuè contradiſtincti à Patre & Filio, & ſecundum Becanum Ieſuitam de Trinitate, per ſe ſubſiſtẽtis vt quod, *ac noſtro intelligendi modo conſtituti ex proprietate ſpiratiua actiua, coniuncta cum Diuina eſſentia, ſicut è contra Spiritus Sanctus conſtituitur ex paſſiua proprietate ſpiratiua & diuina eſſentia, quæ ſpiratiua proprietas non eſt conſtitutiua Patris vt genitor eſt, neq; Filij, niſi vnius, & ſolius Spirator.*

CAP. 7.

Viſa eſt hucuſq; impoſſibilitas & falſitas Spiratoris Dei, Becani Ieſuitæ de Trinit. Spiratoris nunquam vt *quod*, id eſt vt totale, & principale, atq; adæquatum producens ſeu Spirator, ſeu productor, aut productiuum principium Spiritus Sancti Spiratoris item *vt Hoc aliquid*, id eſt vt ſubſtantia completa, & ſingulare, & indiuiduum, ac vnum, & indiuiſum in ſe, ac diuiſum à quolibet alio relatiuo, ſeu corre-

correlatiuo. Spiratoris etiam, quod in Patre & Filio non ſubſiſtat *vt quo*, ideſt partialiter, vt accidens, ſeu pars eorum; ſed ſubſiſtat *vt quod* per ſe, ac mutuo ſit in Patre, & Filio, ſicut Pater ac Filius ſingillatim ſunt *vt quod* in ipſo Spiratore Deo per mutuam circuminceſſationem, ſicut mutuo Pater eſt in Filio *vt quod* & Filius eſt in Patre *vt quod* & vt perſona & vt *Hoc aliquid*. Spiratoris tandem, quatenus realiter, contradiſtinguitur à Spiritu ſancto & qualibet alia etiam diſparata relatione, realiter ſubſiſtente, & conſequenter Spiratoris Dei, vt perſona eſt. De fide eſt enim, quod in Diuinis ſufficit ex Scoto ſola incompoſſibilis oppoſitio diſparata ad contradiſtinctionem realem relatiuam. Vnde Spiritus ſanctus diſtingueretur à Filio ex Scoto etiam ſi ab ipſo non procederet. Immo Pater ipſe vt genitor relatiuè ſoli Filio opponitur, ſed diſparate opponitur Spiritui ſancto ac Spiratori ſi daretur Spirator Deus Becani formaliter cõtradiſtinctus à Patre & Filio, ac conſtitutus per formaliter contradiſtinctam proprietatem ſpiratiuæ virtutis: qua ratione Pater vt genitor eſt; per ſuam proprietatem generatiuam, ſoli Filio relatiuè opponitur. Vnde Pater aut Filius Spiritui ſancto tantum diſparate opponuntur: quia Spiritus ſanctus non opponitur Patri, qua Pater eſt per ſolam proprietatem actiuæ potentiæ generatiuæ; neq; Filio, qua Filius eſt per ſolam proprietatem generatiuam paſſiuè. Sed ſoli Spiratori Deo correlatiuè opponitur ex Becano, ita vt ſicut ex proprietate, ac potentia actiuè & paſſiuè generatiua, noſtro intelligendi modo reſultant, ſeu conſtituuntur correlatiuè Pr̃ & Filius: ſic ex ꝓprietate & potẽtia actiuè & paſſiuè ſpiratiua cõſtituantur relatiuè, & realiter diſtincti Spirator Deus, ac Spiritus ſanctus. Ad perſonalem, itaq; contradictionem realem, ac relatiuam, & incommunicabilem Spiratoris Dei, *vt quod* & vt *Hoc aliquid*, tanquam quartæ perſonæ, ſufficit realis contradiſtinctio à Spiritu ſancto, ad hoc vt etiam realiter contradiſtinguatur à qualibet alia perſona, cui opponatur ſolum diſparate; ſicut Pater ex potentia generatiua diſparate opponitur Spiritui ſancto, à quo tamen realiter relatiuè per Aduerſarios diſtinguitur. Illa enim Maxima *In Deo omnia ſunt vnum, vbi non obuiat relationis oppoſitio*, ex Scoto non niſi in eſſentialibus vera eſt ſimpliciter, & per ſe; ſed in qualibet alia oppoſitione diſparata, & incompoſſibili, falſa eſt. Nam omne realiter conſtitutiuum, eſt etiam realiter diſtinctiuum à quolibet alio, ſiue diſparato & incompoſſibili, ſiue relatiuo. Sic prædicamenta inter ſe realiter diſtinguuntur, ſiue opponantur relatiuè, ſiue diſparatè, & incompoſſibiliter. Ens enim, & vnum, ſeu indiuiſum in ſe, ac diuiſum à quolibet alio, conuertuntur, & per eandẽ entitatem ſuam intrinſecam cõtradiſtinguuntur à qualibet alia entitate & vnitate. Vnde ſi datur Deus Spirator *vt quod*, diſparate contradiſtinctus à Patre & Filio, impoſſibile eſt, quin ſit quarto Deus perſonalis, ſeu quarta perſona diuina incommunicabilis, per ſe ſubſiſtens *vt quod*, & vt perſona, ſeu per ſe vna entitas & vt *Hoc aliquid*. Si enim Pater & Filius, qua tales ſunt, non opponuntur Spiritui ſancto, neq; eſſe poſſunt vnus Spirator perſonalis: ergo Spiritus ſanctus non poteſt procedere ab eis, tanquam vnico Spiratore perſonali, ſed dandum eſt vnicum principium perſonaliter ſpiratiuum, ac productiuum perſonæ, quod ſit perſona, quæ nihil aliud eſt, niſi per ſe ſubſiſtens relatio diuina productiua perſonæ, vel productæ perſonæ. Quod competit Spiratori Deo vt *quod*, tanquam principio totali, & adæquato productionis Spiritus ſancti. Implicat autem talis Spirator Deus, realiter contradiſtinctus ab omni relatiua formalitate, & entitate, ſeu realitate Patris & Filij cum quibus neq; eſt vnum realiter realitate relatiua (nam relationes diuinæ, per ſe ſubſiſtentes, ſunt impermixtæ, neq; confundi poſſunt cum Sabellio) neq; ſunt vnum realiter realitate abſoluta in Spirando, quia non ſpirat vt Deus eſſentialis eſt, niſi vt Deus relatiuus, ſeu (quod idem eſt) vt Deus perſonalis eſt. nam ad intra actiones notionaliter productiuæ, ſunt ſuppoſitorum, ſeu Dei perſonalis, ſicut ad extra actiones per ſe primo ſunt vnius, & ſolius Dei imperſonalis, ac eſſentialis. Quod vero tale principium vnum, totale, & adæquatum, ſpiratiuum vt *quod*, non poſſit dari probatum

Per Aduerſarios Pater, qua Pater genitor eſt, ſeu Filius, qua Filius eſt diſparatè tantum opponitur Spiritui ſancto non autem relatiuè, quia Spiritus ſanctus ad ſolum Spiratorem per ſe refertur, & tamen Pater realiter diſtinguitur à Spiritu ſancto Ergo ſufficit diſparata oppoſitio ad diſtinctionem realẽ Patris, ſeu Filij à Spiritu ſancto.

Ad rationem perſonæ, ſeu quartæ perſonæ Spiratoris Dei, ſufficit diſparata oppoſitio & diſtinctio à Patre & Filio.

Omne realiter conſtitutiuum eſt etiam realiter diſtinctiuum, ſaltem ſicut realitas à realitate, & formalitas à formalitate, & entitas ab entitate.

Digitized by Google

tum eſt ex S.Th.p.p.q.33.art.4.ad 4. primo,quia perſonale eſſe debet. Ex duabus vero perſonis non poteſt fieri vnum principium perſonale. Secundo, quia principium eſſe debet, vel genitum & productum, vel ingenitum & improductum. Vtrunq; autem eſt falſum & erroneum in fide ſentire & docere in Spiratore Becani Deo,vno, ac indiuiduo, & ſingulari, quod ſit *Hoc aliquid*, ac perſonale principium ad intra, nam ſi ſit ingenitum, erit Pater alter Patris, & Auus Filij. E contra vero ſi ſit genitum, erit Filius Filj, & Nepos Aui. Præter quam quod erit aliud principium ſpiratiuum formaliter & realiter à principio generatiuo Patris contradiſtinctum, ac relatiuè,& realiter diſtinctum à Spiritu ſancto,nec nõ ab ipſo Patre.& Filio,licet per oppoſitionem diſparatam. Confirmatur primo, quia ſi Spirator Deus eſſet in Patre & Filio, ſicut quælibet relatio ſeu perſona diuina eſt in alia, nullo alio modo eſſe poſſet in illa ſumma & ineffabili vnitate, niſi vel accipiendo eſſe ab illa; vel dando eſſe illi, ſicut Pater eſt in Filio dando eſſe, & Filius eſt in Patre accipiendo eſſe. Sicut ergo Pater & Filius ad extra non eſt, neq; eſſe poteſt vnus, idemq; perſonalis Creator Deus, ſine Sabelliana hyopatria, ſic ad intra neq; eſt,neq; eſſe poteſt vnus, idemq; perſonalis Spirator Deus, ſeu perſonale principium ſpiratiuum ſine hæreſi Sabelliana. Neq; primo, valet Syllogiſmus ille, vnicus Achilles Aduerſariorum, ſeu paritas, quod ſicut ad extra Pater & Filius, ſunt vnus, idemq; eſſentialis Deus, ſeu eſſentialiter creator Deus, ſic ad intra ſunt vnus,idemq; perſonalis Spirator Deus,cum hyopatria Sabelliana. Eſt enim maxima imparitas & diſparitas,ſed peſſima paritas. Nam ad extra Deus per ſe primo operatur vt vnus eſt, & imperſonalis, ac eſſentia lis Deus eſt. E contra vero ad intra operatur,vt diſtinctus eſt in perſonis,ſeu vt Deus perſonalis eſt. Vnde ſi datur Spirator Deus ad intra, non niſi perſonalis eſſe poteſt. Neq; valet ſecundo illa obiectio, quod ſicut ad extra, ſeu in eſſentialibus Pater & Filius ſunt vnus idemq; eſſentialis Spirator Deus; ſic ad intra, ſeu in notionalibus realiter productiuis, Pater & Filius, ſunt vnus, idemq; perſonalis Spirator Deus. quia etiam Spiritus Sanctus eſt vnus, idemq; eſſentialiter Spirator Deus amans, & Amor diuinæ eſſentiæ, quæ ſpiratio eſſentialis eſt operatiua ex Scoto & S.Th ſed non eſt ꝓductiua perſonæ. Vnde falſa eſt paritas Becani de Trin. c.6 q 5. Vbi aſſerit, qd Spirator Deus identificat ſibi duas perſonas in vnũ Spiratorem contradiſtinctum realiter & perſonaliter a Spiritu S. non poſſunt autem duæ perſonæ identificari in vnũ perſonaliter Spiratorẽ Deũ,ſine hyopatria Sabelliana & hæreticali. eſſet.n.Spirator Deus *Hoc aliquid* & vt *quod*, ideſt ſubſtantia complecta, & adæquatũ principium Totaliter Spiratiuũ, Trinus Deus,ſeu Trinitas, conſtans ex tribus *quod*, ac tribus *Hoc aliquid*,nempe Patre & Filio, & Spiritu Sancto. & ſic Spiritus ſanctus nõ referretur ad Patrẽ qua Pater eſt,quod eſt contra Sacrã Scripturam.

Sicut dantur veri Canones Apoſtolorum apud Eccleſiam Romanam : ita dantur contrarij Canones Pſeudapoſtolorum apud contrarias Eccleſias. quod elucet ex oppoſita doctrina, facta ad inuicem comparatione de Canone ad Canonem, in ſingulis præſertim Sacramentis, & Sacramentorum eſſentialibus.

CAP. 8.

APoſtolorum Canones ab hæreticis adulteratos fuiſſe adeo aperta res eſſe mihi viſa eſt ſemper; vt vehementer admiratus ſemper fuerim, qua nam ratione, & qua religione id diſſimulare potuerint Ieſuitæ, Turriani aſſeclæ & diſcipuli omnes. Quo autem iure, non ſolum diſſimulentur, & tacito conſenſu approbentur a Ieſuitis; ſed quod peius eſt, aperte defendantur à Turriano, alijſq; Turriani Ieſuitæ aſſeclis, non video. nihil enim aliud ſunt niſi compendium quoddam apocrypharum Conſtitutionum Apoſtolicarum; quas ſtrenue defendit adulteratus fortaſſe ab hæreticis Turrianus in ſuis Commentarijs octo librorum Papæ Clementis Romani, vt infra de fide conuincemus. Hos Apoſtolorum Canones ab alijs Pontificibus Romanis reiectos, tanquam apocryphos & hæreticalis farinæ; ab alijs vero receptos ob venerabile nomen Apoſtolorum ſiue omnes, ſiue ſexaginta, ſiue quinquaginta teſtatur Gratianus diſt.16.can. *Canones Apoſtolorum &c.* Vtri vero Pontifices recte ſen-

tiant,

riant, vel vtri errent in tali dogmatica doctrina, reijciendi, vel approbandi, ipſi viderint. Ego autem nihil aliud eiuſmodi adulteratos Canones Apoſtolorum redolere & ſapere aduerto, niſi ipſiſſimam erroneam doctrinam adulteratarum Conſtitutionum Apoſtolicarum, à quibus deſumpti ſunt, quaſq; hæreticaliter deprauatas eſſe teſtantur omnes Patres Græci in ſexta Synodo Trullana can. 2. licet de induſtria hæreticorum relicta ſint multa, quæ ſpeciem pietatis præſeferunt. Legatur ſexta ſynodus Trullana can. 2. nam pudor eſt vt quod iure optimo Patres Græci reijciunt tanquã hæreticum, id Latini admittant tanq̃ Catholicũ Qm̃ vero oppoſita iuxta ſe poſita magis eluceſcũt: hinc oĩs falſitas eiuſmodi adulteratorũ Canonũ ex oppoſitis Canonibus Sanctæ Matris Eccleſiæ Catholicæ cõuincetur. Lumen. n. lumini nõ repugnat, niſi ſolum ipſæ tenebræ: & veritas veritati non contradicit, niſi ipſa ſola falſitas. Nulli ſunt autem, aut eſſe poſſunt alij Apoſtolorum Canones, niſi illi quos Apoſtoli eidem Sanctæ Matri Eccleſiæ Catholicæ & Apoſtolicæ Romanæ tradiderunt, ex can. *Nolite errare fratres*, & can. *Quis neſciat. d. 11. & can. Præceptis Apoſtolicis. d. 12.* Nihil enim valent Canones aliorum contra Canones Eccleſiæ Romanæ ex decreto Papæ Felicis in can. *Conſtitutiones* diſ. 10. Eo ipſo itaq; quod à Turriano Ieſuita affertur, ſeu defenditur aliquis Apoſtolorum nomine palliatus Canon, eſſentialiter pugnans cum veris Canonibus Sanctæ Matris Eccleſiæ Catholicæ, ſtatim adulterinus eſſe Canon conuincetur, ſub mentito nomine Apoſtolorum, hæreticaliter deprauatus, & palliatus. quod patebit diſcurrendo per ſingulos hos Canones Apoſtolorum nomine ab hæreticis Pſeudoapoſtolis diuulgatos, & mutilatos. quod enim dentur Apoſtolorum Canones Catholici, & Pſeudapoſtolorũ Canones hæreticales aperta res eſt ex teſtimonio eiuſdem B. Clementis adulterati li. 6. c. 16. qui vero ſint Canones Catholici; & qui hæreticales, hic eſt punctus, ſeu dubium. Duplices ergo dantur Canones Apoſtolorum, Hi nimirum qui ſunt compendium Conſtitutionum Apoſtolicarum, à quibus ſingillatim deducti ſunt: & illorum contrarij, qui vigent apud Eccleſiam Romanam. Alterutri ergo ſunt Catholici, & alterutri hæreticales. quod patebit ex ſubiecta materia, ſeu doctrina. Et quidem hi Canones 85. qui canonizant Conſtitutiones Apoſtolicas B. Clementis, ſunt ipſiſſimum ſeminarium omnium impietatũ, omniumq; hæreſum, circa Sacroſancta Eccleſiæ Catholicæ Sacramenta Euangelica, e medio tollenda: immo ſunt ipſiſſima hæreticorum omnium Panopliæ, ac firmiſſimum fundamentum, & machinæ ad euertendam arcem Sacramentorum, quibus tanquam propugnaculis Eccleſia Dei conſtruitur, quæ eſt vt caſtrorum acies ordinata. Quod autem tempore Apoſtolorum hi Canones ac octo libri Conſtitutionum Apoſtolicarũ ab hæreticis & Pſeudapoſtolis, & Cherinto eſſentialiter, & hæreticaliter adulterati fuerint, non ſolum conſtat ex Apoſtolo, ad Galat. 1. §. *Introducti ſunt falſi fratres vertentes Euangelium in aliud, quod non eſt aliud, &c.* Sed etiam conſtat ex ipſomet B. Clemente Romano Conſtit. Apoſtol. lib. 6. cap. 16. vbi expreſſe nos admonet, ne credamus ſtatim libris diuulgatis ſub mentito nomine Canonum Apoſtolorum, vel Conſtitutionum Apoſtolicarum. ibiq; duas ſpecies Canonum Apoſtolicorum, & duas ſpecies Conſtitutionum Apoſtolicarum aſſignat; Catholicas nempe Conſtitutiones, & Canones Apoſtolorum veros, ac germanos: nec non hæreticales Conſtitutiones Apoſtolicas, & peſtilentiales Canones diuulgatos ſub mentito nomine Apoſtolorum quos Pſeudapoſtolos appellat lib. 6. cap. 8. § *Diabolus molitus eſt in populo, vt poſt nos, Pſeudapoſtolos mitteret &c. & cap. 9. fin. § Primum inducta eſt Romam a Simone Mago impia ſimoniacorum hæreſis, & cap. 9. fin. § Pſeudapoſtoli deceptores,* & vtroſq; ſiue Apoſtolos, ſiue Pſeudapoſtolos ex ipſa ſubiecta materia, & intentione & ſcopo dignoſcendos & diſcernendos eſſe præſcribit: quid clarius? *A fructibus enim, & effectibus eorum, ait Chriſtus in Euangelio, cognoſcetis eos.* Sic autem ait B. Clemens in aliquibus germanè; & non adulteratè relictis verbis cit. lib. 6. cap. 16. § *Hæc omnia mandauimus vobis, vt noſtram ſententiam cognoſceretis cuiuſmodi ſit, atq; noſtro nomine inuulgatos ab impijs libros ne reciperetis. Non*

enim nominibus Apoſtolorum attendere debetis, ſed natura rerum, ac recta ſententia. Nouimus enim à Simone & Cleobio peſtilentes ſub nomine Chriſti, & Apoſtolorum eius compoſitos libros circumferri in fraudem veſtri, qui Chriſtum, noſq; eius ſeruos diligitis. Sicut priſcis quoque temporibus quidam libros apocryphos ſcripſerunt Moſis, Enoch, Adæ, Iſaiæ, Dauidis, & Heliæ, atq; trium Patriarcharum pernicioſos, & veritati infeſtos. Tales modo libros effecerunt execrandi homines, damnantes nuptias, ac liberorum procreationem. Quorum doctrinam fugite, ne ſupplicij eorum participes ſitis, quia illos conſcripſerunt, vt deciperent, ac perderent fideles, & nos laudandos diſcipulos Ieſu Domini noſtri, &c. Ecce ex teſtimonio eorundem Pſeudapoſtolicarũ Conſtitutionũ quod dantur cõpoſiti falſi Canones Apoſtolorum, & falſæ Conſtitutiones Apoſtolicæ ab Hæreticis conſcriptæ. Vel ergo hi falſi Canones, & mentitæ Conſtitutiones Apoſtolicæ in ſingulis Sacramẽtis præſertim, ſunt Apoſtolici Canones Eccleſiæ Romanæ, qui ſunt contrarij ex diametro in Sacramentorum adminiſtratione his Canonibus Apoſtolorũ Clementis apocryphi. Vel è contra tales falſi Canones Apoſtolorum & mentitæ Conſtitutiones Apoſtolicæ, nullæ ſunt aliæ, niſi hæ Clementis apocryphi, tanquam ex diametro pugnantes in Sacramentorum adminiſtratione, cum veris Canonibus Apoſtolorum, & veris conſtitutionibus Apoſtolicis Eccleſiæ Romanæ. Hæreticum vero eſt dicere eiuſmodi falſos Canones eſſe illos, quibus vtitur Eccleſia Romana. ergo Catholicum erit dicere Pſeudapoſtolorum Canones nullos alios eſſe, niſi eos, qui contradicunt Canonibus Eccleſiæ Romanæ, ex can *Quis neſciat, & can. nolite errare. d. 11.*

Circa vltimum Apoſtolorum Canonem 84. ſeu 85.

VT itaq; incipiamus ab vltimo Apoſtolorum Canone 84. ſeu 85. inter libros Canonicos & Catholicos non admittit Canon hic Pſeudapoſtolorum: ſed reicit hæreticaliter Apocalyſim B. Ioannis. Nec non ſolum duas Epiſtolas Decretales B. CAP. 9. Clementis admittit. Vlteriores vero tres alias Epiſtolas eiuſdem B. Clementis negat hæreticaliter, & excludit ſub mentito nomine Sancti Clementis Papæ eodẽ can. vltimo §. *Sunt omnibus vobis clericis & laicis venerandi, ac Sacri libri veteris & noui Teſtamenti Euangelium Marci, ac Lucæ & Euangelium Ioannis, tres Epiſtolæ Ioannis; duæ Epiſtolæ Clementis; ac Conſtitutiones Apoſtolicæ, quæ vobis Epiſcopis per me Clementem in libris octo nuncupatæ ſunt, &c.* Reijcit etiam Eſdran, Tobiam, Iudith & Sapientiæ librum. Hic Canon deſumptus eſt ex lib. 2. cap. 61. alias 57. B. Clementis adulterati vbi præſcribuntur omnes libri Canonici. Quam vero ſit hæreticus hic Canon non autem Apoſtolicus, cæcus eſt, qui id non videat, ſtultus eſt qui non agnoſcat. hæreticus eſt qui id defendat. Et qui enim fieri potuit vt B. Clemens Papa ſuas quinq; Epiſtolas decretales reiecerit, accuſando falſitatis Eccleſiam Romanam, quinq; Epiſtolas Decretales B. Clemẽtis admittentẽ? Vel qui fieri potuit, vt B. Clemẽs reiecerit Apocalypſim B. Ioannis? Vel quo iure B. Clemens ſuas tantum duas Epiſtolas Decretales recipiendas eſſe ſuperbiſſime iubere poterat, excludendo omnes alias aliorum Pontificum ſucceſſorum Epiſtolas, nihilq; de ſuſcipiendis ſimilibus ſubſequentium Pontificum Romanorum Epiſtolis Decretalibus præcipiendo? ah valeant, & male valeant hæc hæreticorum figmenta, ſeu deliramenta; valeat hic Diabolicus, non autem Apoſtolicus Canon vltimus; non Apoſtolorum, ſed Pſeudapoſtolorum. Præterea hic Canon vltimus expreſſe præcipit ſuſcipiendas eſſe Conſtitutiones Apoſtolicas, in octo libris B. Clementis conſcriptas. & tamen Eccleſia Græca in ſexta Synodo Trullana can. 2. (legatur obſecro) eaſdem Conſtitutiones Apoſtolicas, Sanctiſſime ſatiſq; orthodoxe & Catholice tanquam hæreticales reiecit & damnauit. qui ergo fieri poteſt vt Apoſtolicus, & non potius Diabolicus ſit iſte Apoſtolorum, Canon vltimus? num gratis & falsò Eccleſia Græca reiecit, ac damnauit has mentitas Conſtitutiones Apoſtolicas? Vlterius idem Canon vltimus Apoſtolorum, ſeu potius Hæreticorum, expreſsè præcipit Conſtitutiones haſce Apoſtolicas occultandas eſſe, propter occulta myſteria, & Sacramenta quæ continent.

quod

quod penitus eſt falſiſſimum. Nullum enim Sacramentum Euangelicum continent, niſi hæreticalia omnia Sacramenta Pſeudapoſtolorum, vt ſingillatim infra oſtendemus. Vnde impudentiſſime mentitur iſte Canon Diabolicus, non autem Apoſtolicus, quicquid dicat Arcudius, & adulteratus Turrianus Ieſuita propugnator eius, & quidam Epiſcopus Bouius condiſcipulus Turriani Ieſuitæ & coadiutor commentariorum Turriani in apocryphos octo libros, ſub nomine B. Clementis adulteratos.

Cur autem adulterinus hic vltimus Canon Apoſtolorum tres vltimas Decretales Epiſtolas B. Clementis Papæ reijciat, hæc eſt cauſa; quia in tertia Epiſtola B. Clementis ex Apoſtolorum expreſſa traditione & doctrina iubetur, ordinationes Epiſcoporum fieri debere per Sacras Vnctiones noui; & veteris Teſtamenti. id quod etiam expreſſe confirmat Papa Anacletus Græcus, à B. Petro ordinatus, ſicut & B. Clemens, qui B. Anacletus in ſua Decretali Epiſtola ſecunda, expreſſe docet Apoſtolos conſecraſſe Epiſcopos per Sacri Chriſmatis Vnctionem, exemplo Moyſis, ex Dei præſcripto, per Sacrum Chriſma Epiſcopos in veteri Teſtamento conſecrantis, vt patet ex can. *Ordinationes Epiſcoporum, exemplo Moyſis & Apoſtolorum, Sacra Vnctione celebrabitis; quia omnis ſanctificatio conſtat in Spiritu ſancto, cuius virtus Sacro eſt Chriſmati permiſta, &c.* diſt. 75. quod etiam confirmat Papa Gregorius de Sacra Vnctione; & Innocentius Tertius cap. vnic. de Sacr. Vnction. eſtq; eſſentialis cerimonia in Sacramento Ordinis, vt fuſius in noſtro Prolegomeno probauimus, etiam ex ipſo Euchologio, in prima oratione conſecrandi vnguentum Chriſmatis. Vbi expreſſe præcipitur Chriſma conſecrandum eſſe pro ordinatione Epiſcoporum & Sacerdotum, ex Apoſtolorum exemplo, & traditione, vigente (vt ait Euchologium Rituale ſeu Pontificale Græcorum) vſq; ad hodiernum diem, vt dicitur in oratione conſecrationis vnguenti apud Euchologium cit. quod omne concordat cum Epiſtola ſecunda Decretali B. Anacleti Papæ Græci, à B. Petro ordinati, & cum Epiſtola Decretali tertia B. Clementis, ſimiliter à B. Petro conſecrati. Et tamen Turrianus Ieſuita lib. 8. Commentariorum B. Clementis, in ordinatione Epiſcopi, impudentiſſimè reijcit eſſentialem hanc Chriſmatis cerimoniam, & Epiſtolam Decretalem B. Clementis, eo quod non fuerit recepta in Canone vltimo Apoſtolorum, neq; in ipſis hæreticaliter adulteratis Conſtitutionibus Apoſtolicis aliqua eiuſdem Chriſmationis mentio fiat. Et licet ait Turrianus Ieſuita tale Chriſma admittatur in Epiſtola Tertia B. Clementis, non tamen reperitur in prima, neq; ſecunda Epiſtola eiuſdem B. Clementis, niſi ſolum in tertia. quæ Tertia non admittitur a Canone 85. Apoſtolorum immo Pſeudapoſtolorum, quæ ratio Turriani Ieſuitæ eſt ineptiſſima. Satis eſt enim ſi talis Epiſtola recepta ſit ab Eccleſia Romana; & ab Euchologio in cõſecratione Sacri Vnguenti Chriſmatis ad conſecrãdos Epiſcopos & Sacerdotes, &c. quod Euchologium Pontificale Græcum maioris authoritatis eſt, quam adulteratæ hæ Conſtitutiones Apoſtolorum. CAP. 10.

Circa adulteratos Canones Apoſtolorum, ſeu potius Pſeudapoſtolorum.

VT autem Turrianus Ieſuita lib. 8. cap. 16. eneruet, ac neget penitus ipſas eſſentiales Sacras Vnctiones Ordinis, negat Chriſtum Dominum conſtitutum fuiſſe Sacerdotem in inſtanti ſuæ Conceptionis per Sacram Vnctionem Spiritus ſancti licet inuiſibiliter ſibi præſtitam ſine Sacramento externo, per quam inuiſibilem Vnctionem & Chriſmationem fuit Chriſtus, ſeu Vnctus in ſua humanitate, ſupra omnes Chriſtos, ſeu Chriſtianos ex Pſ. *Propterea vnxit te Deus oleo exultationis præ conſortibus, & participibus tuis, &c.* Ex quo loco conſtat quod niſi Chriſtus Dominus in inſtanti ſui Sacerdotij vnctus fuiſſet Sacra interna Vnctione Spiritus ſancti (licèt inuiſibiliter & ſine Sacramento Ordinis) nunquam vere factus eſſet ſummus Sacerdos per Sacram Spiritus ſancti Vnctionem, per quam poteſtas datur in Spiritu ſancto ad remittenda peccata, vt homo. Vnde Turrianus cit. lib. 8. cap. 16. ait Chriſtum cõ- CAP. 11.

ſequutum

Digitized by Google

bunal Eccleſiæ Catholicæ repræſentatæ per Concilium Oecumenicum, in correctione & reformatione fraterna & Euangelica publicorum delictorum eiuſdem Eugenij, in eodem Concilio prætenſorum. Eugenius ergo pars intereſſata, ſeu reus, non poterat eſſe ſimul iudex ſui ipſius contra Eccleſiam Sponſam Chriſti: Vnde ſententia lata à Iudice non ſuo, ipſo iure nulla eſt. neq; quis ab Eccleſia recipere poteſt claues ſoluendi & ligandi niſi claue non errante iuriſdictionem ex Scoto de Pœnitentia. Non poteſt autem Eccleſia, ſeu ſuperior dare alicui claues ſoluendi & ligandi contra ſe ipſam Eccleſiam exercendas. Eſt enim Papa Caput Eccleſiæ, ſed Caput conſeruatiuum & defenſiuum iurium, ac omnis maioris prærogatiuæ atque excellentiæ Eccleſiæ Sponſæ Chriſti, quæ eſt bene meritiſſima de omnibus Pontificibus Romanis. Omnis enim dignitas & gloria atq; poteſtas, & imperium Pontificis Romani eſt ab Eccleſia Catholica, ſibi conceſſa & tranſlata, cuius nomine electus fuit Papa, vt Chriſti Vicarius defenſiuus & conſeruatiuus Eccleſiæ, non autem eſt Caput deſtructiuum Eccleſiæ. nam eſt Caput pro Eccleſia Sponſa Chriſti exaltanda, & tuenda; non vero eſt Caput ſupra Eccleſiam, cuiuſmodi eſt ſolus Chriſtus neq; eſt Caput contra Eccleſiã, neq; eſt Caput fundatiuum, ſeu ædificatiuum Eccleſiæ, cuiuſmodi eſt ſolus Chriſtus Dominus, nam Chriſti Caput, eſt Deus ex Apoſtolo, in qua re ſummitto me prudentiori iudicio eiuſdem Pontificis Romani, eiuſq; orthodoxæ doctrinæ, deductæ ex Sacra Scriptura, non autem pro ſuo libito & intereſſe definitæ.

Papa eſt Caput Eccleſiæ id eſt pro Eccleſia; non vero ſupra neq; contra Eccleſiam.

CAP. 5.

Confirmatur id, quia omne miniſterium Pontificiæ iuriſdictionalis poteſtatis immediatè confertur Papæ ab ipſa Eccleſia: ſicut enim ab ipſa immediate deriuata eſt, ſic ad ipſam immediate reſoluitur, ac deuoluitur in morte, ſeu renunciatione, ſeu in Vicariũ Conſiſtorialẽ, nomine Eccleſię electũ, ſiue miniſtrantẽ, quia tale miniſterium reſidet penes Eccleſiam, Sponſam Chriſti, cuius nomine Papa diſpenſat beneficia & officia Eccleſiaſtica. Si enim poteſtas iuriſdictionis haberetur à Deo immediate, & principaliter, ſicut poteſtas Ordinis, multa ſequerentur abſurda. Nunquam .n. Epiſcopus quilibet deponi poſſet ab Eccleſia, aut inualidari poſſet talis eius poteſtas, quin de facto exeat in actum, quia Eccleſia non eſt ſupra Chriſtum, & multo minus eſt ſupra Deum. ita vt tollere poſſit poteſtatem quam ipſa non potuit tradere, ſed ſolus Deus tradidit. Item ſecundo talis poteſtas iuriſdictionis immediate & infallibiliter conferretur à Deo per electionem tanquam per Sacramentum certiſſimum ex opere operatò, ſicut poteſtas Ordinis. Secus incerti eſſemus an aliquis ſit Pontifex; quia incerti ſumus, an Deus tradiderit illi poteſtatem iuriſdictionis Pontificiæ, niſi per ſymbolum electiuum, ſeu Sacramentum externum id ſciremus. eſſet ergo electio loco certi, & efficacis ſigni, ex opere operato inſtar Sacramenti. Item tertio, electio ſiue bona, ſiue mala ipſi Deo tribueretur, ſicut & collatio poteſtatis iuriſdictionis per te ipſi ſoli Deo tribuitur. & ſic per te æquè poteſtas ordinis, & iuriſdictionis, eſſet immediate à Deo in Pontifice; & pariter in Epiſcopo, ſeu parocho. Mortuó enim Epiſcopo, ſeu Papa, ad electionem Vicarij Capitularis, ſeu Conſiſtorialis, traderetur per te poteſtas iuriſdictionis à Deo immediate nõ autem ab Eccleſia. Et quis enim hanc poteſtatem tradidit Vicario Capitulari, ſeu Conſiſtoriali in eligendis Epiſcopis, ſeu Parochis, ſi hæc poteſtas non habetur immediatè ab Eccleſia, niſi à ſolo Deo? Quarto ſequeretur quod Deus non eſſet ſcrutator cordium, neq; iudicaret de occultis, ſed cuilibet electo in Epiſcopum, ſeu Pontificem infallibiliter ex opere operato ipſius electionis traderet poteſtatem iuriſdictionis non cognoſcens, neq; iudicans de occultis impedimentis, & nullitatibus, ſicut neq; Eccleſia cognoſcit de eis, neq; de illis iudicat. Et ſic ſi Epiſcopus, ſeu Papa ſit occultè hæreticus (quod abſit) vel ſchiſmaticus, vel ſuſpenſus, interdictus, excommunicatus, ſimoniacus, non baptizatus, vel nulliter, & illegitime, ſeu inſufficienter electus, ſeu coactè, & non liberè, ſeu falſis, aut falsò numeratis ſecreto ſuffragijs, &c. Sequeretur inquam quod ſicut Eccleſia de his

occul-

occultis nullitatibus non poteſt iudicare, ſic neq; iudicet Deus, ſed teneatur infallibiliter ex opere operato ipſius electionis publicæ (licet inualide coram Deo) conferre poteſtatem iuriſdictionis Epiſcopalis, ſeu Pontificiæ. ita vt ille talis electus, verè conſequatur poteſtatem iuriſdictionis Epiſcopalis, ſeu Pontificiæ; donec manifeſta, & publica fiat eius nullitas ſecundum allegata, & approbata in foro fori: & tunc coram Deo ſit depoſitus, quando coram Eccleſia erit depoſitus, & non antea, ac ſi pariter Deus non erit ſcrutator cordium, neq; iudicaret de occultis, ſicut neq; Eccleſia iudicare poteſt de occultis, quia non eſt perſcrutatrix cordium. Quæ ſunt abſurda indigniſſima tribui Deo. Euitantur autem omnia hæc, ſi dicamus iuriſdictionis poteſtatem Papæ immediate tribui ab Eccleſia Sponſa Chriſti, nomine ſui Sponſi. Et conſequenter occultum ſimoniacum, ſeu hæreticum ſeu nulliter electum & occultum vere eſſe Papam, quia Eccleſia non iudicat de occultis. Secus eſſemus ſemper dubij de veritate & certitudine Papæ, ſi immediate poteſtatem habet à Deo. quia neſcimus certitudinaliter de fide an ille coram Deo, verè ſit Catholicus & non hæreticus, vel non ſimoniacus, vel non violenter neq; fraudolenter electus, & non excommunicatus, neq; præciſus ab vnitate Eccleſiæ, ſeu incapax, irregularis, aut ermaphrodita, &c. Atq; hinc conſtat falſitas hæreticorum contendentium non poſſe dari aliquem, qui certo & infallibiliter, ac de fide ſit, quod ſit Papa, quia incertum eſt an coram Deo ſit vere electus, abſq; vllo Canonico impedimento, ex ſuppoſitione quod poteſtas Pontificia, ſeu Epiſcopalis immediate tradatur à Deo. Reſpondemus enim tale fundamentum eſſe falſum, & erroneum in fide, quia poteſtas iuriſdictionis Pontificiæ immediate tribuitur ab Eccleſia cuius nomine electus fuit, Eccleſia vero non iudicare debet de occultis. Semper ergo Papa eſt vere & certo Papa coram Deo, quoties vere, & certo, certitudine morali, eſt Papa coram Eccleſia Sponſa Chriſti, quæ non iudicat de occultis. Quoniam itaq; Papa ab Eccleſia immediate & infallibiliter non iudicante de occultis recipit omnem ſuam poteſtatem iuriſdictionis; & ex Apoſtolo de fide eſt quod *Maius eſt dare, quàm accipere poteſtatem*. nam hoc eſt indigentiæ, illud eſt excellentiæ, ideo conſequenter eſt de fide Eccleſiam dantem maiorem ac ſuperiorem eſſe Papa accipiente & indigente. Et licet per accidens Veritas odium pariat apud iniquos, propriaq; paſſione excæcatos, putamus tamen, quòd hæc Veritatis Catholicæ confeſſio de excellentia Eccleſiæ Sponſæ Chriſti, ſupra Papam, amorem nobis Pontificium quam maximè paritura ſit, apud Sanctiſſimum Pontificem Noſtrum VRBANVM VIII. cuius pedes deuotiſſimè complexos deoſculamur, nulla enim maior gloria eſſe poteſt Romani Pontificis, niſi ſubeſſe Sanctæ Matri Eccleſiæ Catholicæ, Sponſæ Chriſti, ad præſcriptum eiuſdem Chriſti Matthæi 18. *Qui Eccleſiam non audierit; ſit tibi tanquam ethnicus & publicanus*. Eccleſiam inquam repræſentatam per Concilium Oecumenicum, legitimè tamen in Spiritu ſancto congregatum, ac inſuper legitimè in Spiritu ſancto celebratum, euidenter deducentem de fide ſuas concluſiones, & decreta, ex præmiſſis de fide. In qua recta deductione, de fide, non poteſt errare Theologica demonſtratio ſyllogiſtica, quin talis error redundet in præmiſſas fidei Sacræ Scripturæ.

Neq; valet, ſi dicas Oecumenicum Concilium Baſilienſe, & Conſtantienſe reiectum fuiſſe ab Eugenio Quarto, alijſq; Pontificibus Romanis, quo ad illud decretum fidei, à dictis Concilijs editum, de ſuperitate, ac ſupremo Tribunali Eccleſiæ, Sponſæ Chriſti, per Concilium quodcunq; Oecumenicum repræſentatæ, ſupra quoſcunq; Reges, & Principes, ſiue ſpirituales, ſiue temporales, ac ſupra Pontificem ipſum, fortaſſe (quod abſit) in moribus Euangelicis errantem. Non valet inquam talis rejectio, primò, quia de fide eſt Matth. 18. omnes & ſingulos Chriſti fideles, in moribus Euangelicis errantes, ſubiacere correctioni fraternæ & Euangelicæ, Sanctæ Matris Eccleſiæ Catholicæ, magis ipſos Epiſcopos ſeu Reges ſpirituales, quàm ſæculares, ob maius ſcandalum, & damnum illatum proximis, dicente Chri-

CAP. 6.

Obiectio validiſſima apud multos multipliciter proijcitur.

ſto

ſto Matth. 18. *Si peccauerit in te frater tuus, & te non audierit, adhibe duos teſtes*; non autem ſtatim excommunicabis eum (Ecce ſuauiſſimum modum corrigendi errantes) *& ſi illos non audierit, dic Eccleſiæ*, ſeu Cita illum coram Eccleſia, vt ſe defendat, quia defenſio eſt de iure naturali, ac diuino. Non autem ſtatim excommunicabis eum. *Et ſi Eccleſiam non audierit*, tunc euitabis illum; Qui enim Eccleſiam contemnit Sponſam Chriſti, Chriſtum Sponſum contemnere cenſetur. Eccleſia enim Sponſa, & Chriſtus Sponſus ſicut faciunt vnum coniugium ſpirituale: ſic faciunt vnũ Conſiſtorium & vnum Tribunal. Et ſicut ſupra Chriſtum Sponſum, nullus homo eſſe poteſt, ſic neq; ſupra Eccleſiam Sponſam. Vbi duo habemus. Vnum quod citandi ſunt contumaces coram Eccleſia, ſiue Cathedrali, repræſentata per aliquos de Capitulo, apud Epiſcopum, ſeu Curiam Epiſcopalem; ſiue diœceſana, ſiue prouinciale, ſiue Patriarchale, ſiue Oecumenica: pro grauitate perſonæ Regalis vel difficultate, & grauitate materiæ. Alterum eſt quod in contumacia, & contemptu Eccleſiæ Sponſæ, ac Chriſti Sponſi; euitandus eſt contumax, ac reputandus eſt, vt ethnicus, & Publicanus, qui non poſſunt excommunicari, niſi ſolum reijci debent à participatione ſpiritualium bonorum Eccleſiæ Catholicæ. Secundo non valet talis reiectio Concilij Baſilienſis, quia quilibet Epiſcopus, aliud docens, & ſentiens in moribus Euangelicis, præter id, quod ab Apoſtolis Euangelizatum eſt, etiam ſi ſit Apoſtolus, vel Angelus de cœlo, ipſo facto, eſt excommunicatus, ex Apoſtolo ad Galat. 3. *Si quis Angelus de cœlo vel quis ex nobis Apoſtolis, aliud annunciauerit, præter id, quod Euangelizatum eſt, anathema ſit, & iterum dico anathema ſit*. Ecce anathema latæ ſententiæ contra aliud ſentientes, vel docentes, præter id quod in Sacra Scriptura reperitur implicite, ſeu explicite annunciatum. Non valet tertio, quia Eccleſia non fuit fundata ſub, ſeu ſuper Petrum; ſed ſuper Petrum, ac ſupra omnem eius authoritatem, & prætẽſionem, ſeu contentionem, quia Eccleſia Sponſa Chriſti, ſicut & Chriſtus ſuperioritatem omnem habet & authoritatem ſupra Petrum corrigendum ex can. Si Papa d. 40. ex quo conſtat Papam eſſe Caput defectibile, & amouibile propter hæreſim (quod abſit) ac ſubditum authoritati Eccleſiæ Sponſæ, ſicut & Chriſto Sponſo. Licèt autem quo ad doctrinam Papa ſit fundatus ſuper Petram Euangelicam Chriſti Dei, ita vt ab illa non poſſit diſcedere, neq; contra, neq; præter eam aliquid docere ſub anathemate Apoſtoli ad Galat. 3. *Si quis Angelus de cœlo, &c.* ſed adæquari, & commenſurari debeat doctrina Petri, ſupra firmam Petrã Euangelicã ac nihil in materia fidei docere valeat, hoc eſt neq; contra, neq; præter, tamen quo ad authoritatem Petra, quæ eſt Chriſtus, & eius doctrina Euangelica, prædicata & confeſſa à Concilio Oecumenico repræſentatiuo Eccleſiæ Catholicæ, eſt ſupra Petrum, non autem Petrus eſt ſupra Petram authoritatiuè; & oppoſitum eſt maxima proteruia Aduerſariorum, ac deceptio fidelium. Quarto non valet, quia poteſtas ligandi & ſoluendi, non data fuit quomodocunq; ſed claue duntaxat non errante ex Apoſtolo 2. Cor. 13. *Non data eſt poteſtas ad deſtructionem authoritatis Eccleſiæ; ſed ad ædificationem Eccleſiæ*. Quinto non valet, quia Portæ Inferi non præualebunt aduerſus Eccleſiam Sponſam & multo minus ambitio humana præualebit. nam tunc præualeret etiam aduerſus Chriſtum Sponſum. Sexto non valet, quia eſt contra decretum illud Euangelicum ſuperioritatis & prærogatiuæ Eccleſiæ, tanquam ſupremi Tribunalis Matth. 18. *Qui Eccleſiam non audierit* (quæ vere repræſentatur, per Concilium Oecumenicum) *ſit tibi ſicut Ethnicus & publicanus*. Septimo non valet, quia Concilium Oecumenicum legitime in Spiritu ſancto congregatum repræſentat Sedem Apoſtolicam, & Eccleſiam Catholicam. Vnde Gregorius Septimus, in can. *Si qui ſunt*. d. 81. § *peccatum paganitatis & infidelitatis incurrit, qui dum ſe Chriſtianum eſſe aſſerit, Sedi Apoſtolicæ obedire contemnit, &c.* Non valet vltimo talis reiectio facta a Concilio Florentiuo ſeu ab Eugenio Quarto, quia hoc quod circumfertur, eſt Concilium in multis adulteratum, & erroneum, vt fuſius viſum eſt in noſtris Obſeruationibus, ſupra Concilium Florentinum. Introducit enim

Nota quod Spirator Deus. Becani nullo modo dari poteſt, apud Concilium Florentinum.

cum

Digitized by Google

cum Becano Ieſuita de Trinitat. cap. 6. q. 5. Spiratorem Deum, exiſtentem, ac ſubſiſtentem per ſe, in proprietate ſpirationis actiuæ, coniunctæ cum Deitate; ſicut noſtro concipiendi modo, Spiritus ſanctus exiſtit, & ſubſiſtit in ſpiratione paſſiua, coniuncta cum Deitate. Ita vt proprietas Spiratoris, non ſit conſtitutiua Patris, neq; Filij, ſed ſolius, & vnius Spiratoris, tanquam vnici principij ſpiratiui, ac perſonalis. Principium enim ad intra, perſonale eſſe debet: ſicut è contra principium ad extra imperſonale, & eſſentiale per ſe primo eſſe debet. Scio mihi contradicturos meos æmulos, Papæ adulatores, quem Dominum Deum noſtrum eſſe iactant ex gloſ. cap. *Cum inter nonnullos. de verborum ſignific. verb. Declaramus. §. fin. Credere Dominum Deum noſtrum Papam, ſic non potuiſſe ſtatuere, hæreticum cenſetur 99. can. nulli fas*. & tamen Dominus Deus noſter Papa Gregorius, & Dominus Deus noſter Papa Nicolaus totum oppoſitum ſentiunt & docent ſine hæreſi in cap. *Exijt. de verborum ſignificatione in Sexto*, circa conſilia Euangelicæ perfectionis, ac paupertatis à Chriſto, & Apoſtolis ſeruata. Sic Dominus Deus noſter Papa Bonifacius, in cap. *Vnam Sanctam de Maior. & Obedien.* de fide definiuit Romanum Pontificem in ſpiritualibus, & temporalibus dominium habere. quod deinde merito reuocauit Dominus Deus noſter Papa Clemens V. cap. *Meruit. de priuilegijs*, quia *Regnum meum* (Xp̃s ait) *non eſt de hoc mundo*, conceſſo, ſeu permiſſo ab æterno Dominis ſæcularibus, etiam infidelibus, & principi huius mundi, &c. quicquid dicat gloſſ. in cap. *Vnam Sanctam de Maior. & Obed. § fin. Non videretur Dominus diſcretus fuiße (vt cum reuerentia eius loquar) niſi vnicum poſt ſe talem Vicarium reliquiſſet, qui omnia poſſet, ſicut potuit ipſe Chriſtus naturalis Dominus, &c.* gloſſ. in cap. *Quanto extra, de Translat. Epiſcopi.* & gloſſ. in cap. *Propoſuit. de conceſſione præbendæ ver. Diſpenſare. § Papa diſpenſare poteſt contra Apoſtolum, & contra Apoſtolicos Canones, contra Vetus Teſtamentum, & in voto ac iuramento, & contra ius naturale &c.* Cum tñ Papa non poſſit habere poteſtatẽ excellẽtiæ Chriſti Dñi, neq; eius poteſtatẽ extraordinariã in Sacramẽtis, ſeu Sacramentorũ eſſentialibus, niſi ſolã poteſtatem ordinariam ſicut quilibet Ep̃s. Item Papa nullo modo tollere põt obligationem votorum, neq; iuramentorum, niſi ſolum declarare poteſt præcedentem inualiditatem coram Deo talium votorum, & iuramentorum, hoc eſt in talibus, vel talibus circumſtantijs, nunquam obligaſſe, neq; in futurum, vnquam valere, neq; obligare coram Deo dum ſunt facta in talibus circumſtantijs. Item circa Canones Apoſtolicos, vel Eccleſiaſticos, fundatos in iuſtitia, & iure, nullo modo Papa diſpenſare poteſt, quia ius naturale eſt indiſpenſabile. Vnde impedimenta matrimonialia ſic fundata in iuſtitia, & iure ac honeſtate naturali, & prohibita, quia intrinſecè, & per ſe ſunt mala, Papa nullo modo diſpenſare poteſt relaxando obligationem iuris naturalis. Cum cauſa autem declarare poteſt coram Deo non eſſe, neq; fuiſſe vnquam prohibita in talibus circumſtantijs, & talis declaratio, eſt impropriè diſpenſatio, quæ non poteſt dari in ſic prohibitis, quæ per ſe, & intrinſecè ſunt mala, neq; diſpenſare poteſt Papa circa patrimonium Eccleſiaſticum vt diſtribuetur cõtra iuſtitiam geometricè diſtributiuam jis, qui non habent plus iuris ad illa. ob maiorem ſeruitutem altaris quiq; comparatiuè ſunt indigni, ſeu indigniſſimi, &c.

Nota adulationem gloſſæ quod Papa ſit Dominus Deus noſter, & omnia poteſt, quæ Deus poteſt.

Papa diſpenſare poteſt relaxando obligationem in ſolo iure poſitiuo circa ea quæ ſolum mala ſũt, quatenùs prohibita, non vero prohibita ſunt, quia intrinſece mala vel contra ius naturale ſunt. In iure autem naturali, ſeu diuino diſpenſat æquiuocè ſeu declaratiue.

Atq; hinc colligo primo, quod duplex eſt diſpenſatio, altera propria, quæ eſt relaxatio obligationis in jis, quæ non fundantur in iuſtitia & iure naturali, niſi in ſolo beneplacito Principis, vel ſolum ad augendum eius patrimonium Cancellariæ, ſeu Datariæ ſiue temporalis, ſiue ſpiritualis introductæ ſunt de iure poſitiuo. Vnde hæc diſpenſatio non datur in ijs, quæ fundantur in iuſtitia & iure naturali; cuius Canones, ſeu Conſtitutiones ſunt indiſpenſabiles ſicut & ius ipſum naturale eſt indiſpenſabile. E contra vero diſpenſabiles ſunt omnes irregularitates ac ſuſpenſiones, & impedimenta illa ad ſacros ordines, ſeu ad beneficia, ſeu ad matrimonium contrahendum, quæ non fundantur in iuſtitia & iure. Altera eſt diſpenſatio impropria ex Azorio p. 2. de diſpenſatione. quæ proprie eſt declaratio in dubijs; & dicitur diſpenſatio ſeu declaratio cum cauſa in votis, iuramentis, ſeu impedimentis quæ in

tali-

talibus circumſtantijs non obligant neq; coram Deo neq; corã Eccleſia licet egeant declaratione. Vnde idem eſt hæc diſpenſatio, ac declaratio quod tale votum, ſeu tale iuramentum, ſeu tale matrimonium, ſic circumſtantiatum, nunquam obligauit, neq; obligabit coram Deo: ſeu declaratio quod Eccleſia non intendit talem obligationem. Alia eſt enim obligatio coram Deo, aut nullitas Sacramenti coram Deo, qui eſt ſcrutator cordium: atq; alia eſt coram Eccleſia, quæ non iudicat de occultis. Vnde fictè accedentes ad matrimonium, coram Deo non contrahunt; licet contrahant coram Eccleſia. Et ideo matrimonia clandeſtina, aliaq; impedimenta de ſolo iure poſitiuo introducta, non dirimunt matrimonium coram Deo cõtractum, vbi non eſt publicatum, ſeu receptum Concilium Tridentinum licet illud dirimant coram Eccleſia, vbi eſt publicatum & receptum Concilium Tridentinum, vnde Græci dirimunt omnia matrimonia quæ coram Deo ſunt nulla, quæq; Deus non coniunxit, ſed Diabolus per illam fictionem. Colligo ſecundo quod impedimenta matrimonalia, ſeu ad Sacros ordines ſuſcipiendos, in quibus diſpenſat Pontifex declaratiue vt ſupra, non fundantur in iuſtitia & iure naturali, quod eſt indiſpenſabile, quantum ad obligationem & obſeruantiam: ſed fundantur in ſolo iure poſitiuo; & ideo non obligant coram Deo, neq; dirimunt matrimonium cõtractum, vbi non eſt publicatum, neq; receptum Concilium Tridentinum. licet vere obligent coram Eccleſia, ac dirimant matrimonium coram Eccleſia, vbi eſt receptum Concilium. Summitto me tamen correctioni ac cenſuræ Sanctiſſimi Domini Noſtri VRBANI VIII. eiuſq; Nepotis Meritiſſimi FRANCISCI BARBARINI Eminentiſſimi Cardinalis de Sancta Agata, Græcorum Protectoris, ac Nepotis, Digniſſimi & Eminentiſſimi Cardinalis ANTONII BARBARINI, & Reuerendiſſimi Patris Hilarionis Rancati Doctiſſimi Abbatis Sanctæ Crucis in Hieruſalem, & Acutiſſimi Doctoris ANGELI Athenienſis Cyrilli, noſtri Patriarchæ amantiſſimi, ex Illuſtriſſima familia BONIZELA verè ANGELI, Angelicis nimirum moribus, & intelligentia Peripatetica, vt ex eius Periphraſi doctiſſima ſupra Totam Ariſtotelis Philoſophiam apparet, eiuſq; cognomen BONIZELI confirmat. Ardet enim bono, atq; optimo ſupra omnes alios zelo extirpandi omnes hæreſes, ac ſchiſmata ab Eccleſia Sancta Dei, ſiue Græca, ſiue Latina: Vna ſiquidem eſt Eccleſia Sancta Sponſa Chriſti, vt in ſymbolo Apoſtolorum dicitur, Vnitas vero, ſchiſmata non admittit. Faxit autem Deus Optimus Maximus vt bonus zelus tanti Doctoris Athenienſis ANGELI BONIZELI, eam ſua doctrina & zelo Eccleſiæ Catholicæ Græcæ ac Latinæ pariat exaltationem, præſeruationem, & vnitatem, quam ſatis fauſtè auguror, & fortaſſe futurorum præſagus Euangelizo, & præſcius, ac exultans præ maximo gaudio diuino.

Epilogus impoſſibilitatis, ac falſitatis Dei Spiratoris, formaliter & relatiuè contradiſtincti à Patre & Filio, & ſecundum Becanum Ieſuitam de Trinitate, per ſe ſubſiſtẽtis vt quod, *ac noſtro intelligendi modo conſtituti ex proprietate ſpiratiua actiua, coniuncta cum Diuina eſſentia, ſicut è contra Spiritus Sanctus conſtituitur ex paſſiua proprietate ſpiratiua & diuina eſſentia, quæ ſpiratiua proprietas non eſt conſtitutiua Patris vt genitor eſt, neq; Filij, niſi vnius, & ſolius Spirator.*

CAP. 7.

VIſa eſt hucuſq; impoſſibilitas & falſitas Spiratoris Dei, Becani Ieſuitæ de Trinit. Spiratoris inquam *vt quod*, ideſt vt totale, & principale, atq; adæquatum producens ſeu Spirator, ſeu productor, aut productiuum principium Spiritus Sancti Spiratoris item *vt Hoc aliquid*, ideſt vt ſubſtantia completa, & ſingulare, & indiuiduum, ac vnum, & indiuiſum in ſe, ac diuiſum à quolibet alio relatiuo, ſeu

corre-

correlatiuo. Spiratoris etiam, quod in Patre & Filio non ſubſiſtat *vt quo*, ideſt partialiter, vt accidens, ſeu pars eorum; ſed ſubſiſtat *vt quod* per ſe, ac mutuo ſit in Patre, & Filio, ſicut Pater ac Filius ſingillatim ſunt *vt quod* in ipſo Spiratore Deo per mutuam circuminceſſationem, ſicut mutuo Pater eſt in Filio *vt quod* & Filius eſt in Patre *vt quod* & vt perſona & vt *Hoc aliquid*. Spiratoris tandem, quatenus realiter, contradiſtinguitur à Spiritu ſancto & qualibet alia etiam diſparata relatione, realiter ſubſiſtente, & conſequenter Spiratoris Dei, vt perſona eſt. De fide eſt enim, quod in Diuinis ſufficit ex Scoto ſola incompoſſibilis oppoſitio diſparata ad contradiſtinctionem realem relatiuam. Vnde Spiritus ſanctus diſtingueretur à Filio ex Scoto etiam ſi ab ipſo non procederet. Immo Pater ipſe vt genitor relatiuè ſoli Filio opponitur, ſed diſparate opponitur Spiritui ſancto ac Spiratori ſi daretur Spirator Deus Becani formaliter cōtradiſtinctus à Patre & Filio, ac conſtitutus per formaliter contradiſtinctam proprietatem ſpiratiuæ virtutis: qua ratione Pater vt genitor eſt, per ſuam proprietatem generatiuam, ſoli Filio relatiuè opponitur. Vnde Pater aut Filius Spiritui ſancto tantum diſparate opponuntur: quia Spiritus ſanctus non opponitur Patri, qua Pater eſt per ſolam proprietatem actiuæ potentiæ generatiuæ; neq; Filio, qua Filius eſt per ſolam proprietatem generatiuam paſſiuè. Sed ſoli Spiratori Deo correlatiuè opponitur ex Becano, ita vt ſicut ex proprietate, ac potentia actiuè & paſſiuè generatiua, noſtro intelligendi modo reſultant, ſeu conſtituuntur correlatiuè Pr̄ & Filius: ſic ex ꝓprietate & potētia actiuè & paſſiuè ſpiratiua cōſtituantur relatiuè, & realiter diſtincti Spirator Deus, ac Spiritus ſanctus. Ad perſonalem, itaq; contradictionem realem, ac relatiuam, & incommunicabilem Spiratoris Dei, *vt quod* & vt *Hoc aliquid*, tanquam quartæ perſonæ, ſufficit realis contradiſtinctio à Spiritu ſancto, ad hoc vt etiam realiter contradiſtinguatur à qualibet alia perſona, cui opponatur ſolum diſparate; ſicut Pater ex potentia generatiua diſparatę opponitur Spiritui ſancto, à quo tamen realiter relatiuè per Aduerſarios diſtinguitur. Illa enim Maxima *In Deo omnia ſunt vnum, vbi non obuiat relationis oppoſitio*, ex Scoto non niſi in eſſentialibus vera eſt ſimpliciter, & per ſe; ſed in qualibet alia oppoſitione diſparata, & incompoſſibili, falſa eſt. Nam omne realiter conſtitutiuum, eſt etiam realiter diſtinctiuum à quolibet alio, ſiue diſparato & incompoſſibili, ſiue relatiuo. Sic prædicamenta inter ſe realiter diſtinguuntur, ſiue opponantur relatiuè, ſiue diſparatè, & incompoſſibiliter. Ens enim, & vnum, ſeu indiuiſum in ſe, ac diuiſum à quolibet alio, conuertuntur, & per eandē entitatem ſuam intrinſecam cōtradiſtinguuntur à qualibet alia entitate & vnitate. Vnde ſi datur Deus Spirator *vt quod*, diſparate contradiſtinctus à Patre & Filio, impoſſibile eſt, quin ſit quarto Deus perſonalis, ſeu quarta perſona diuina incommunicabilis, per ſe ſubſiſtens *vt quod*, & vt perſona, ſeu per ſe vna entitas & vt *Hoc aliquid*. Si enim Pater & Filius, qua tales ſunt, non opponuntur Spiritui ſancto, neq; eſſe poſſunt vnus Spirator perſonalis: ergo Spiritus ſanctus non poteſt procedere ab eis, tanquam vnico Spiratore perſonali, ſed dandum eſt vnicum principium perſonaliter ſpiratiuum, ac productiuum perſonæ, quod ſit perſona, quæ nihil aliud eſt, niſi per ſe ſubſiſtens relatio diuina productiua perſonæ, vel productæ perſonæ. Quod competit Spiratori Deo vt *quod*, tanquam principio totali, & adæquato productionis Spiritus ſancti. Implicat autem talis Spirator Deus, realiter contradiſtinctus ab omni relatiua formalitate, & entitate, ſeu realitate Patris & Filij cum quibus neq; eſt vnum realiter realitate relatiua (nam relationes diuinæ, per ſe ſubſiſtentes, ſunt impermixtæ, neq; confundi poſſunt cum Sabellio) neq; ſunt vnum realiter realitate abſoluta in Spirando, quia non ſpirat vt Deus eſſentialis eſt, niſi vt Deus relatiuus, ſeu (quod idem eſt) vt Deus perſonalis eſt. nam ad intra actiones notionaliter productiuæ, ſunt ſuppoſitorum, ſeu Dei perſonalis, ſicut ad extra actiones per ſe primo ſunt vnius, & ſolius Dei imperſonalis, ac eſſentialis. Quod vero tale principium vnum, totale, & adæquatum, ſpiratiuum vt *quod*, non poſſit dari proba-

Per Aduerſarios Pater, qua Pater genitor eſt, ſeu Filius, qua Filius eſt diſparatè tantum opponitur Spiritui ſancto non autem relatiuè, quia Spiritus ſanctus ad ſolum Spiratorem per ſe refertur, & tamen Pater realiter diſtinguitur à Spiritu ſancto Ergo ſufficit diſparata oppoſitio ad diſtinctionem realē Patris, ſeu Filij à Spiritu ſancto.

Ad rationem perſonæ, ſeu quartæ perſonæ Spiratoris Dei, ſufficit diſparata oppoſitio & diſtinctio à Patre & Filio.

Omne realiter conſtitutiuum eſt etiam realiter diſtinctiuum, ſaltem ſicut realitas à realitate, & formalitas à formalitate, & entitas ab entitate.

Digitized by Google

tum eſt ex S. Th. p. p. q. 33. art. 4. ad 4. primo, quia perſonale eſſe debet. Ex duabus vero perſonis non poteſt fieri vnum principium perſonale. Secundo, quia principium eſſe debet, vel genitum & productum, vel ingenitum & improductum. Vtrunq; autem eſt falſum & erroneum in fide ſentire & docere in Spiratore Becani Deo, vno, ac indiuiduo, & ſingulari, quod ſit *Hoc aliquid*, ac perſonale principium ad intra, nam ſi ſit ingenitum, erit Pater alter Patris, & Auus Filij. E contra vero ſi ſit genitum, erit Filius Filj, & Nepos Aui. Præter quam quod erit aliud principium ſpirariuum formaliter & realiter à principio generatiuo Patris contradiſtinctum, ac relatiuè, & realiter diſtinctum à Spiritu ſancto, nec nō ab ipſo Patre, & Filio, licet per oppoſitionem diſparatam. Confirmatur primo, quia ſi Spirator Deus eſſet in Patre & Filio, ſicut quælibet relatio ſeu perſona diuina eſt in alia, nullo alio modo eſſe poſſet in illa ſumma & ineffabili vnitate, niſi vel accipiendo eſſe ab illa; vel dando eſſe illi, ſicut Pater eſt in Filio dando eſſe, & Filius eſt in Patre accipiendo eſſe. Sicut ergo Pater & Filius ad extra non eſt, neq; eſſe poteſt vnus, idemq; perſonalis Creator Deus, ſine Sabelliana hyopatria, ſic ad intra neq; eſt, neq; eſſe poteſt vnus, idemq; perſonalis Spirator Deus, ſeu perſonale principium ſpiratiuum ſine hæreſi Sabelliana. Neq; primo, valet Syllogiſmus ille, vnicus Achilles Aduerſariorum, ſeu paritas, quod ſicut ad extra Pater & Filius, ſunt vnus, idemq; eſſentialis Deus, ſeu eſſentialiter creator Deus, ſic ad intra ſunt vnus, idemq; perſonalis Spirator Deus, cum hyopatria Sabelliana. Eſt enim maxima imparitas & diſparitas, ſed peſſima paritas. Nam ad extra Deus per ſe primo operatur vt vnus eſt, & imperſonalis, ac eſſentia lis Deus eſt. E contra vero ad intra operatur, vt diſtinctus eſt in perſonis, ſeu vt Deus perſonalis eſt. Vnde ſi datur Spirator Deus ad intra, non niſi perſonalis eſſe poteſt. Neq; valet ſecundo illa obiectio, quod ſicut ad extra, ſeu in eſſentialibus Pater & Filius ſunt vnus idemq; eſſentialis Spirator Deus; ſic ad intra, ſeu in notionalibus realiter productiuis, Pater & Filius, ſunt vnus, idemq; perſonalis Spirator Deus. quia etiam Spiritus Sanctus eſt vnus, idemq; eſſentialiter Spirator Deus amans, & Amor diuinæ eſſentiæ, quæ ſpiratio eſſentialis eſt operatiua ex Scoto & S. Th ſed non eſt ꝓductiua perſonæ. Vnde falſa eſt paritas Becani de Trin. c. 6 q 5. Vbi aſſerit, q̃d Spirator Deus identificat ſibi duas perſonas in vnū Spiratorem contradiſtinctum realiter & perſonaliter a Spiritu S. non poſſunt autem duæ perſonæ identificari in vnū perſonaliter Spiratorē Deū, ſine hyopatria Sabelliana & hæreticali. eſset. n. Spirator Deus *Hoc aliquid* & vt *quod*, ideſt ſubſtantia completa, & adæquatū principium Totaliter Spiratiuū, Trinus Deus, ſeu Trinitas, conſtans ex tribus *quod*, ac tribus *Hoc aliquid*, nempe Patre & Filio, & Spiritu Sancto. & ſic Spiritus ſanctus nō referretur ad Patrē qua Pater eſt, quod eſt contra Sacrā Scripturam.

Sicut dantur veri Canones Apoſtolorum apud Eccleſiam Romanam: ita dantur contrarij Canones Pſeudapoſtolorum apud contrarias Eccleſias: quod elucet ex oppoſita doctrina, facta ad inuicem comparatione de Canone ad Canonem, in ſingulis præſertim Sacramentis, & Sacramentorum eſſentialibus.

CAP. 8.

APoſtolorum Canones ab hæreticis adulteratos fuiſſe adeo aperta res eſſe mihi viſa eſt ſemper; vt vehementer admiratus ſemper fuerim, qua nam ratione, & qua religione id diſſimulare potuerint Ieſuitæ, Turriani aſſeclæ & diſcipuli omnes. Quo autem iure, non ſolum diſſimulentur, & tacito conſenſu approbentur a Ieſuitis; ſed quod peius eſt, aperte defendantur à Turriano, alijſq; Turriani Ieſuitæ aſſeclis, non video. nihil enim aliud ſunt niſi compendium quoddam apocrypharum Conſtitutionum Apoſtolicarum; quas ſtrenue defendit adulteratus fortaſſe ab hæreticis Turrianus in ſuis Commentarijs octo librorum Papæ Clementis Romani, vt infra de fide conuincemus. Hos Apoſtolorum Canones ab alijs Pontificibus Romanis reiectos, tanquam apocryphos & hæreticalis farinæ; ab alijs vero receptos ob venerabile nomen Apoſtolorum ſiue omnes, ſiue ſexaginta, ſiue quinquaginta teſtatur Gratianus diſt. 16. can: *Canones Apoſtolorum &c.* Veri vero Pontifices recte ſen-

tiant,

Digitized by Google

riant, vel veri errent in tali dogmatica doctrina, reijciendi, vel approbandi, ipſi viderint. Ego autem nihil aliud eiuſmodi adulteratos Canones Apoſtolorum redolere & ſapere aduerto, niſi ipſiſſimam erroneam doctrinam adulteratarum Conſtitutionum Apoſtolicarum, à quibus deſumpti ſunt, quaſq; hæreticaliter deprauatas eſſe teſtantur omnes Patres Græci in ſexta Synodo Trullana can. 2. licet de induſtria hæreticorum relicta ſint multa, quæ ſpeciem pietatis præſeferunt. Legatur ſexta ſynodus Trullana can. 2. nam pudor eſt vt quod iure optimo Patres Græci reijciunt tanquā hæreticum, id Latini admittant tanq̃ Catholicū Qm̃ vero oppoſita iuxta ſe poſita magis eluceſcũt: hinc oīs falſitas eiuſmodi adulteratorū Canonū ex oppoſitis Canonibus Sanctæ Matris Eccleſiæ Catholicæ cōuincetur. Lumen. n. lumini nō repugnat, niſi ſolum ipſæ tenebræ: & veritas veritati non contradicit, niſi ipſa ſola falſitas. Nulli ſunt autem, aut eſſe poſſunt alij Apoſtolorum Canones, niſi illi quos Apoſtoli eidem Sanctæ Matri Eccleſiæ Catholicæ & Apoſtolicæ Romanæ tradiderunt, ex can. *Nolite errare fratres*, & can. *Quis neſciat. d. 11. & can. Præceptis Apoſtolicis. d. 12.* Nihil enim valent Canones aliorum contra Canones Eccleſiæ Romanæ ex decreto Papæ Felicis in can. *Conſtitutiones* diſ. 10. Eo ipſo itaq; quod à Turriano Ieſuita affertur, ſeu defenditur aliquis Apoſtolorum nomine palliatus Canon, eſſentialiter pugnans cum veris Canonibus Sanctæ Matris Eccleſiæ Catholicæ, ſtatim adulterinus eſſe Canon conuincetur, ſub mentito nomine Apoſtolorum, hæreticaliter deprauatus, & palliatus. quod patebit diſcurrendo per ſingulos hos Canones Apoſtolorum nomine ab hæreticis Pſeudoapoſtolis diuulgatos, & mutilatos. quod enim dentur Apoſtolorum Canones Catholici, & Pſeudapoſtolorū Canones hæreticales aperta res eſt ex teſtimonio eiuſdem B. Clementis adulterati li. 6. c. 16. qui vero ſint Canones Catholici; & qui hæreticales, hic eſt punctus, ſeu dubium. Duplices ergo dantur Canones Apoſtolorum, Hi nimirum qui ſunt compendium Conſtitutionum Apoſtolicarum, à quibus ſingillatim deducti ſunt: & illorum contrarij, qui vigent apud Eccleſiam Romanam. Alterutri ergo ſunt Catholici, & alterutri hæreticales: quod patebit ex ſubiecta materia, ſeu doctrina. Et quidem hi Canones 85. qui canonizant Conſtitutiones Apoſtolicas B. Clementis, ſunt ipſiſſimum ſeminarium omnium impietatū, omniumq; hæreſum, circa Sacroſancta Eccleſiæ Catholicæ Sacramenta Euangelica, e medio tollenda: immo ſunt ipſiſſima hæreticorum omnium Panoplia, ac firmiſſimum fundamentum, & machinæ ad euertendam arcem Sacramentorum, quibus tanquam propugnaculis Eccleſia Dei conſtruitur, quæ eſt vt caſtrorum acies ordinata. Quod autem tempore Apoſtolorum hi Canones ac octo libri Conſtitutionum Apoſtolicarū ab hæreticis & Pſeudapoſtolis, & Cherinto eſſentialiter, & hæreticaliter adulterati fuerint, non ſolum conſtat ex Apoſtolo, ad Galat. 1. §. *Introducti ſunt falſi fratres vertentes Euangelium in aliud, quod non eſt aliud, &c.* Sed etiam conſtat ex ipſomet B. Clemente Romano Conſtit. Apoſtol. lib. 6. cap. 16. vbi expreſſe nos admonet, ne credamus ſtatim libris diuulgatis ſub mentito nomine Canonum Apoſtolorum, vel Conſtitutionum Apoſtolicarum. ibiq; duas ſpecies Canonum Apoſtolicorum, & duas ſpecies Conſtitutionum Apoſtolicarum aſſignat; Catholicas nempe Conſtitutiones, & Canones Apoſtolorum veros, ac germanos: nec non hæreticales Conſtitutiones Apoſtolicas, & peſtilentiales Canones diuulgatos ſub mentito nomine Apoſtolorum quos Pſeudapoſtolos appellat lib. 6. cap. 8. § *Diabolus molitus eſt in populo, vt poſt nos, Pſeudapoſtolos mitteret &c. & cap. 9. fin.* § *Primum inducta eſt Romam a Simone Mago impia ſimoniacorum hæreſis, & cap. 9. fin.* § *Pſeudapoſtoli deceptores*, & vtroſq; ſiue Apoſtolos, ſiue Pſeudapoſtolos ex ipſa ſubiecta materia, & intentione & ſcopo dignoſcendos & diſcernendos eſſe præſcribit: quid clarius? *A fructibus enim, & effectibus eorum, ait Chriſtus in Euangelio, cognoſcetis eos.* Sic autem ait B Clemens in aliquibus germanè; & non adulteratè relictis verbis cit. lib. 6. cap. 16. § *Hæc omnia mandauimus vobis, vt noſtram ſententiam cognoſceretis cuiuſmodi ſit, atq; noſtro nomine inuulgatos ab impijs libros ne reciperetis. Non*

enim nominibus Apoſtolorum attendere debetis, ſed natura rerum, ac recta ſententia. Nouimus enim à Simone & Cleobio peſtilentes ſub nomine Chriſti, & Apoſtolorum eius compoſitos libros circumferri in fraudem veſtri, qui Chriſtum, noſq; eius ſeruos diligitis. Sicut priſcis quoque temporibus quidam libros apocryphos ſcripſerunt Moſis, Enoch, Adæ, Iſaiæ, Dauidis, & Heliæ, atq; trium Patriarcharum pernicioſos, & veritati infeſtos. Tales modo libros effecerunt execrandi homines, damnantes nuptias, ac liberorum procreationem. Quorum doctrinam fugite, ne ſupplicij eorum participes ſitis, quia illos conſcripſerunt, vt deciperent, ac perderent fideles, & nos laudandos diſcipulos Ieſu Domini noſtri, &c. Ecce ex teſtimonio eorundem Pſeudapoſtolicarũ Conſtitutionũ quod dantur cõpoſiti falſi Canones Apoſtolorum, & falſæ Conſtitutiones Apoſtolicæ ab Hæreticis conſcriptæ. Vel ergo hi falſi Canones, & mentitæ Conſtitutiones Apoſtolicæ in ſingulis Sacramẽtis præſertim, ſunt Apoſtolici Canones Eccleſiæ Romanæ, qui ſunt contrarij ex diametro in Sacramentorum adminiſtratione his Canonibus Apoſtolorũ Clementis apocryphi. Vel è contra tales falſi Canones Apoſtolorum & mentitæ Conſtitutiones Apoſtolicæ, nullæ ſunt aliæ, niſi hæ Clementis apocryphi, tanquam ex diametro pugnantes in Sacramentorum adminiſtratione, cum veris Canonibus Apoſtolorum, & veris conſtitutionibus Apoſtolicis Eccleſiæ Romanæ. Hæreticum vero eſt dicere eiuſmodi falſos Canones eſſe illos, quibus vtitur Eccleſia Romana. ergo Catholicum erit dicere Pſeudapoſtolorum Canones nullos alios eſſe, niſi eos, qui contradicunt Canonibus Eccleſiæ Romanæ, ex can *Quis neſciat, & can. nolite errare. d.11.*

Circa vltimum Apoſtolorum Canonem 84. ſeſſ. 85.

VT itaq; incipiamus ab vltimo Apoſtolorum Canone 84. ſeu 85. inter libros Canonicos & Catholicos non admittit Canon hic Pſeudapoſtolorum: ſed reicit hæreticaliter Apocalyſim B. Ioannis. Nec non ſolum duas Epiſtolas Decretales B. Clementis admittit. Vlteriores vero tres alias Epiſtolas eiuſdem B. Clementis negat hæreticaliter, & excludit ſub mentito nomine Sancti Clementis Papæ eodẽ can. vltimo §. *Sunt omnibus vobis clericis & laicis venerandi, ac Sacri libri veteris & noui Teſtamenti Euangelium Marci, ac Lucæ & Euangelium Ioannis, tres Epiſtolæ Ioannis; duæ Epiſtolæ Clementis; ac Conſtitutiones Apoſtolicæ, quæ vobis Epiſcopis per me Clementem in libris octo nuncupatæ ſunt, &c.* Reijcit etiam Eſdran, Tobiam, Iudith & Sapientiæ librum. Hic Canon deſumptus eſt ex lib.2.cap.61. alias 57. B. Clementis adulterati vbi præſcribuntur omnes libri Canonici. Quam vero ſit hæreticus hic Canon non autem Apoſtolicus, cæcus eſt, qui id non videat, ſtultus eſt qui non agnoſcat. hæreticus eſt qui id defendat. Et qui enim fieri potuit vt B. Clemens Papa ſuas quinq; Epiſtolas decretales reiecerit, accuſando falſitatis Eccleſiam Romanam, quinq; Epiſtolas Decretales B. Clemẽtis admittentẽ? Vel qui fieri potuit, vt B. Clemẽs reiecerit Apocalypſim B. Ioannis? Vel quo iure B. Clemens ſuas tantum duas Epiſtolas Decretales recipiendas eſſe ſuperbiſſime iubere poterat, excludendo omnes alias aliorum Pontificum ſucceſſorum Epiſtolas, nihilq; de ſuſcipiendis ſimilibus ſubſequentium Pontificum Romanorum Epiſtolis Decretalibus præcipiendo? ah valeant, & male valeant hæc hæreticorum figmenta, ſeu deliramenta; valeat hic Diabolicus, non autem Apoſtolicus Canon vltimus, non Apoſtolorum, ſed Pſeudapoſtolorum. Præterea hic Canon vltimus expreſſe præcipit ſuſcipiendas eſſe Conſtitutiones Apoſtolicas, in octo libris B. Clementis conſcriptas. & tamen Eccleſia Græca in ſexta Synodo Trullana can. 2. (legatur obſecro) eaſdem Conſtitutiones Apoſtolicas, Sanctiſſime ſatiſq; orthodoxe & Catholicè tanquam hæreticales reiecit & damnauit. qui ergo fieri poteſt vt Apoſtolicus, & non potius Diabolicus ſit iſte Apoſtolorum, Canon vltimus? num gratis & falsò Eccleſia Græca reiecit, ac damnauit has mentitas Conſtitutiones Apoſtolicas? Vlterius idem Canon vltimus Apoſtolorum, ſeu potius Hæreticorum, expreſsè præcipit Conſtitutiones haſce Apoſtolicas occultandas eſſe, propter occulta myſteria, & Sacramenta quæ continent,

CAP. 9.

quod

Digitized by Google

quod penitus eſt falſiſſimum . Nullum enim Sacramentum Euangelicum continent, niſi hæreticalia omnia Sacramenta Pſeudapoſtolorum, vt ſingillatim infra oſtendemus. Vnde impudentiſſime mentitur iſte Canon Diabolicus, non autem Apoſtolicus, quicquid dicat Arcudius, & adulteratus Turrianus Ieſuita propugnator eius, & quidam Epiſcopus Bonius condiſcipulus Turriani Ieſuitæ & coadiutor commentariorum Turriani in apocryphos octo libros, ſub nomine B. Clementis adulteratos.

Cur autem adulterinus hic vltimus Canon Apoſtolorum tres vltimas Decretales Epiſtolas B. Clementis Papæ reijciat, hæc eſt cauſa; quia in tertia Epiſtola B. Clementis ex Apoſtolorum expreſſa traditione & doctrina iubetur, ordinationes Epiſcoporum fieri debere per Sacras Vnctiones noui, & veteris Teſtamenti. id quod etiam expreſſe confirmat Papa Anacletus Græcus, à B. Petro ordinatus, ſicut & B. Clemens, qui B. Anacletus in ſua Decretali Epiſtola ſecunda, expreſſe docet Apoſtolos conſecraſſe Epiſcopos per Sacri Chriſmatis Vnctionem, exemplo Moyſis, ex Dei præſcripto, per Sacrum Chriſma Epiſcopos in veteri Teſtamento conſecrantis, vt patet ex can. *Ordinationes Epiſcoporum, exemplo Moyſis & Apoſtolorum, Sacra Vnctione celebrabitis; quia omnis ſanctificatio conſtat in Spiritu ſancto, cuius virtus Sacro eſt Chriſmati permiſta, &c.* diſt. 75. quod etiam confirmat Papa Gregorius de Sacra Vnctione; & Innocentius Tertius cap. vnic. de Sacr. Vnction. eſtq. eſſentialis cerimonia in Sacramento Ordinis, vt fuſius in noſtro Prolegomeno probauimus, etiam ex ipſo Euchologio, in prima oratione conſecrandi vnguentum Chriſmatis. Vbi expreſſe præcipitur Chriſma conſecrandum eſſe pro ordinatione Epiſcoporum & Sacerdotum, ex Apoſtolorum exemplo, & traditione, vigente (vt ait Euchologium Rituale ſeu Pontificale Græcorum) vſq; ad hodiernum diem, vt dicitur in oratione conſecrationis vnguenti apud Euchologium cit. quod omne concordat cum Epiſtola ſecunda Decretali B. Anacleti Papæ Græci, à B. Petro ordinati, & cum Epiſtola Decretali tertia B. Clementis, ſimiliter à B. Petro conſecrati. Et tamen Turrianus Ieſuita lib. 8. Commentariorum B. Clementis, in ordinatione Epiſcopi, impudentiſſimè reijcit eſſentialem hanc Chriſmatis cerimoniam, & Epiſtolam Decretalem B. Clementis, eo quod non fuerit recepta in Canone vltimo Apoſtolorum, neq; in ipſis hæreticaliter adulteratis Conſtitutionibus Apoſtolicis aliqua eiuſdem Chriſmationis mentio fiat. Et licet ait Turrianus Ieſuita tale Chriſma admittatur in Epiſtola Tertia B. Clementis, non tamen reperitur in prima, neq; ſecunda Epiſtola eiuſdem B. Clementis, niſi ſolum in tertia. quæ Tertia non admittitur a Canone 85. Apoſtolorum immo Pſeudapoſtolorum, quæ ratio Turriani Ieſuitæ eſt ineptiſſima. Satis eſt enim ſi talis Epiſtola recepta ſit ab Eccleſia Romana, & ab Euchologio in cõſecratione Sacri Vnguenti Chriſmatis ad conſecrãdos Epiſcopos & Sacerdotes, &c. quod Euchologium Pontificale Græcum maioris authoritatis eſt, quam adulteratæ hæ Conſtitutiones Apoſtolorum. CAP. 19.

Circa adulteratos Canones Apoſtolorum, ſeu potius Pſeudapoſtolorum.

VT autem Turrianus Ieſuita lib. 8. cap. 16. eneruet, ac neget penitus ipſas eſſentiales Sacras Vnctiones Ordinis, negat Chriſtum Dominum conſtitutum fuiſſe Sacerdotem in inſtanti ſuæ Conceptionis per Sacram Vnctionem Spiritus ſancti licet inuiſibiliter ſibi præſtitam ſine Sacramento externo, per quam inuiſibilem Vnctionem & Chriſmationem fuit Chriſtus, ſeu Vnctus in ſua humanitate, ſupra omnes Chriſtos, ſeu Chriſtianos ex Pſ. *Propterea vnxit te Deus oleo exultationis præ conſortibus, & participibus tuis, &c.* Ex quo loco conſtat quod niſi Chriſtus Dominus in inſtanti ſui Sacerdotij vnctus fuiſſet Sacra interna Vnctione Spiritus ſancti (licèt inuiſibiliter & ſine Sacramento Ordinis) nunquam vere factus eſſet ſummus Sacerdos per Sacram Spiritus ſancti Vnctionem, per quam poteſtas datur in Spiritu ſancto ad remittenda peccata, vt homo. Vnde Turrianus cit. lib. 8. cap. 16. ait Chriſtum cõ- CAP. 20.

ſequutum

Ideo Turrianus Chriſtum in Iordane per manus impoſitionem Ioannis ordinatum eſſe Sacerdotē docet & per deſcenſum Spiritus Sancti in forma columbæ, vt probet Ordinem non conſiſtere in aliquo charactere, ſeu collatione poteſtatis, niſi in ſola collatione gratiæ non imprimētis characterē & in manus impoſitione laica. quæ eſt doctrina Arcudij.

Hæreticalis ordinatio Arcudiana per profanam manus impoſitionem Laicam, idest non Sacratam & per Lutherieum ritum nudæ electionis, damnata in Trid. ſeſſ. 23. can. 3.

ſequutum fuiſſe ordinem & officium Sacerdotis anno trigeſimo ſtatim poſt Baptiſmum in Iordane ad vocem illam è Cœlo delapſam Hic eſt Filius meus dilectus &c. quod deſumpſit ex Simone Theſſalonicenſe in Sacramento Ordinis, vbi docet Chriſtum in Baptiſmo ordinatum Sacerdotem per deſcenſum Spiritus ſancti ſuper eum & per manus impoſitionem B. Ioannis in Iordane, & in monte Thabor ordinatum Epiſcopum per eundem iteratum deſcenſum Spiritus ſancti & obumbrationem nubis lucidæ; quæ ſucceſſit tunc loco Manus impoſitionis, & inuocationis deſcenſus Spiritus ſancti vt in Euchologio Arcudiano. Vbi pro Sacramento Ordinis nihil aliud præſcribitur, niſi laica, & profana manus impoſitio, hoc eſt non Sacrata; nec non preces pro deſcenſu Spiritus ſancti ſupra ordinandos, quoſcunq; ſiue Diaconos, ſiue presbyteros, ſiue Epiſcopos; quia ſic ordinatus fuit Chriſtus in Iordane, vbi poſt manus impoſitionem Ioannis in Baptiſmo deſcendit Spiritus ſanctus ad ordinandum Chriſtum in Sacerdotem. vt in noſtro Prolegomeno viſum eſt; dicente Epiſcopo Arcudiano, a Ieſuitis Romæ approbato, cum ſola & nuda manus impoſitione Laica, ſine nulla alia canonica & Catholica materia & forma. Η θεία χάρισ προχειρίζεται τόν δοῦλον τοῦ θεοῦ τόνδε εἰσ διάκονον (ἢ πρεσβύτερον, ἢ ἐπίσκοπον) εὐξώμεθα οὖν ὑπὲρ αὐτοῦ, ἵνα ἔλθῃ ἐπ' αὐτόν ἡ θεία χάρισ τοῦ παναγίου πνεύματοσ. hoc eſt, *Diuina gratia eligit hunc ſeruum Dei in Diaconum*, ſeu presbyterum, ſeu Epiſcopum) *Oremus ergo pro eo, vt deſcendat ſuper eum gratia Spiritus ſanctus. Kyrie eleiſon, Kyrie eleiſon, Kyrie eleiſon.* Ecce totam eſſentialemq; ordinationem Arcudianam, & Turrianam, Romæ per fas & nefas apud Sanctum Officium per viginti annos, me fruſtra contradicente, contra Ieſuitas & Bellarminum defenſam cum implanatione Totius Eccleſiæ Sanctæ Dei, nedum Pontificum Romanorum, ac DD. Cardinalium; quod ex zelo Dei non ſine lacrymis proteſtor, ſi tamen licet impunè veritatem Catholicam confiteri. idq; ait Turrianus ad exemplum ordinationis Chriſti Domini ordinati anno eius trigeſimo per Laicam Manus impoſitionem B. Ioannis Baptiſtæ, & per deſcenſum Spiritus ſancti. quod tamen nos falſum eſſe ſentimus, quia Chriſtus Dominus ab inſtanti ſuæ Conceptionis factus fuit ſummus Sacerdos, & Mediator noſter per inuiſibilem conſecrationem, & Vnctionem Spiritus ſancti ac exercuiſſe officiū Sacerdotis offerentis Deo actiones ſuas infiniti valoris ſaltem ſecundum acceptationem & meritum ſignificatum ad ſatisfactionem pro humano genere, vſq; ad paſſionem eius.

Quod autem hi Canones ſint adulterini & apocryphi, euidens eſt argumentum, quia ſunt compendium apocryharum Conſtitutionum Apoſtolicarum, quas non ſolum reiecit Eccleſia Græca, tanquam hæreticaliter adulteratas, vt conſtat ex ſexta Synodo Trullana can. 2. ſed etiam reiecit Eccleſia Latina ſub Papa Gelaſio ex can. *Sancta Romana Eccleſia diſt.* 15. § *Clementis libri octo apocryphi.* Non poſſunt autem ipſæ Conſtitutiones Apoſtolicæ damnari ab vtraq; Eccleſia, & reijci tanquam hæreticæ, niſi pariter ob eandem rationem reijciantur & damnentur ipſi Canones Apoſtolorum, qui ſunt ipſiſſimum compendium, ac ſumma illarum omnium apocrypharum Conſtitutionum Apoſtolicarum. Vbi eſt enim eadem ratio, ibi eadem eſt apocryphæ cenſuræ, & legis diſpoſitio.

CAP. 12.

Apocryphos eſſe etiam hos Canones idem met Euchologium Cryptæ Ferratæ conuincit in Ritu conficiendi Sacrum Chriſma, oratione prima, vbi Euchologium ipſummet Arcudianum fatetur iuſſu non ſolum Dei & Moyſis in veteri Teſtamento, ſed etiam, in Nouo Teſtamento, iuſſu Apoſtolorum eorumq; doctrina & traditione, ac exemplo conficiendum eſſe Sacrum Chriſmatis vnguentum pro Chriſmandis Baptizatis, ac pro conſecrandis Epiſcopis & presbyteris, vt in noſtro Prolegomeno demonſtrauimus, ad confuſionē adulterati Doctoris Arcudæ qui apertiſſimum teſtimonium hoc Euchologii impudentiſſime gloſſat ſeu negat, docendo intelligendum eſſe de Vnctione Spirituali, & inuiſibili, non autem, de materiali & externa. quod quam ſit ſtultum & hæreticale effugium, non eſt qui non aduertat, cæcus eſt qui id non videat. Ad quid enim prodeſſet conſecratio materia-

teria-

Digitized by Google

terialis vnguenti, ſi non eſſet adhibendum materialiter, ſeu corporaliter, & viſibiliter Epiſcopis, presbyteris conſecrandis? Tandem generaliter de his Canonibus Apoſtolorum patet, adulteratio & falſitas, quia ex Sacramentis nihil aliud admittunt, niſi Baptiſma hæreticorum (non autem Baptiſma Catholicorum, ſeu Latinorum) ac Cœnam, à Luthero celebratam. Ordinem enim ſolum admittunt, tanquam nudum quendam Ritum eligendi miniſtros Verbi Dei prædicandi, & Sacramentorum adminiſtrandorum; ſine vlla alia materia & forma Sanctæ Matris Eccleſiæ, quæ eſt ipſiſſima omnium hæreticorum blaſphemia ex Conſtitutionibus Apoſtolicis, & Apoſtolicis hiſce Canonibus adulteratis deprompta, vt expreſse patet ex Luthero & Caluino, ac Turriano hæreticaliter adulterato; ac Spalatenſi Archiepiſcopo Antonio de Dominis, olim Ieſuita eiecto. Ab eodem autem genere hæreticorum puto deprauata fuiſse non ſolum Conſtitutiones Apoſtolicas B. Clementis, & Canones Apoſtolorum; ſed etiam deprauata eſſe opera D. Dionyſij de Eccl. Hier. In omnibus enim his operibus, nil niſi Baptiſma hæreticorum admittitur, & Cœna loco Euchariſtiæ, ac Luthericus Ordo electiuus, ſine vlla alia materia & forma Sacramenti Ordinis Sanctæ Matris Eccleſiæ Catholicæ. Vnde Hæretici omnes & Antonius de Dominis Archiepiſcopus Spalatenſis, ac Arcuda & adulteratus Turrianus; ad introducendum, & defendendum eorum hæreticalia Sacramenta falſa hæc & Satanica, nullis alijs argumentis & rationibus vtuntur, niſi hiſce adulterinis Canonibus Apoſtolorum; ac apocryphis Conſtitutionibus Apoſtolicis, & deprauato D. Dionyſio de Eccl. Gierarchia. Vbi non niſi Baptiſma, & Cœna, ſeu Luthericus Ritus electiuus, pro Sacramento Ordinis admittitur, excluſis Sacris Vnctionibus eſſentialibus ad poteſtatem benedictiuam & conſecratiuam, Epiſcopaliter, ſeu Sacerdotaliter traducendam, vt fuſius viſum eſt in Prolegomeno, tam ex Pontificali Romano quàm ex ipſo Euchologio Cryptæ Ferratæ; quod Arcudius docet idem eſſe cum Euchologio Rituali Slauonorum, & ego etiam id obſeruaui Romæ ex Slauonis Patre Nicolao Ruthenio, Nouato Vnito, Procuratore Illuſtriſſimi Ioſephi a Chiouia Metropulitæ Chiouienſi, ad inſtantiam Reuerendiſſimi Franciſci Ingoli, Digniſſimi Secretarij Sacræ Congregationis de propaganda fide. Quod autem eſſentiales ſint ipſæ Vnctiones Ordinis, neq; earum contemptus, ſeu omiſſio tolerari poſſit in Græcis, qui tolerandi ſunt in omnibus alijs; non præiudicantibus fidei Catholicæ, ex cap. *Licet Græcos. de Baptiſmo & eius effectu:* patet adhuc ex Innocentio Tertio cap. vnic. de Sacris Vnction. vbi habetur non ſolum ſeuera repræhenſio & monitoria, ſeu comminatoria Epiſtola Papæ Innocentij ad Patriarcham Conſtantinop. circa eſſentialem omiſſionem Sacrarum Vnctionum Ordinis § fin. *Monemus igitur vt illum in ordinandis Sacerdotibus, & Epiſcopis conſecrandis morem ſerues, & facias obſeruari quem ſeruat Sedes Apoſtolica, &c.* Vnde Epiſcopum Græcum, vel à Græcis ordinatum; ſine eſſentialibus vnctionibus, illas per tres Epiſcopos ſupplendas iterumq; ordinari voluit Innocentius in diſparatis poteſtatibus Ordinis Sacerdotalis & Epiſcopalis, quæ ſuppleri poſſunt eſſentialiter cum non dependeãt ab alijs partialibus poteſtatibus. ſic Sacerdos non ordinatus ad poteſtatem ſoluendi & ligandi, iterum ordinandus eſt ad talem poteſtatem eſſentialiter ſupplendam, quæ incaute omiſſa fuit. Hanc autem eandem eſſentialem cerimoniam Sacrarum Vnctionum, à Pontificibus Romanis neſcio cur omittat Roma; in vnione Slauonorum, & Græcorum redeuntium ad communitatem Eccleſiæ Romanæ; quam cerimoniam niſi ſeruaſſet Innocentius Tertius, ſeu ſi toleraſſet, grauiter erraſſet. Vnde Concilium Tridentinum ſeſſ. 7. de Sacram. can. vltimo generaliter, & ſeſſ. 23. can. 4. ſpecialiter damnat hæreticaliter contemptores Sacræ Vnctionis Ordinis, quos etiam impugnat Innocentius Quartus cap. vnic. de Sacris Vnction. Deſumptus eſt autem hic Canon 84. & 85. ex apocryphis Conſtitutionibus ſub mentito nomine Sancti Clementis in lucem editis, ſeu adulteratis lib. 1. cap 6. alias 7. & lib. 7. cap. 14. vbi nil addendum, nilque detrahendum a libris mandat, alioſq; libros non receptos

in hoc

in hoc can.8 ſ.declarat eſſe libros hæreticorum, ſeu eſſe adiecta quædam, & ſuper inducta veræ legi Apoſtolicæ, tanquam Deutereoſes, ſeu ſecundas leges per quod intelligit Traditiones Apoſtolicas non ſcriptas, & Rituale, ſeu Pontificale Romanæ Eccleſiæ Catholicæ, quā euertere intendit ibi tacitè & callidè. § *Ad omnibus &c.*

Circa primum deprauatum Canonem Apoſtolorum.

CAP. 13.

PLacet autem aliquos duntaxat Canones vel leuiter examinare & vrgere, vt penetretur intrinſecus latens venenum, & ſimile iudicium de alijs feratur, iuxta illud Poetæ, *Crimine ab vno diſce omnes Danaum inſidias, &c.* Sic autem præcipit primus Canon, Apoſtolorum nomine diuulgatus: *Epiſcopus à duobus, aut tribus Epiſcopis ordinetur, ſeu manus impoſitionem accipiat.* Quod autem hic Canon vel ſit mutilatus hæreticaliter, & eſſentialiter truncus, vel ſit hæreticaliter compoſitus & eſſentialiter mutatus; aperte patet, & cæcus eſt qui id non videat. Cum enim Canones Apoſtolici perfectæ ac completæ, ſeu veræ & totales regulæ eſſe debuerint præſcribendi ipſa Sacramenta, ſaltem in eſſentialibus, tanquam determinantes ipſa fundamenta Eccleſiæ, contra hæreticales omnes prauitates & blaſphemias; ſine dubio perfectam, exactam, eſſentialemq; Epiſcoporum conſecrationem præſcribere debuiſſent, nullam occaſionem hæreticis relinquentes, impugnandi Catholicam Sanctæ Matris Eccleſiæ conſecrationem Epiſcopalem. Integer ergo Canon hic primus fuiſſet præcipiendo in conformitatem Apoſtolicæ traditionis & Conſtitutionis, ordinandi Epiſcopos iuxta Pontificale Romanum, vt per tres Epiſcopos vere in forma Sanctæ Matris Eccleſiæ conſecratos, non autem Lutherice ſolum electos, per pias preces & ritum Arcudianum ordinarentur. Secundo benedicendo illos in eſſentiali forma Sanctæ Matris Eccleſiæ, orando per Chriſtum, ipſumq; Chriſtum confitendo Dominum noſtrum, ac viuentem & regnantem Deum in eadem conſubſtantiali deitate Patris, & Spiritus ſancti. Nec non tertio, transfundendo in Epiſcopos poteſtatem conſecrandi, & benedicendi Epiſcopaliter per Sacras Vnctiones manuum & capitis: Ac quarto triplicem poteſtatem traducendo ad transfundendum Spiritum ſanctum, Diaconaliter, Sacerdotaliter, & Epiſcopaliter per trinam illam trium Epiſcoporum formam practicam, *Accipe Spiritum ſanctum*. Ac quinto ordinando eoſdem Epiſcopos ad Euangelizandum Epiſcopaliter per librum Euangeliorum, & illam formam, *Accipe librum Euangeliorum: Vade & prædica populo tibi commiſſo; potens eſt enim Deus, &c.* vt in Pontificali Romano, & in noſtro Prolegomeno probatum eſt. Non poteſt itaq; eſſe Canon Apoſtolorum, niſi ſaltem intelligatur in conformitatem Apoſtolici Canonis & Conſtitutionis Apoſtolicæ quam ex Apoſtolica traditione & doctrina ſeruat, & præſcribit Sancta Mater Eccleſia in ſuo Pontificali Romano, quia oppoſitum Hæreticaliter damnatur in cap. *Ad abolendum* de hæreticis.

Circa Canonem primum Apoſtolorum ſeu potius Pſeudapoſtolorum.

CAP. 14.

E Contra vero ſi ita mutilatus & obtruncatus ſumatur & intelligatur hic primus Canon Apoſtolorum, ſicut verba præciſe ſonant, & intelligit Doctor Arcuda in ſua Concordia, ac defendit Turrianus Ieſuita, omneſq; Hæretici pertinaciter cōtendunt ex hoc primo Canone Apoſtolorum, reijcientes primo, eſſentialem conſecrationem trium Epiſcoporum conſecrantium; ac ſecundo, reijcientes eſsentialem conſecrationem Epiſcoporum ordinandorum &c. tunc talis Canon non erit Apoſtolicus, ſed erit Canon Diabolicus. Primo, quia negat eſsentialem conſecrationem in Epiſcopis conſecratoribus. Secundo, quia admittit profanam, & laicalem tantum, ſeu hæreticalem manus impoſitionem non ſacratam trium Epiſcoporum: iuxta hæreſim Arnoldiſtarum, quos impugnat Durandus in ſuo Rationali li.6.c.84. Tertio, quia negat eſsentiales Sacras Vnctiones manuum & capitis, de quibus in Pro-

Prolegomeno. Quarto, quia tanquam hoſtis Spiritus ſancti negat collationem trinam Spiritus ſancti in qua principaliter conſiſtit ordinatio Epiſcopi, ex Vaſchez Coninchio, Suario, Bellarmino, & Scoto, & alijs vt in Prolegomeno. Quinto, quia negat ordinationem ad Euangelizandum Epiſcopaliter. Sexto, quia repugnat Catholico & Eccleſiaſtico, ac Apoſtolico canoni B. Anacleti Papæ à Sancto Petro ordinati in can. *Ordinationes Epiſcoporum Sacro Chriſmate, exemplo Apoſtolorum, & Moyſis celebrandæ ſunt.* diſt. 75. Sexto, quia repugnat Catholico & Apoſtolico canoni illi Eccleſiaſtico: diſt. 66. can. *Porro B. Iacobus ordinatus eſt à tribus Epiſcopis Petro, Ioanne, & Iacobo eſſentialem formam dantibus conſecrandi Epiſcopos, &c.* Forma enim eſt de eſſentia, quia dat eſſe rei, vt docent ibidem omnes Canoniſtæ. Cuius totum oppoſitum ſentit & docet hic primus Apoſtolorum Canon nihil ex dictis eſſentialiter requiſitis admittens, ac diſiunctiuè Epiſcopum à duobus, vel tribus ordinari poſſe blaſphemat, ſine vlla alia materia & forma eſſentiali Sanctæ Matris Eccleſiæ, vt defendit Turrianus, & Pater Eudæmon, omneſq; Ieſuitæ ſeruant in Collegio Græco Romano & ſeruandum eſſe curarunt in ordinatione publica Archiepiſcopi Cariophili cum publico ſcandalo, & publico præiudicio veritatis Catholicæ, & Euangelicæ, Romæ ordinati ex Lutherico Arcudiano Euchologio Cryptæ Ferratæ, ſine vlla materia & forma, ac ſine vllis eſſentialibus requiſitis Sanctæ Matris Eccleſiæ, ac cum introductione & approbatione hæreſum Lutheri, Caluini, Vuiclefi, & Vſſitarum circa ſolam & nudam electionem miniſtrorum ordinandorum cum nudis precibus coniunctam, reiecta omni materia & forma eſſentiali, Sacramenti ordinis. Similiter ordinatus eſt Archiepiſcopus Paronaxiæ quidam Alumnus Collegij Græci Romani modo translatus in Latinum Epiſcopum Crotonenſem qui tamen duo Archiepiſcopi Græci, Arcudiano ritu Euchologij Cryptæ Ferratæ ordinati, neq; veri ſunt Epiſcopi; neq; veri ſunt Sacerdotes (quod pace eorum pro Catholiſa fide atteſtanda & defendenda dicere teneor Catholicus Doctor, ego ex zelo veritatis Apoſtolicę & Euangelicæ non præiudicandæ, pro qua vtinam dignus eſſem martyrium aſſumere) & tamen publice inter latinos Sacramenta adminiſtrant: & quoſcunq; ordinant, ſiue enim ordinent Sacerdotes, ſiue Epiſcopos, falsò illos ordinant, quia *Nemo dat in Sacramento Ordinis, quod non habet.* Ita ſentiunt & docent ſeruandum eſſe Ieſuitæ ac Pontificibus Romanis, ne dum DD. Cardinalibus ſuadent, ac perſuadent contra Canones Sanctæ Matris Eccleſiæ Romanæ ex Euchologio Cryptæ Ferratæ. CAP. 15.

Septimo hic primus Canon Apoſtolorum reiecta omni materia & forma eſſentialis ordinationis, tacitè & conſequenter ſentit, & docet Ordinem nihil aliud eſſe, niſi nudum Ritum quendam eligendi miniſtros verbi Dei prædicandi, & adminiſtrandorum Sacramentorum, ſine vlla alia poteſtatis collatione. quod hæreticaliter damnatur in Concilio Trid. ſeſſ. 23. can. 2. *Si quis dixerit ordinem eſſe nudum quendam ritum eligendi miniſtros verbi Dei prædicandi, & Sacramentorum adminiſtrandorum, anathema ſit.*

Circa Canonem primum Apoſtolorum.

Damnatur etiam ex cap. *Ad abolendam, de hæreticis*, tanquam ex diametro contradicens Pontificali, & Catechiſmo Romano, ne dum Concilio Florentino in Bulla Armenorum. Vltimo hic primus Canon Apoſtolorum negando omnem materiam & formam, omnemq; poteſtatis collationem in Sacramento Ordinis, hæreticaliter ſupponit iuxta hæreſim Lutheri omnem poteſtatem Ordinis in Baptiſmo omnibus vtriuſq; ſexus collatam in actu primo: ita vt non poſſit exire in actum ſecundum, ſine electione Epiſcopi Lutherici, hoc eſt duntaxat electi in ordine; ſed conſecrati in Baptiſmo. Nomine tenus itaq; hic primus Canon Apoſtolorum admittit ordinationem Epiſcopalem ad fideles decipiendos, & Eccleſiam Catholicam ſeducendam. nam reipſa, & reuera omnem Epiſcopi conſecrationem eſſentialem è medio tollit. Et tamen ipſimet Ieſuitæ conſtantiſſime tuentur & defendunt hunc apocryphum Canonem, vt nuda verba ſonant, ac ita ſeruant, & ſeruandum eſſe curarunt Romæ in ordinatione Lutherica Archiepiſcopi Cariophili ſub Greg. Decimo quinto;

Deſumptus eſt autem hic primus Apoſtolorum Canon ex apocryphis adulteratiſq; Apoſtolicis Conſtitutionibus B. Clementis lib. 8. cap. 4 & ſequentibus. Sed illæ hæreticaliter deprauatæ cognoſcuntur, & vt hæreticales reijciuntur & damnantur a ſexta ſynodo Trullana Græca, can. 2. ergo & hic pariter Canon, compendium illius doctrinæ, fuit pariter ibi reiectus & damnatus virtualiter & implicitè.

Ex hoc Canone hæretici oēs ac Archiepiſcopus Spalatenſis defendunt Lutheri-cam electionem ſupponendo ſacerdotium in Baptiſmo conferri omnibus vtriuſque ſexus, quo ad actum primum ita vt non poſſit amplius conferri poteſtas Sacerdotalis, niſi ſolum eligi aliquos deſignate ad exercendam poteſtatem Sacerdotalem, ſeu Diaconalem cum Baptiſmo traductam omnibus vtriuſq; ſexus. Ex hoc etiam Canone Hæretici omnes irrident ac reijciunt omnia Eccleſiæ Romanæ eſſentialia ad conſecrationem Epiſcopalem; tanquam inuentiones humanas contra præſcriptum huius primi Canonis Apoſtolorum, ac ſi ordo nihil aliud ſit, niſi Ritus tantum eligendi miniſtros Verbi Dei & Sacramentorum; quod hæreticaliter damnatur in Trid. ſeſſ. 23. can. 3 § ſi quis dixerit ordinem nihil aliud eſſe niſi Ritum quendam à Patribus introductum eligendi miniſtros verbi Dei & Sacramentorū anathema ſit.

CAP. 16. *Circa adulteratum ſecundum Canonem Apoſtolorum.*

Secundus Canon Apoſtolorū ſic habet; *Presbyter ab vno Epiſcopo manus impoſitionem ſeu ordinationem accipiat & Diaconus, & reliqui Clerici.* Deſumptus eſt autem hic Canon a lib. 8. Conſtit. Apoſtol. B. Clementis cap. 16. ſed illæ reiectæ & damnatæ fuerunt à Patribus Græcis in ſexta ſynodo Trullana can. 2. ergo etiam hic Canon ibi reiectus fuit tanquam identificatus cum doctrina illarum hæreticalium conſtitutionum. Quod ſi mutilus, truncuſq; Apoſtolorum Canon ſuppleatur, intelligendo illum in conformitatem eiuſdem Apoſtolici Canonis & Conſtitutionis ordinandorum Sacerdotum in forma Sanctæ Matris Eccleſiæ iuxta Apoſtolicum Pontificale Eccleſiæ Romanæ ſaltem in eſſentialibus, tolerari poſſet, ac gloſſari. E contra vero ſi nude ſumatur vt verba ſonant, & ex Euchologio Arcudiano Cryptæ Ferratæ defendunt Turrianus & Eudæmon Ieſuita, omneſq; Ieſuitæ actu ſeruant, & ſeruari curant in Collegio Græco Romano, ab Epiſcopo Græco Arcudiano, in ordinandis Presbyteris, Diaconis, & alijs inferioribus ordinibus, prorſus hæreticalis eſt Canon, ac Diabolicus, non autem Apoſtolicus. Reijcit enim primo hæreticaliter ſacratam manus impoſitionem Epiſcopi conſecrantis. Secundo reijcit hæreticaliter conſecrationem manuum Sacerdotalium, omnemq; poteſtatem benedicendi Sacerdotaliter fontem luſtralem, fontemq; baptiſmalem, ſalem, aliaq; munera Sacerdotalis benedictionis præſtandi, &c. quæ poteſtas non niſi per manuum conſecrationem datur. Tertio reijcit collationem poteſtatis Sacrificæ. Quarto reijcit poteſtatem ſoluendi & ligandi, ac ſi non ſit in Eccleſia hæc poteſtas. quod hæreticaliter & ſingillatim damnatur in Tridentino ſeſs. 23. can. 1. 2. 3 Quinto reijcit collationem Spiritus ſancti, & ſacramentum partiale illorum verborum practicorum, *Accipe Spiritum S.* quod hæreticaliter damnatur in Trid. ſeſs 23. can. 4. Sexto non ſolū reijcit ipſum Sacerdotium verum, & Euangelicum, omnemq; materiam & formam Sanctæ Matris Eccleſiæ excludit & impugnat; ſed introducit Luthericum nomine tenus Sacerdotium, per nudam electionem Sacerdotum ab Epiſcopo duntaxat electo, & non ſacrato, ſed nomine tenus Epiſcopo, benedicendorum. quod hæreticaliter damnatur in Trid ſeſs. 23. can. 3. Septimo reijcit omnem eſsentialem materiam & formam ordinationis Diaconalis, nempe poteſtatem Euangelizandi Diaconaliter per modum Catechizantis, vt fuſius in Prolegomeno diximus contra Arcudam adulteratum. Octauo reijcit collationem Spiritus ſancti in Diacono, quæ omnia & ſingula hæreticaliter damnātur in Conc. Trid. ſeſs 23. per totum, & ſeſs. 7. de Sacram. can. vltimo. Nono reijcit ordiaationē eſsentialem ſubdiaconatus, & omnem ſenſum, doctrinam, & praxim Catechiſmi, ac Pontificalis Romani, & Sanctæ Matris Eccleſiæ, ne dum Concilij Trid. & Florentini. quod hæreticaliter damnatur in cap. *Ad abolendam de hæreticis.* Vltimo reijcit omnem ordinationem, eſsentialemq; materiam.

materiam, & formam Ordinum Minorum, quicquid hæreticaliter contendat in contrarium adulteratus Turrianus Ieſuita, Catholicus & Catholicus, ſed adulteratur Pater Eudæmon Ieſuita approbator Arcudij, ac Arcudius ipſe & quidam adulterinus Bouius Ieſuita, ſeu Ieſuitæ Turriani condiſcipulus & concors commentator Conſtitutionum apocrypharum Sancti Clementis nomine conſcriptarum. Deſumptus eſt autem hic Canon ſecundus Apoſtolorum ex apocryphis Conſtitutionibus Apoſtolicis adulterati B. Clementis lib. 8. cap. 24. § *De ordinatione presbyterorum, ego Dilectus à Domino hiſce vobis Epiſcopis, cum ordinas Epiſcope Presbyterum, manum ſuper caput presbyteri impone, aſſiſtentibus tibi Diaconis, & orando dic, Domine omnipotens Deus noſter reſpice ſuper hunc famulum tuum ſuffragio & iudicio omnis Cleri, electum in presbyterum, quemadmodum reſpexiſti ſuper populum electionis tuæ, & præcepiſti Moyſi vt eligeret presbyteros, quos repleuiſti Spiritu, &c.* Ecce formam electiuam in nouo Teſtamento, quia electiua fuit in veteri: Ex hoc Canone 2. Hæretici defendunt eorum Sacerdotium Luthericum; ac reijciunt & impugnant omnia eſſentialia ordinis Sacerdotalis apud Eccleſiam Romanam, quæ Clemens apocryphus lib. 2. cap. 6. expreſſe prohibet tanquam adiecta, & inducta ſupra, & contra, ſeu Legem Leuiticam. Ecce itaq; totum Sacramentum Ordinis Pſeudapoſtolorum admiſſum tanquam nudum Ritum eligendi miniſtros Eccleſiæ abſq; vlla poteſtatis collatione, quam vel negant, vel ſupponunt in Baptiſmo collatam. Ecce inquam tam maximum, & ſupra omnia alia Sacramenta, eſſentiale Sacramentum Sacramentorum, pro Eccleſia Sancta Dei fundanda, duobus tantummodo verſiculis, ab Apoſtolis expreſſum, ita ieiunè & frigidè, ſeu mutilè, & eſſentialiter deficiens, vt nihil ſupra. Tali enim ac tanta arte, & fraude callida compoſiti ſunt hi duo Canones Sacramenti Ordinis, vt neſcias vtri deſeruiant, hæreticis ne ad impugnanda omnia Ordinis eſſentialia apud Eccleſiam Romanam, vel Eccleſiæ Romanæ ad defendenda Ordinis eſſentialia ab hæreticis negata, & impugnata. Et tamen eſſentialia Sacramentorum à nullo alio nobis manifeſtari & deſignate præſcribi debebant, quam ab Apoſtolis, neq; enim Sancta Mater Eccleſia, Sacramentorum eſſentialia recepiſſet, niſi ab Apoſtolis data, præſcripta, & viuæ vocis oraculis atteſtata fuiſſent. Vnde in Rituali ſeu Pontificali Romano ex Apoſtolorum dogmatibus ac Canonibus ſacraq; traditione omnium Sacramentorum eſſentialia deſcripta fuerunt, vt pro vnitate, totius Eccleſiæ Catholicæ fundanda ac retinendæ, vniuerſaliter ſub eadem vnitate eiuſdem Pontificalis eſſentialiter retinendi in vniuerſum terrarum orbem vniformiter in eſſentialibus ſeruarentur. Sentire autem & docere cum Turriano & Arcuda & Eudæmone Ieſuitis quod Apoſtoli contrarios Canones circa Sacramentum Ordinis compoſuerint ac tradiderint Orienti, quam compoſuerint & tradiderint Occidenti ſtultum & inſanum eſt, nedum hæreticum. Sentire item quod Apoſtoli ſeria & eſſentialia Sacramenti Ordinis contempſerint, & leuia, ſeu accidentalia immo hæreticalia Ordinis deliramenta ad ſenſum Doctoris Arcudij, & Turriani, ac Eudæmonis, curauerint & præſcripſerint, pluſquam blaſphemum, & pluſquam hæreticum eſſe viſum eſt ſemper ignorantiæ meæ.

Circa tertium, quartum, & quintum Canonem Apoſtolorum.

Canon tertius.

Tertius Canon Apoſtolorum ſic habet: *Si quis Epiſcopus aut presbyter præter ordinationem Domini, alia quædam offerat ſuper altare, id eſt mel, lac, ſiceram, confecta quædam, volatilia, aut alia animalia quæcunq; aut legumina, contra conſuetudinem Domini faciens, congruo tempore deponatur.* Hic Canon inter eſſentialia Sacramenti Ordinis, & ſimpliciter neceſſaria ad Eccleſiaſticam hierarchiam, de induſtria hæreticali ad diuertendum Lectorem ab eſſentialibus Sacramentis Ordinis deſiderandis & inquirendis interpoſitus eſt. Vnde palliatur quadam pietatis ſpecie. Sed apparet fraus omnis, ac palliatio, & ficta cura. Non enim in Eccleſia Sancta Dei tanta ignorantia fuiſſe legitur, ſeu credibilis eſt, vt attulerit ad tranſubſtantiandum in altari legumena, animaliaque aquatilia, ſeu terreſtria, ſeu volatilia, ſeu lac, & caſeum, ſeu mel, & cōfecta quæcunq; &c. quæ quilibet, vel rudis, ſeu ruſticus, ſeu mulier irrideret, neq; in

mentem venirent cordatis viris. Vnde merito ſibi cōtradicunt Canon tertius, & Canon quartus, in quo conceditur vt ad altare offerantur nouæ ſpicæ, & vuæ, ac oleum, & thymiama, ſeu incenſum. Sic dicendo in quarto Canone. *Offerri non licet aliquid ad altare præter nouas ſpicas, & vuas, & oleum, & thymiama ſeu incenſum.* Et in quinto Canone, ſic habetur. *Omnium aliorum primitia Epiſcopo & presbyteris domum mittuntur, non ſuper altare.* Sicut ergo non eſt indignum offerri primitias ſpicarum & vuarum, & olei, ac incenſi ſuper altare, cur erit indignum offerri primitias roſarum, liliorum aliorumq; florum omnium, ſuaue olentium, vel malorum granatorum, quæ iubebantur appendi in veſtibus Sacerdotalibus in Leuitico? quæ nam leuia, ſeu puerilis, aut anilis curæ ſunt hæc, fictæ ſeu affectatæ pietatis argumenta? num defuiſſent Apoſtolis alia maiora & grauiora fidelibus diſponenda ac regulanda circa ſimpliciter neceſſaria Sacramentorum eſſentialia, aliaq; ad ſalutem requiſita circa vitia & virtutes, circa Sacramentorum numerum, ac Sacramentorum neceſſitatem, circa vnitatem Eccleſiæ, ac vnitatem Capitis eius viſibilis, ac primatum, ſeu principatum B. Petri, eiuſq; ſucceſſorum, de Purgatorio, de damnatione æterna ſtatim incurrenda poſt mortem, de viſione beatorum ſtatim conſequenda à paruulis poſt Baptiſmum immediate decedentibus, ſeu poſt expiationem Purgatorij, de duplici iudicio particulari & generali, de interceſſione Sanctorum, & Chriſti Mediatoris Sacerdotio, ſemper apud Patrem pro nobis intercedente, de Diuinitate & vnitate Dei, de Diuina proceſſione ad intra ex ipſo fontali principio Patris, de proceſſione Spiritus ſancti tam à Patre, quam à Filio, ſeu per Filium, de proceſſione creaturarum ad extra, de Angelis eorumq; ruina, de peccato originali, & ſexcentis alijs, quæ perſequi potius debuiſſent, & tamen nil tale hi Pſeudapoſtoli ſcribere voluerunt, niſi accidentales, ac vanas res, mixtas cum hæreticis prohibitionibus. Vnde l. 1. c. 4. vt Eccleſiam Romanam tacite damnent & cenſurent circa annulos Doctorales, ac Sponſales, & Epiſcopales qui dantur monialibus deſponſandis cum Chriſto, & Epiſcopis deſponſandis cum Eccleſia eorum; expreſſe prohibent vſum annulorum, tanquam argumentum ſcortationis § *neq; auream palam in digitos tuos induas; quoniam ſcortationis argumenta ſunt hæc &c.* Atq; hinc Hæretici damnant vſum annulorum apud Eccleſiam Romanam, tanquam expreſſe prohibitum a Canonibus hiſce Pſeudapoſtolorum. Et ibidem in fine prohibet inciſionem barbæ primo, quia eſt contra legem leuiticam, ſecundo, quia ſolis fœminis licet pilos barbæ corrumpere; & tertio, quia homo conditus eſt ad imaginem & ſimilitudinem Dei, quam deturpat homo, dum barbæ pilos incidit. ſic dicens § *Neq; vero licet barbæ pilos corrumpere, neq; hominis figuram, præter naturam mutare. Non incidetis ait lex* (Leuitici 21.) *ſuperficium barbæ veræ. Hoc enim mulieribus decens eſſe Deus ſtatuit, viris autem indecorum eſſe iudicauit. Tu vero hoc faciens, & vt tibi placeas legem violans, odio eris apud Deū, qui creauit te ſecundum imaginem ſuam. Si igitur cupis Deo placere, contine te ab omnibus his, &c.* Ecce Apoſtolicas, ſeu Pſeudapoſtolicas curas, & iocos, ſeu ineptias, ac aniles fabulas, & ſtultitias. Omittere ſeria, & ſimpliciter neceſſaria ad ſalutem circa Sacramentorum eſſentialia præſcribenda: & attendere eiuſmodi nænias & fabulas hæreticales. Non enim iudaizandum eſt in lege noua: neq; Deus eſt barbatus & ideo diſplicet ei quod homo barbam incidens, deformet in ſe ſimilitudinem Dei; neq; mulieribus barbatis liceret barbam corrumpere, ſit id viris barbatis illicitum ac prohibitum eſt iure Diuino, niſi dicat Clemens apocryphus mulieres non eſſe conditas ad ſimilitudinem Dei, & ideo eis licere, barbam corrumpere. Vel potius niſi loquatur apocryphus Clemens immundus de aliqua alia occulta barba muliebri, quam Deus iudicauit decorum eſſe ſi ſæpe incidatur, ac radatur. Sed quis pius, vel quis impius non videt hæc deliramenta Pſeudapoſtolorum, eſſe non vero Sacramenta Apoſtolorum, quæ alijs diuulgari prohibeantur canone vltimo Apoſtolorum, immo pſeudapoſtolorum. Et eodem lib. 1. cap. 10. tam diligenter & minute deſcribit modum abluendarum mulierum in balneo § *Muliebre ſit balneum*

cum

Digitized by Google

cum pudore, ordinate, & modeſtè lauet; neq; ſuperfluam lotionem faciat, neq; multam, neq; frequentem, neq; in meridie, ſed ſi fieri poteſt, neq; de die. Hora ſit tibi conſtituta balneo decima; &c. Ecce accuratiſſimum Clementem in omittendis eſſentialibus Sacramentorum, ſimpliciterq; neceſſariorum ad fundandam retinendamq; Eccleſiam: e contra vero diligentiſſimum in peſcribendis balneis mulierum ordinate lauandarum, eſſet enim peccatum ſi mulieres lauentur inordinate. Ordo autem incipit a centro ad perſpheriam, tanquam à principio intermedio ad extrema. Hoc enim ſignificare voluit Clemens mentitus per ly (ordinate) ſed valeat, & malè valeat adulteratus hæreticaliter iſte Clemens, fons & origo omnium hæreſum circa Sacramentorum eſſentialia impugnanda, & non niſi accidentalia, vel leuiora & puerilia præſcribentem.

Sextus Canon adulterinus, Apoſtolorum immo Pſeudapoſtolorum nomine diuulgatus, ſic habet: *Epiſcopus, aut Presbyter vxorem propriam nequaquam ſub obtentu religionis abijciat. Si vero reiecerit excommunicetur. Sed ſi perſeuerauerit, deijciatur.* Hic Canon non audet aperte loqui, quod clarius repetit in can. 50. *Si quis Epiſcopus aut presbyter, aut Diaconus, aut omnino quiuis de ſacerdotali catalogo à nuptijs & carnibus & vino abſtinuerit propter abominationem; oblitus quod omnia pulchra valde, & quod maſculum, & fœminam Deus creauit hominem: ſed diffamationibus laceſſens creationem Dei, vocat ad calumniam: aut corrigitor, aut deponitor, & ex Eccleſia reijcitor, conſimiliter & Laicus.* Huius Canonis occultus, intentuſq; ſcopus eſt præferre ſtatum coniugalem ſtatui virginitatis & cœlibatui (quod hæreticaliter damnatur in Trid. 24. can. 1.) ac præferre coniugium Sacerdotale Hæreticorum ſiue Græcorum Catholicorum, cœlibi ſeu virgineo Sacerdotio Latinorum. Sed non audet aperte blaſphemare. Vnde id palliat & obſcurat quibuſdam effugijs, & fictis rationibus alliciendo ad coniugium, quia opera Dei ſunt valde bona: at maſculum & fœminam creauit Deus, ſecus diffamaretur creatio Dei, ac laceſſeretur, & vocaretur ad calumniam tale opus Dei. Includit præterea hic Canon non ſolum Epiſcopos presbyteros, & Diaconos abſtinentes à nuptijs, & carnibus? Sed etiam quoſcunq; alios ex Sacerdotali catalogo nempe monachos, Diaconiſſas & moniales, ac Clericos, quos ex catalogo Sacerdotali eſſe ſentit hæreticaliter. Illud autem admirandum eſt in his Canonibus, quod tali arte callida compoſiti ſunt, vt mille patiantur effugia, æquiuocationes, & palliationes, falſoſq; prætextus; quibus defendi poſſint ab aduerſarijs. Præterea hic Canon æque Laicos, ac Epiſcopos, & presbyteros, ac Diaconos, omneſque Sacerdotalis Catalogi abſtinentes à nuptijs deponit & excommunicat, ſi id faciunt ex odio Dei creatoris aut odio mulierum. Quare tacitè & conſequenter à contrario ſenſu laudat Epiſcopos & presbyteros, & Diaconos omneſq; catalogi Sacerdotalis matrimonium contrahentes, ſicut & Laicos. Vnde nullo modo eſſent excommunicandi Epiſcopi ducentes vxorem vel moniales nubentes; ſed potius ex hoc Canone eſſent laudandi, ſicut & Laici ſi id faciunt, ex amore creaturarum Dei. nam à contrario ſenſu eſſent damnandi ſi abſtinerent à nuptijs ex odio mulierum, vel Dei. Ecce occultum venenum, neq; ſatis penetratum ab alijs. Et quis enim ex odio Dei, odit mulierẽ? immo naturali inclinatione, & fomite quis non amat mulieres? ex hoc Canone mihi ſæpe obiectum fuit ab Olandenſibus quod Epiſcopi & presbyteri Latini, omneſq; catalogi Sacerdotalis Diaconiſſæ, ſeu moniales ſint excommunicati tanquam damnantes nuptias, eo quod non ament creaturas Dei, neq; eas ſibi matrimonio copulent ſicut Laici. Sed à matrimonio abſtinent ex odio Dei, & mulierum. quod damnatur in Canonibus Apoſtolorum. Falſitatem horum Canonuum arguit ſexta ſynodus Trullana canone 38. & can. 12. vbi excuſatur correctio & imprudentia horum Canonum Apoſtolicorum eandemq; falſitatem arguit Apoſtolorum Canon vigeſimus ſeptimus, vt infra.

Sextus Canon.

Nonus Apoſtolorum Canon ſic habet: *Si quis Epiſcopus, aut Presbyter, aut Diaconus, vel quilibet ex Catalogo Sacerdotali, facta oblatione non communicauerit, aut cauſam*

Canon Nonus

dicat,

dicat, vt ſi rationabilis fuerit, veniam conſequatur; aut ſi non dixerit communione priuetur, tanquam qui populo cauſam læſionis extiterit, dans ſuſpitionem de eo, qui ſacrificauit, quod recte non obtulerit. Ecce ſtultiſſimam rationem, indigniſſimamq; Spiritu ſancto Apoſtolico. non enim ſequitur quando quis non communicat; quod ſuſpicatur Sacerdotem non conſecraſſe; committatq; hoc iudicium temerarium. Sed potius totum oppoſitum ſequitur; nempe: Hic non communicat, ergo non eſt diſpoſitus per Confeſſionem ad tantum Sacramentum, dignè participandum, timetq; Deum, iuxta præſcriptum Apoſtoli ad Cor. 10. *Probet autem ſe ipſum homo, & ſic de pane illo edat, & de Calice bibat. Qui enim manducat & bibit indigne, iudicium ſibi manducat & bibit, non diiudicans corpus Domini, &c.* Præterea non præſcribit hic Canon præuiam Confeſſionem ad communicandum. Vnde ex hoc Canone Hæretici Septemtrionales negant neceſſitatem Confeſſionis auricularis. Vnde potius excommunicare debuiſſet hic Canon eos Epiſcopos, & Sacerdotes, ac Diaconos, & Diaconiſſas, qui quotidie poſt oblationem communicare audent ſine admiſſione Confeſſionis auricularis.

Tandem hic Canon imponit neceſſitatem omnibus Clericis, & Diaconis, ac Diaconiſſis; ſeu monialibus communicandi quotidie poſt oblationem ſub pœna excommunicationis. quod ex diametro opponitur Apoſtolorum Canoni communicandi ſemel in anno, ſeu ſolemnioribus vt olim feſtiuitatibus, quem Canonem ſeruat S. Mater Eccleſia Romana nec alias obligat ſub mortali, ſeu ſub excommunicatione ad communicandum, niſi ſemel in anno. Ideo autem Pſeudapoſtolorum Canon hic Communicando corpori & ſanguini Chriſti ſub ſpeciebus panis & vini, non præſcribit præuiam neceſſitatem Confeſſionis auricularis, ſi ſupponatur peccatum mortale, quia tacite & conſequenter negat realitatem Corporis & ſanguinis Ieſu Chriſti in Euchariſtia, vt deducunt omnes Hæretici & Spalatenſis docentes, Apoſtolos ſenſiſſe ibi eſſe panē tantū & vinū, ad quæ recipienda non requiritur Cōfeſſio.

Canon decimus. Decimus Canon ſic habet: *Omnes fideles qui conueniunt in ſolemnitatibus Sacris ad Eccleſiam, ſcripturas Apoſtolorum; & Euangelium audiant. Qui autem non perſeuerauerint vſq; dum miſſa peragitur; nec Sanctam Communionem percipiunt, velut inquietitudines Eccleſiæ mouentes, conuenit communione priuari.* Hic Canon videtur pius; ſed latet anguis in herba. Non enim eſt rationabilis lex Eccleſiaſtica obligare ſingulis feſtis laicos ad communicandum in ſingulis ſolemnibus miſſis feſtiuis ſub pœna excommunicationis; ſicut neq; modo obligat; & ſi obligaret, eſſet irrationabilis lex, & non obſeruabilis. Præter quàm quod multæ dantur cauſæ licitæ excuſationis ab audienda Miſſa vſq; ad finem, vel communicandi Euchariſtiam ex multis indiſpoſitionibus tam animæ, quàm corporis, & ieiunij, ac deuotionis, ac debitæ præparationis, &c. quod vero Canon ille occulte latens venenum contineat patet ex abſtruſo eius ſcopo, è medio tollendi Confeſſionem auricularem tanquam neceſſariam ante ſumptionem Euchariſtiæ, & Iudaicam Confeſſionem ſoli Deo factam introducendi, vt dicitur lib. 7. cap. 15. Conſt. Apoſtolicarum B. Clementis adulterati. Nullibi enim Sacramentum Pœnitentiæ admittit, neq; de præcepto, neq; de conſilio ſaltem quotieſcunq; ſumenda eſt Euchariſtia. Et tamen præceptum communicandi ſingulis diebus profeſtis imponit Clericis, dum miſſa peragitur; ac ſingulis diebus feſtis imponit laicis in miſſis ſolemnibus ſub pœna excommunicationis. Vnde hæretici Septemtrionales ex hoc Canone probant Eccleſiam Romanam gratis introduxiſſe neceſſitatem confitendi hominibus, præter mentem Apoſtolorum, excludentium omnem Confeſſionem auricularem; de qua nullibi verbum quidem aliquod apparet, neq; in Conſtitutionibus Apoſtolicis B. Clementis, neq; in his Canonibus Apoſtolorum quoties ſumenda eſt Euchariſtia.

Canon vndecimus. Vndecimus Canon ſic habet. *Si quis cum excommunicato ſaltem in domo locutus fuerit, iſte communione fidelium priuetur.* Extremus rigor ac falſitas huius Canonis patet, quia *Neceſſitas non habet legem.* Præterquam quod excommunicatio poteſt eſſe iniuſta.

ſta. Vnde Doctores omnes quinq; genera perſonarum excipiunt ab excommunicatione, etiam iuſta: quæ ex can. *Quoniam multos*. 11.q.3. hoc verſu continentur. *Vtile, lex, humile, res ignorata, neceſſe*. *Vtile*, quia ob vtilitatem participantium non incurrunt in excommunicationem, qui petunt, vel recipiunt, quod ſibi debetur ab excommunicato. ex can. *Si vero* eod. tit. Neq; incurrunt in excommunicationem, qui propter vtilitatem ipſius excommunicati loquuntur cum illo, de eius ſalute; dando ei conſilium, vel petendo ab eo conſilium, non ſolum in ſpiritualibus; ſed etiam in temporalibus; ſi neceſſitas adſit, & alius idoneus reperiri non poterit, ex can. *Cum voluntate*, eod. tit. Secundo excuſatur *Lex*, ideſt matrimonialis, nam coniux licite conuerſari poteſt, & petere debitum coniugale ex cit can. *Cum multos* 11.q.3. Tertio excipitur *Humile* ideſt omnis ſubiectus, ac ſubditus, vt filij, ſerui, ancillæ, ruſtici ſeruientes, quiq; ſunt de familia, coloni, ſocij negotiationum ex præcedente contractu & obligatione, & ſimiles ſubditæ perſonæ. Quarto excipitur *Res ignorata*, ideſt qui ex ignorantia facti conuerſatur ex can. *Apoſtolica*. de excommunicatione minori. Immo neq; qui ſcit per confeſſionem tenetur vitare excommunicatum. Quinto excipitur, *Neceſſe*, ideſt neceſſitas ſpiritualis & corporalis, vt infirmitas, quia non habet legem. Vnde licet petere eleemoſynam ab excommunicato, & conuerſari cum eo ad euitandum, ſibi omnia damna ab excommunicato illata, ſeu inferenda. Præterquam quòd vltra excommunicationem minorem ad ſummum, nunquam incurritur aliquod peccatum mortale conuerſando cum excommunicato, niſi id fiat ex contemptu, vel oriatur contemptus Cenſurarum, vt omnes Theologi vnanimi conſenſu docent. Apparet ergo fictus, ac palliatus hic rigor extremus talis vndecimi Canonis, indigni Spiritu ſancto Apoſtolorum, cum omne extremum ſit vitium, & malum: nec ſit à Deo.

Decimus tertius Apoſtolorum Canon ſic habet: *Si quis clericus, aut laicus, à communione ſuſpenſus, ad aliam properet ciuitatem, & ſuſcipiatur præter commendatitias literas; tam qui illum ſuſceperunt, quam qui ſuſceptus eſt communione priuetur, ſeu excommunicetur. Excommunicato verò protelatur ipſa correptio, tanquam qui mentitus ſit, & Eccleſiam Dei ſeduxerit*. Falſitas, ſeu imprudentia, ac ſtultitia huius Canonis apparet ex hoc, quod ſentit clericum, ſeu laicum ſuſpenſum a communione in vno loco, eſſe pariter ſuſpenſum in alio loco vbi nulla adeſt talis ſuſpenſio, neq; notitia laicæ ſuſpenſionis. Secundo ſentit dari ſuſpenſionem laicalem. Tertiò ſuſpenſum, in vno loco, debere ſe ipſum cum ſcandalo prodere, & manifeſtare in alio loco, vbi habetur vir bonæ famæ. Sentit quarto ſuſpendentem laicos habere iuriſdictionem non ſolum in ſuſpenſum, aliò vagantem; ſed etiam in ſuſcipientes talem ſuſpenſum. Cum tamen laica hæc ſuſpenſio non detur: nec non poſſit eſſe iniuſta; & etiam ſi iuſta ſit, & occulta, nemo teneatur illum laicum ſuſpenſum euitare. Immo etiam ſi ſit publica in illis quinq; exceptionibus ſupradictis nemo teneatur euitare ſuſpenſum, ſicut neq; excommunicatum: *Vtile, lex, humile, res ignorata, neceſſe*. Vltimo hic Canon introducit neceſſitatem deferendi ſecum literas teſtimoniales Epiſcoporum, etiam pro laicis peregre proficiſcentibus, ad hoc vt gabellam ſimoniacam ſtatuat ſingulis laicis diſcedentibus ad ditandam curiam Epiſcopalem. Cum tamen vnuſquiſq; præſupponatur bonus, niſi probetur contrarium. *Canon decimus tertius.*

Canon 19. ſic habet: *Qui duas in coniugium ſorores acceperit, vel viduam fratris, vel filiam fratris, clericus eſſe non poteſt.* Quoniam malus, ſemper præſumitur malus in eodem genere mali: & hi Canones ſuſpecti ſunt adulterationis hæreticalis ex Gratiano diſt. 16. *Canones Apoſtolorum*. ideo occultum virus eorum penetrare, & impugnare, oportet. Eo enim peiores ſunt blaſphemiæ & impietates, quo magis ſunt occultæ & palliatæ, ac ſub ſimulata & mellita ſpecie pietatis animos fidelium præſertim ſimplicium inficiunt, & ſeducunt vt in hoc Canone. Cum enim in alijs leuioribus criminibus pœnam excommunicationis rigidiſſime infligant ficti Apoſtoli, in hoc Canone, tanquam in re parui momenti ſolum pœnam irregularitatis, ſeu priuationis *Canon decimus nonus.*

Digitized by Google

tionis ſuſcipiendi ordinem clericatus imponit, ſicut in Canone 17. ſolum pœnam irregularitatis imponunt bigamis, quia bigamia non eſt peccatum; ſed ſolum impedimentum dicendo in Canone 17. *Si quis poſt Baptiſmum ſecundis nuptijs fuerit copulatus non poteſt fieri clericus*. Ita in hoc Canone 19. *Qui duas in coniugium ſorores acceperit aut relictam viduam fratris, aut filiam fratris, clericus eſſe non poteſt, ſicut neq; bigamus clericus eſſe poteſt*. Ecce paritatem pœnæ irregularitatis ab Apoſtolis, vtriq; exceſſui definitam. Ecce prudentiam, & æqualitatem pœnæ ad æqualitatem culpæ. Immo ecce imprudentiam & ſtultitiam, ſeu aniles, & pueriles fabulas; in condendis Canonibus ad æternum regimen Eccleſiæ, & animarum ſalutem, & regulas morum indigniſſimas Spiritu ſancto Apoſtolorum, eorumq; eminentia ac ſcientia & ſapientia Diuinitus infuſa. ac ſi nullum ſit legitimum matrimonij impedimentum in lege leuitica, ſeu Euangelica: nulliq; ſint gradus prohibiti in Eccleſia Sancta Dei. Ex hoc apocrypho Canone hæretici contendunt nulla alia dari matrimonialia impedimenta niſi ſolius Irregularitatis: quia Apoſtoli nihil aliud præciſe iudicarunt imponendum eſſe, niſi irregularitatem: neq; dari gradus prohibitos, vel peccatum aliquod ſicut in bigamo nullam aliam pœnam aſſignant Apoſtoli can. 17. niſi ſolius irregularitatis, relinquendo bigamum in eodem matrimoniali ſtatu. Sic Apoſtoli relinquunt in eodem matrimoniali ſtatu eum qui duxit filiam fratris, vel viduam fratris, vel duas ſorores ſucceſſiuè. & ſolum priuant a conſequutione clericatus. Vbi enim lex non diſtinguit, neq; aliam pœnam imponit, cum poſſit & debeat imponere, neq; nos diſtinguere, & pœnam excommunicationis imponere debemus ex regulis iuris. Et tamen B. Ioannes Baptiſta non ſolum obiecit Herodi irregularitatem; ſed inceſtum execrandum dicendo, *Non licet tibi ſumere vxorem fratris tui, &c.*

Canon vigeſimus.

Vigeſimus Canon ſic habet, *Clericus fideiuſſionibus inſeruiens abijciatur à communione, ſeu excommunicetur*. Hic Canon de induſtria inſertus eſt ad palliādos alios erroneos, ſuſpectoſq; Canones. poteſt enim ad bonum ſenſum trahi, licet à malis Pſeudapoſtolis, aut violatoribus legitimorum Canonum Apoſtolicorum, omnia in malum ſcopum intendantur, & attendantur. Fidei autem iuſſio poteſt eſſe actus charitatis, quo clericus poſſit (immo fortaſſe in caſu neceſſitatis teneatur) fideiubere, præſertim pro ſuis parentibus, fratribus, ſororibus, alijſq; conſanguineis, ſeu affinibus in extrema neceſſitate poſitis. Vnde peccatum ſit prohibere talem fideiuſſionem. De iure enim naturæ ne dum de iure Diuino primario ex Decalogo tenetur filius honorare parentes, ac præſtare neceſſaria ſuis parentibus, alijſq; in primo gradu conſtitutis; nec non cuicunq; proximo in extrema neceſſitate conſtituto, fideiubere pro illius neceſſario cibo, qui poſitus eſt in tali extremo periculo. Ecce curam, & ſolertiam Apoſtolicam, in omittendo, & negando, ſeu excludendo præſcriptionem eſſentialium cuiuſcunq; Sacramenti, ac attendendo ſolum leuiſſimis accidentalibus contingentijs.

Canon vigeſimus primus 22. 23. & 24. de eunuchis.

Canon 21. ſic ait: *Eunuchus ſi per inſidias hominum factus eſt, vel in perſequutione eius ſunt amputata virilia: vel ſi ita natus eſt, & eſt dignus, efficiatur Epiſcopus.* Canon 22. ſic ait: *Si quis abſcidit ſemetipſum, ideſt ſi quis amputauit ſibi virilia, non fiat clericus, quia ſui ipſius homicida eſt, & Dei conditionis inimicus.* Canon 23. *Si quis, cum clericus fuerit, abſciderit ſemetipſum omnino damnetur, quia ſui ipſius homicida eſt.* Canon 24. *Laicus ſemetipſum abſcindens annis tribus cōmunione priuetur, quia vitæ ſuæ inſidiator extitit.* Hi Canones quam indigni ſint cura & modeſtia Apoſtolorum ſtultus eſt, qui id non agnoſcat. Et quis enim tanquam inimicus conditionis Diuinæ, ex odio Dei amputat ſibi virilia? num eiuſdem conditionis paſſiuæ eſt Deus? ò infamem impudentiam Pſeudapoſtolorum; o diabolicas nugas, & fabulas, non quidem aniles, ſed aranicus, & ſi laicus pœnitere debet tot annos, & non poſſunt fieri Diaconi, quia ſibi amputarunt virilia; ergo ex eadem paritate rationis huius Canonis Apoſtolici, mulier amputans ſibi muliebria pœnitere debet tres annos, ac prohiberi ne fiat Diaconiſſa.

Vbi

Digitized by Google

Vbi enim eſt eadem ratio; ibi eadem eſt legis diſpoſitio. Sed hæ ſunt nugæ, & conſequentiæ, ſeu fabulæ aniles, ab hæreticis ad irriſionem Canonum Apoſtolicorum inſertæ, ergo & antecedens Canon falſus; ſeu hæreticalis eſt inuentionis, ac irriſionis. Attendere enim debuiſſent Apoſtoli præſcribendis diſtinguendiſq; ſeptem Sacramentis, tanquam veris fundamentis Totius Eccleſiaſticæ Hierarchiæ; non autem his, anilibus curis, aut ſtultiſſimis contingentijs reſoluendis.

Canon 27. ſic ait: *De nuptijs autem, qui ad clerum prouecti ſunt, præcipimus, vt ſi voluerint, vxores accipiant, ſed Lectores, Cantoreſq; tantummodo.* Huius Canonis falſitas & contradictio patet, quia ex diametro pugnat cum Canone ſexto & Canone quinquageſimo, arguitq; leuitatem & inconſtantiam, ac contradictionem Apoſtolorum ſibi ipſis turpiter repugnantium. excommunicat enim canon quinquageſimus eos Epiſcopos, & presbyteros, ac Diaconos, & Diaconiſſas ac Moniales, & monachos, omneſq; catalogi Sacerdotalis, qui abſtinent à nuptijs. Et tamen hic totum oppoſitum dicitur. quia ſolis Lectoribus, & Cantoribus conceditur coniugium; reijciendo & excludendo, ſeu hæreticaliter negando tres alios Ordines Minores & hic eſt occultus intentuſq; finis eiuſmodi Pſeudapoſtolorum. Præterea ex hoc Canone negant omnes hæretici alios tres Ordines Minores nempe Oſtiariatum, Exorciſtatum, & Acolythatum. quod hæreticaliter damnatur in Trid. ſeſſ. 23. can. 2. Canon vigeſimus ſeptimus.

Canon 46 ſic habet: *Epiſcopum, aut presbyterum hæreticorum ſuſcipientem Baptiſma damnari præcipimus. Quæ enim conuentio Chriſti ad Belial? aut quæ pars fideli cum infideli.* Hic Canon non poteſt integrè percipi niſi legatur in proprio fonte. eſt enim compendium conſtitutionum Apoſtolicarum lib. 6. cap. 16. quàm vero ſit hæreticalis ex hoc patet quod ex hoc Canone D. Cyprianus deceptus, ſynodum Carthaginenſem de rebaptizatione hæreticorũ coegit, ac iuxta hunc Canonem Apoſtolicum determinauit non valere Baptiſma Hæreticorum, vt patet ex eadem ſynodo Carthaginen. § *Cenſeo ſecundum Euangelicam, & Apoſtolicam conſtitutionem, non valere Baptiſma hæreticorum. &c.* Vbi citat Canones hos Apoſtolorum; & conſtitutiones Apoſtolicas. quæ ſynodus Carthaginenſis his falſis rationibus innixa, reuocata fuit à Papa Stephano, & Papa Cornelio. vt dicitur in notis eiuſdem ſynodi Carthaginenſis. Ex hoc etiam Canone Græci aliqui gratis & falsò, reijciunt Baptiſma Latinorum, quos inique reputant non ſolum hæreticos, ſed etiam ſchiſmaticos. Et ideo Latinos rebaptizant, quotquot rebaptizare poſſunt ex Manuele Gallеca, Doctore Græco, in Obſeruationibus Galleca; & ex Conc. Lateranenſi, cap. 4. & ex can. *Licet Græcos de Baptiſmo & eius effectu.* Canon 46.

Deſumptus fuit autem hic apocryphus Apoſtolorum Canon 46. ex apocryphis Conſtitutionibus Apoſtolorum lib. 6. cap. 15. Vbi ſimpliciter & ſine vlla exceptione, ſeu diſtinctione reprobatur Baptiſma hæreticorum quorumcunq; nulla alia de cauſa, niſi, quia collatus eſt ab hæreticis, quicquid falſo fingat, & palliet Turrianus, vt videbimus apud ſubſequentes impugnationes earundem apocrypharum Conſtitutionum Apoſtolicarum lib. 6. cap. 15.

Hic tandem Canon non ſolum reijcit hæreticaliter Baptiſma Hæreticorum, ſed etiam ex paritate rationis; reijcit omnia Sacramenta, ab hæreticis collata, ſeu conſecrata. Iuxta quam doctrinam ſub falſo nomine Apoſtolorum diuulgatam, Carthaginenſis ſynodus de rebaptizatione ſub B. Cypriano decepta eſt, ſentiendo Hæreticum Sacerdotem, neq; Euchariſtiam, neq; Baptiſmum conſecrare. In qua doctrina meos huius hæreticalis Canonis eſt, reijcere oppoſitam doctrinam Sacramẽtorum Sanctæ Matris Romanæ; eamq; in materia Sacramentorũ funditus euertere.

Hic Canon 47. eandem blaſphemiam hæreticalem repetit de rebaptizandis hæreticis, ſic dicens. *Epiſcopus aut presbyter, ſi vere baptizatos à veris Sacerdotibus, rebaptizauerit, aut pollutos ab impijs baptizantibus non rebaptizauerit, deponatur tanquam deridens crucem, & mortem Domini, nec Sacerdotes veros à falſis Sacerdotibus diſcernens.* Canon 47.

Hic Canon non poteſt perfecte intelligi, niſi legatur in proprio loco, à quo de-

H ſumptus

ſumptus eſt, apud apocryphas Conſtitutiones Apoſtolicas lib. 6 cap. 15. vbi multæ blaſphemiæ hæreticales continentur primo, quod ad Baptiſmi validitatem requiratur Catholici Sacerdotis miniſterium; ita vt inualidum ſit Baptiſma mulierum, vel laicorum, aut clericorum, aut Diaconorum etiam Catholicorum. Secundo, quod falſum ſit Baptiſma Sacerdotum hæreticorum. Veros autem Sacerdotes eos ſolum eſſe docent hi Pſeudapoſtoli, qui inſtar Matthiæ Actor. primo ordinati ſunt, per ſolam & nudam electionem Dei, ſeu deprecationem electionis, à Deo faciendæ, vt in Euchologio Arcudiano Cryptæ Ferratæ, reiecta omni materia, & forma. quicquid gratis & falſo ſentiat adulteratus ab hæreticis Turrianus, & quidam Epiſcopus Bonius. Ieſuitarum doctrinæ aſſecla in commentarijs earundem apocrypharum Conſtitutionum Apoſtolicarum Ex hoc Canone omnes hæretici blaſphemant Sacerdotem in peccato mortali hæreſeos exiſtentem, nulla Sacramenta conficere. Ex hoc eodem Canone deceptus eſt etiam B. Cyprianus in ſua ſynodo Carthaginenſi de rebaptizatione, recepta in ſexta ſynodo Trullana can. 2. Vbi Cyprianus has eaſdem rationes affert Apoſtolicarum Conſtitutionum, & horum Canonum Apoſtolicorum nempe, quod Epiſcopus, ſeu Sacerdos hæreticus, neq; baptizare, neq; Euchariſtiam, aliaq; Sacramenta conficere poſſet. Et idem repetitur in Canone 67. quod tamen hæreticaliter damnatur in Trid. ſeſſ. 10. & ſeſſ. 7 can. 4. & can. 11. de Baptiſmo & ſeſſ. 7. de Sacram. can. 12.

Canon. 67.

Canon 67. id omne ſtulte & fruſtratorie repetit cum tautologia & mattæologia, ſeu ſtultiloquio, ac moleſta repetitione eiuſdem hæreſeos. cum tamen crambe bis iteratum mors ſit. Sic autem ait Canon 67. *Si quis Epiſcopus, aut presbyter aut Diaconus ſecundam ordinationem aut ſecundam baptizationem non acceperit, dum conſtat ipſum baptizatum aut ordinatum ab hæreticis; deponitor. Qui enim ab hæreticis ordinati, aut baptizati ſunt, hi nec fideles nec clerici eſſe poſſunt.* Huius Canonis abſoluta definitione ſine vlla diſtinctione, & ſine vlla exceptione præſcripti, deceptus eſt B. Cyprianus cum ſua ſynodo Carthaginenſi de rebaptizatione; definiendo inualida eſſe Sacramenta extra Eccleſiam Dei collata. Cum tamen hæreticum ſit ſentire & docere, quod hæretici, quatenus hæretici non conficiant Sacramenta, etiam ſeruata debita materia, & forma. Hoc etiam Canone Pſeudapoſtolorum innixi hæretici negant extra Eccleſiam Dei dari, vera Sacramenta externa, ac negat Sacerdotem in peccato hæreſeos, vel alio peccato exiſtentem conficere Sacramenta, quia ita docet hic Apoſtolorum Canon 67. Hac etiam de cauſa Græci reordinant & rebaptizant Latinos, quia eos reputant hæreticos ex can. *Licet Græcos. de Baptiſmo & eius effectu.*

Canon. 49.

Canon 49 ſic ait: *Si quis Epiſcopus, aut presbyter, non trinam merſionem vnius myſterij celebret, ſed ſemel mergat in Baptiſmo, quod dari videtur in Domini morte, damnetur. Non enim dixit nobis Dominus, In morte mea baptizate: ſed euntes docete omnes gentes, baptizantes eos, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti.* Hic Canon hæreticaliter conditus eſt, ad hæreticaliter introducendas Diaconiſſas, ad baptizandum & vngendum, ac chriſmandum mulieres, adultas præſertim in Baptiſmo præter quam quod plenus eſt hæreticali non ſolum malitia, ſed etiam ſtultitia. Stultum eſt enim primo ex verbis illis Chriſti Matth. vltimo inferre hæreticalem neceſſitatem trinæ immerſionis. Stultum eſt etiam ſecundo hæreticaliter damnare Catholicam ſufficientiam vnicæ ablutionis, ſeu vnicæ merſionis, quam docet ſufficere Sancta Mater Eccleſia Catholica. Hæreticum eſt tertio, introducere potius Baptiſma per merſionem totius nudi corporis inferioris, adultorum præſertim, ac adultarum fidelium, quam per ablutionem ſolius capitis, nobilioris, & ſuperioris partis. Cæteris enim paribus euidens ratio & modeſtia Apoſtolorum poſcebat vt potius partes nobiliores & ſuperiores hominis, quam inferiores & turpiores partes corporis baptizandas eſſe in adultis, præſertim viris, ac mulieribus præſcriberent.

Confirmatur primo, quia in Actis Apoſtolorum baptizabantur in dies multa millia virorum, ac mulierum, per ſolam aſperſionem, vel ad ſummum ablutionem

capi-

Digitized by Google

capitis, non autem per inhoneſtam immerſionem totius nudi corporis adultorum & adultarum mulierum; contra modeſtiam Apoſtolicam.

Confirmatur ſecundo; quia ablutio totius nudi corporis in Baptiſmo ſatis fauet hæreſi Adamianorum, qui Sacramenta nuditate Adamieua ſumenda eſſe blaſphemabant ex can. *Quidam autem hæretici* diſt. 18. § *Adamiani hæretici Adamieuam nuditatem ſeruant in orando, & in Eccleſia, &c.*

Confirmatur tertio, quia dictus Canon tanquam adulterinus & falſus, neq; à Græcis ipſis obſeruatur, quia nolunt ſolas tres immerſiones admittere ad baptizandum inferiores, & turpiores partes corporis; ſed admittunt quartam ablutionem in capite, nobiliori & ſuperiori parte hominis. Ergo ſecundum fidem Græcam & Sanctos Patres Græcos baptizantes ſecundum veros Canones Apoſtolicos, falſus eſt hic Canon 49. vbi trina applicatio aquæ, tanquam eſſentialis hæreticaliter præſcribitur, quia ſufficit vna ablutio, ſeu immerſio, ac valet etiam quarta ablutio Græcorum. Et oppoſitum eſt hæreticum, quia numerus ablutionum non eſt eſſentialis, & Sanctus Chryſoſtomus Caput immergendum eſſe docet ex Catechiſmo Caniſij in Sacramento Baptiſmi, vt diximus in Prolegomeno Tractatus Primi.

Confirmatur quarto; quia introductio Baptiſmi per immerſionem totius nudi corporis, in adultis præſertim mulieribus, ſeu viris non ſolum repugnat modeſtiæ Apoſtolicæ, & contrariæ traditioni & regulæ, ſeu Canoni ab Apoſtolis tradito Eccleſiæ Catholicæ baptizãti per ablutionẽ capitis ex regula Apoſtolica; ſed ẽt adducit ſecum multa alia abſurda introducendi neceſſitatem Diaconiſſarum, nedum Diaconorum, ad lauandas toto nudo corpore mulieres, præſertim adultas; Et ad vngendas etiam toto nudo corpore eaſdem mulieres, præſertim adultas, tam oleo catechumenorum ante Baptiſmum, quam vnguento chriſmatis poſt Baptiſmum ad decorem ſeruandum, quia turpe eſt mulieres præſertim adultas attrectari, & lauari nudas, ac vngi toto nudo corpore à Diaconis; & ideo aſſignandæ ſunt Diaconiſſæ vltra Diaconos vt in adulteratis Conſtitutionibus Apoſtolicis B. Clementis lib 3. cap. 15. hæreticaliter præſcribitur tale miniſterium Baptiſmale ſolemne Diaconiſſarum. Præterea ſi Diaconiſſæ aſſumendæ ſunt ad ſolemne Baptiſmum, & miniſtrare debent Sacras Vnctiones Catechumenorum, & vnguenti chriſmatis, debent ordinari ſicut & Diaconi, ad Sacras Vnctiones Baptiſmales ex Sacro oleo Catechumenorum & Sacro chriſmate Sacerdotali & Epiſcopali Sacramẽti confirmationis toto nudo corpore a Diaconiſſis conferendi de more & Euchologio Rituali Arcudiano.

Vnde tacite hic Canon 49. inſinuat ſub compendio miniſterium & ordinationem Diaconiſſarum, quam expreſſe præſcribit lib 3. cap. 15. & lib. 8. cap. 18. de Diaconiſſis hæreticaliter ordinandis ex apocryphis Conſtitutionibus Apoſtolicis, ſine quibus non poſſunt intelligi Canones Apoſtolorum, qui ſunt compendium apocryphatum Conſtitutionum Apoſtolicarum adulterati B. Clementis & oppoſitum eſt maxima ignorantia Aduerſariorum, & deceptio fidelium.

Atqi hinc patet ignorantia & deceptio, immo hæretica doctrina adulterati Turriani Ieſuitæ, & Arcudij toto libro ſecundo, decipientium Eccleſiam Sanctam Dei docentium quod fuerit Sacramentum confirmationis hæc vnguenti chriſmatis vnctio per totum nudum corpus, ne dum in capite & tota facie, ſub illa iterata forma, Σφραγὶς δωρεᾶς πνεύματος ἁγίου. *Signum doni Spiritus ſancti.* vt in Euchologio Rituali Slauonorum & Græcorum, ac in ſecunda ſynodo Oecumenica can. 7. & ſexta ſynodo Trullana can. 95. Cum tamen talis nudi corporis chriſmatio fieri ſolita à presbytero, cum adiuuante Diacono, in viris baptizandis, fieri debeat à ſola Diaconiſſa, & Diacono in fœminis baptizandis, Epiſcopo ſolum caput vngente, tam ante Baptiſmum ex oleo Catechumenorum quam poſt Baptiſmum ex vnguento chriſmatis. & Diacono vngente frontem & reliquas partes corporis. E contra vero in fæminis præſertim adultis Epiſcopus vngit ſolum caput, Diaconus vngit frontem ſolam ſub illa forma Σφραγὶς δωρεᾶς πνεύματος ἁγίου. *Signum doni Spiritus ſancti* &

De Arcudiano Sacramento Confirmationis.

Digitized by Google

ta & Diaconiſſa vngit totum reliquum corpus ſub eadem forma Σφραγὶσ δωρεᾶσ πνεύματοσ ἁγίυ. *Signum doni Spiritus ſancti* vt expreſſe præſcribunt Conſtitutiones Apoſtolicæ lib 3. cap. 15. ad ſeruandam honeſtatem (vt fingunt & introducunt hæreticaliter) quia turpe eſt mulieres nudas aſpici in Eccleſia à viris, ac nudas lauari, ſeu vngi. Quod etiam de more obſcuro inſinuat D. Dionyſius cap. 2. Eccleſiæ hier. dum totius nudi corporis vnctionem præſcribit ab adiuuantibus & diaconizantibus compresbyteris fieri debere ex mandato Epiſcopi poſtquam ſolus Epiſcopus caput vnxit. Vbi expreſſe ait Dionyſius Diaconos eſſe coadiutores Baptiſmi. Licet Scholiaſtes dicat ibi ſub nomine Diaconorum intelligi presbyteros adiuuantes. Quod autem Græci toto nudo corpore lauent & vngant, non ſolum baptizandos, ſed etiam hæreticos reconciliandos, in eodem fonte baptiſmali, ex aqua & oleo baptiſmali, ac ſub eadem repetita forma vnctionis, fatetur idem Arcudius Aduerſarius noſter lib. 2. cap. 7. ſuæ Concordiæ § *Porro Græci ſicut toto nudo corpore baptizant, ſic toto nudo corpore toties repetita forma illo vnguenti chriſmatis vngant, dicendo* Σφραγὶσ δωρεᾶσ πνεύματοσ ἁγίυ. *Signum doni Spiritus ſancti, &c.*

Quod autem eadem ablutio baptiſmalis fontis in reconciliandis hæreticis iteretur à Græcis, ac iteretur eadem vnctio vnguenti chriſmatis ſub citata forma: *Signaculum doni Spiritus ſancti* non ſolum in reconciliandis adultis hæreticis viris, ſed etiam in reconciliandis adultis fœminis hæreticis, toto nudo corpore in fonte baptiſmali immergendis, & toto nudo corpore ex eodem Baptiſmali vnguento vngendis, eodem prorſus modo & ritu ſicut in Baptiſmo factum eſt, patet ex ipſo Euchologio in ritu reconciliandi hæreticos & hæreticas, & ex præſcripto Methodij Patriarchæ ibidem ac ex ſecunda ſynodo Oecumenica can. 7. & ex ſexta ſynodo Trullana can. 95.

Quod tandem in adultis fœminis baptizãdis, & reconciliandis hæreticis, ac nudo corpore lauandis, non niſi fœminæ Diaconiſſæ adhibendæ ſint, & Diacono liceat ſolam frontem mulierum vngere: id non ſolum ratio honeſtatis exigit, ſed expreſſe præſcribit adulteratus B. Clemens lib. 3. Conſtitutionum Apoſtolicarum cap. 5. § *Elige quoq; Diaconiſſas ò Epiſcope; in multis enim egemus muliere Diaconiſſa, ac primum cum baptizantur mulieres caput illarum vnges tu Epiſcope; Diaconus vnget frontem; ac Diaconiſſa vnget illas reliquo corpore. Nefas eſt enim mulieres nudas aſpici à viris, &c.* quid clarius? ecce miniſterium Diaconiſſarum in vngendis mulieribus toto nudo corpore, ſiue ex oleo Catechumenorũ ante Baptiſmum, ſiue poſt Baptiſmum ex Sacro Chriſmate; ſiue ſint Catechumenæ & fideles, ſiue hæreticæ reconciliandæ. ecce Diaconalem chriſmationem frontis. Quis autem ſanæ mentis ſentiat cum Arcuda & Turriano Ieſuita, quod talis vnctio totius corporis, ne dum capitis & faciei, ſit Sacramentum Confirmationis, ſub illa falſa & inſufficienti forma Σφραγὶσ δωρεᾶσ πνεύματοσ ἁγίυ. *Signum doni Spiritus ſancti.* cum à Diacono (quando adeſt) fieri poſſit, & debeat ex Clemente apocrypho talis vnctio frontis & totius faciei; nec non a Diaconiſſa eadem vnctio fieri poſſit & debeat in toto nudo corpore mulierum adultarum lauandarum & chriſmandarum tam in Baptiſmo & ante Baptiſmum ex oleo Catechumenorum; & poſt Baptiſmum ex Sacro chriſmate: quam etiam ex eodem Sacro chriſmate in reconciliatione hæreticarum ſub eadem repetita illa forma Σφραγὶσ δωρεᾶσ πνεύματοσ ἁγίυ. *Signum doni Spiritus ſancti*, poſt ablutum totum nudum corpus a Diaconiſſis ac vnctum a Diaconiſſis? non enim materia applicatur fruſtra, ſeu informiter. in Eccleſia enim Dei nihil eſſe debet fruſtratorium & informe, ex S. Th. 3. p. q. 71 a. 3. corp. Et tamen Arcuda & Turrianus, hæreticaliter adulterati turpiſſime huc vſq; deceperunt Eccleſiam Sanctam Dei, circa approbationem hæreticalium Sacramentorum Ordinis, Extremæ Vnctionis, & Confirmationis, apud Euchologium Cryptæ Ferratæ, & Apoſtolicas Conſtitutiones apocryphas adulterati Sancti Clementis Romani, ac apocryphos hos Canones Apoſtolorum, immo Pſeudapoſtolorum.

Diaconus chriſmat frontem in baptizando ex adulterato B. Clemente.

Canon 65.

Canon 65. ſic ait: *Si quis dominicum diem, aut Sabbatum (vno ſolo excepto) ieiunare de-*

Digitized by Google

prehendatur, deponitor. ſin laicus eſt, e communione fidelium eijcitor. Hic Canon ab hæreticis compoſitus eſt contra Eccleſiam Latinam, ieiunantem in Sabbato. Vnde ſexta ſynodus Trullana can. 55. cenſurat Eccleſiam Romanam, decepta ex hoc canone ſic dicens: *Quoniam intelleximus in Romanorum ciuitate, in ſanctis Quadrageſimæ diebus, in eius Sabbatis ieiunare præter Eccleſiæ traditam conſuetudinem, ſanctæ ſynodo viſum eſt, vt in Romanorum Eccleſia Canon inconcuſſe obtineat, qui dicit. (Siquis clericus inuentus fuerit in Sancto Dominico, vel Sabbato ieiunans, præter vnum, & ſolum deponatur, ſi autem ſit laicus, deponatur.)* Deſumptus eſt hic hæreticalis Canon ex apocryphis Conſtitutionibus Apoſtolicis lib. 5. cap. 19. De ſanctitate autem ieiunij in Sabbato, & hæretica hac prohibitione ieiunij in ſabbato diximus in fine Prolegomeni noſtri cap. 10. in Tractatu primo, quæ hic breuitatis cauſa non repeto.

Canon 52 ſic ait: *Si quis Epiſcopus, aut presbyter, aut Diaconus, carnibus, & vino non vtatur, ſ. ſtius dictus, idq; per abominationem, non propter exercitationem, deponitor. quia cauterio notatam habet conſcientiam, & multis auctor eſt offendiculi.* Hic Canon non audet aperte loqui, ſeu potius blaſphemare, ſed obſcure, tanquam odio habens lucem clari ſermonis, inſinuat iudaizationem in Sabbato, quod inſtar diei dominicalis, tanquam feſtiuum tranſigunt iudaizantes aliqui hæretici; ac in eo veſcuntur carnibus, neq; ieiunare audent, quia inſtar diei dominici ab omnibus habendum eſſe blaſphemant ex ficto prætextu huius canonis Apoſtolorum. Vnde Hæretici accuſant Latinis, tanquam hæreticos, ob omiſſionem iudaizandi in Sabbato. *Canon 52.*

Deſumptus eſt autem hic Canon ex apocryphis Conſtitutionibus Apoſtolicis lib. 5. cap. 18 & 19. Ad palliandam vero hanc hæreſim de induſtria affert illas rationes, & fictiones abominationis. Abominantur vero Romani vſum carnium æque in Sabbato, ſicut in die Veneris, ne coincidant cum Iudæis. Licet defectus piſcium in aliquibus nationibus ac indultum ſummi Pontificis excuſet Hiſpanos & Græcos veſcentes carnibus in die Sabbati. quem diem feſtum eſſe apud Græcos fuſius probat Balſamonus ex ſexta ſynodo Trullana can. 52. § *Vt Sabbato, & Dominica & Annunciatione conſecratio tantum fiat, quia ſacrificare eſt feſtum agere, &c.* Vbi in tota Quadrageſima prohibetur Miſſæ Sacrificium excepto feſto dominicali, Sabbatino, & Annunciationis B. Virginis. quia Sabbatum æquiparatur cuicunq; feſto.

Canon 69. *Siquis Epiſcopus, aut presbyter, aut Diaconus, aut omnino quicunq; ex Clericorum conſortio cum Iudæis ieiunauerit, aut communem feſtum diem egerit, aut Azyma ab eis ſuſceperit deponitor: ſi laicus, à communione ſegregator.* Hic Canon contradicit ſibi ſtultè: ac palliat priorem Canonem, quò ad Iudaizationem Sabbatizandi ac feſtum celebrandi diem Sabbati, ſeu veſcendi carnibus in Sabbato, ſine legitima cauſa, & indulto Summi Pontificis. quo ad Azyma vero inſinuat iudaizationem conſecrandi in azymis apud Eccleſiam Romanam. non enim audet aperte blaſphemare. Cum tamen Azymorum ritum Eccleſia Romana non acceperit à Iudæis; ſed ab Apoſtolo: *Non in fermento veteri: ſed in azymis ſynceritatis & puritatis, &c.* quod autem hæc contradictio, vel palliatio hæreticalis non poſſit eſſe à Spiritu ſancto, Apoſtolorum rectore (quia effugit omne fictum) cæcus eſt qui id non videat. *Canon 69. Stulta contradictio: ſeu callida palliatio hæreticalis Pſeudapoſtolorum.*

Canon 77. ait, *Qui mutus, ſurduſve, & cæcus eſt, Epiſcopus non efficiter: non, quia obſeſſo corpore eſt, ſed ne Eccleſiaſtica impediantur munera.* Quam falſus, ſtultus & pluſquam hæreticus, ſeu indigniſſimus ſit hic Canon Apoſtolica ſapientia, ſeu Spiritu ſancto Apoſtolorum, nemo eſt qui id non videat. Stultus eſt & demens qui id non agnoſcat. Mutus enim, cæcus, & ſurdus ſimul, non ſolum eſt illiteratus, & irregularis ex veteri & nouo Teſtamento, ſed etiam eſt fabula gentium; & maxima ignorantia & dementia ordinantium illum in Epiſcopum, quia nullum Sacramentum aut Sacramentale adminiſtrare poteſt, & fruſtratoria eſſet talis ordinatio. Omnia enim eſſe debent propter finem ſuum. Vnde ſi Apoſtoli talem canonem ſtultiſſimum condidiſſent: non ſolum ſtultiſſimi fuiſſent: ſed etiam à contrario ſenſu tacite & conſequenter docuiſſent abſolutè mutum, & ſurdum, ac cæcum fieri poſſe Epiſco- *Canon 77.*

pum

pum ſaltem de facto, præſertim niſi ſubſequatur impedimentum Epiſcopalium functionum. Vt ſi conſecretur Epiſcopus ſolum titularis & nullius diœceſis, ſeu in partibus infidelium. Vel ſi dentur coadiutores, multo magis idonei, & docti, ac integri, quàm ſit Epiſcopus ille mutus, ſurdus, & cæcus. Sed hoc conſequens eſt ſtultiſſimum, falſiſſimum, & abſurdiſſimum; ac ex diametro oppoſitum & repugnās Sacris Canonibus & requiſitis Conc. Nicen 2. & can *Omnes pſallentes* d. 35. Ergo pariter abſurdiſſimum eſt antecedens & hæreticale, vnde ſequitur.

Confirmatur, quia ſi non poteſt eſſe Sacerdos, ſeu Diaconus, multo minus eſſe poteſt Epiſcopus, qui eſſentialiter pendet à Sacerdotio; ſicut Includens & incluſum, perfectum & imperfectum. Totum & partes. Præterea requiritur intentio in adultis, ſeu Sacramentis adultorum. ſine eſſentiali autem hac intentione ſuſcipientis non valet Sacramentum.

Canon 76. Canon 76. ſic ait: *Si quis oculo defectus, aut obtuſo crure exiſtat, & dignus ſit, Epiſcopus efficitor. non enim mutilatio corporis ipſum polluit ſed inquinatio animæ.* Hic Canon ſi penetretur, irridet, ſeu cenſurat Eccleſiam Romanam, totum oppoſitum ſentientem, ac deformes horridoſq; defectus oculorum, aut mutilationes horridas labiorum, ſeu narium, ſeu manuum, cenſentem, & ſentientem, ac ſtatuentem inducere irregularitatem in ordinandis. Præterea ſentit tacitè & conſequenter hic Canon quod ſoli defectus animæ, non autem defectus corporis inducunt irregularitatem. quod eſt totum oppoſitum eius, quod catholice docet, & prædicat, ac ſeruandum eſſe iubet Sancta Mater Eccleſia Catholica. Vnde hæreticaliter damnatur in cap. *Ad abolendam. de hæreticis.* tanquam ex diametro oppoſitus Catholicæ doctrinæ Sanctæ Matris Eccleſiæ Romanæ.

Canon 68. *Si quis Epiſcopus, vel presbyter, vel Diaconus aut Lector aut Cantor Sacram Quadrageſimam Paſcha, aut quartam feriam, aut Paraſceuen (extra Quadrageſimam) non ieiunauerit depenitor: præter quam ſi imbecillitate impediatur corporis. Sin laicus ſit, communione fidelium priuetur.* Hic Canon in primis reijcit hæreticaliter tres Ordines Minores. de quo fuſius in Prolegomeno Tractatus Primi; præterea damnare intendit Eccleſiam Romanā non ieiunantem in feria quarta, & ſexta, vt Græci Latinis obijciunt paſſim quod ſint præuaricatores huius Canonis Apoſtolici non ieiunando bis in Sabbato. Sed nos eis reſpondemus quod ſufficit auctoritas Sanctæ Matris Eccleſiæ Catholicæ ad reijciendum hunc Canonem, tanquam adulterinum. Atq; hæc de Canonibus apocryphis Apoſtolorum leuiter tetigiſſe currenti calamo ſufficiat. Scio aliquos præterea eſſe Canones, qui ſpeciem aliquam pietatis præſeferunt, & ad bonum ſenſum trahi poſſunt. Sed id de induſtria factum eſt ex hæreticorum prudentia ſeu malitia, ad fidem ſibi perſuadendam, & palliandos alios hæreticales Canones Cum ergo qualis eſt finis, talia ſint media, hinc eſt quod etiam talia media ſint cenſenda ſuſpecta & mala, tanquam ad peſſimum finem palliandi tot hæreſes intenta & directa. Malus. n. ſemper præſupponitur malus in eodem genere mali, ex regulis iuris. Confirmatur ex ſexta ſynodo Trullana can. 2. quæ reijcit octo libros Conſtitut. Apoſtolicarum, licet ex induſtria hæreticorum contineant multa vtilia.

Illud vnum dicendum de eiuſmodi apocryphis Canonibus, quod quilibet cordatus & prudens Theologus multo meliores & digniores, ac vtiliores Canones Toti Eccleſiæ Sanctæ Dei neceſſarios compoſuiſset ad Eccleſiæ ſtabilimentum ſempiternum contra hæreticos, & fidelium doctrinam ſalutis æternæ, ac Sacramentorum diſtinctionem ac aſſignationem eſſentialium, ad regimen Eccleſiæ tam in Capite, quam in membris, & ad fidei incrementum ac hæreſum extirpationem nedum præuiſionem. Vnde S. Thomas, Scotus, Bonauentura, Albertus & Scholaſtici cum Magiſtro ſententiarum nil aliud elaborarunt niſi fundare ſanam doctrinam contra omnes omnium hæreticorum non tam præſentium quam futurorum præuiſas blaſphemias ad Eccleſiæ ſtabilitatem, morum reformationum, & hæreſum confutationem, & Dei cognitionem, & myſteria omnia aperienda, & defendenda contra

contra

Digitized by Google

tra hæreticorum calumnias omnes & blaſphemias, palliataſq; impietates; quarum ſumma quædam compendiaria ſunt hi Apoſtolorum adulterati Canones, deſumpti ex apocryphis Conſtitutionibus Apoſtolicis B Clementis, hæreticaliter deprauati. quod vt melius agnoſcatur & eluceſcat deuenio ad ipſas fontales Conſtitutiones apocryphas B. Clementis, ex quibus eruti ſunt ipſi pariter apocryphi Apoſtolorum Canones. Illud autem hic in fine repetere, non erit moleſtum quod initio dixi; eiuſmodi nimirum apocryphos Apoſtolorum Canones. non ſolum eſſe panopliam omnium hæreſum omniumq; hæreticorum armaturam eſſe æneam contra Sacroſancta Eccleſiæ Catholicæ Sacramentorum eſſentialia; & Euangelicam veritatem: ſed etiam totalem ruinam fuiſſe, atq; eſſe earum Eccleſiarum, quæ coniunctæ olim fuerunt cum Sancta Matre Eccleſia Romana, & præſertim Græcorum Arcudianorum, qui ita eiuſmodi Canonibus apocryphis innituntur, vt ex diametro opponantur veris Apoſtoliciſq; Canonibus & regulis, doctrinæq; Euangelicæ Sacramentorum Romanæ Sanctæ matris Eccleſiæ Catholicæ. Neq; dicat quod eiuſmodi Canones à Turriano Ieſuita cum Apocryphis Conſtitutionibus Apoſtolicis defenſi, ſunt illi iidem Canones 85. à Patribus Græcis in ſexta ſynodo recepti & approbati. quia impoſſibile eſt vt tam turpiter errare potuerit ſexta ſynodus Trullana can. 2. Vbi cõuenerunt tot doctiſſimi & religioſiſſimi Patres Græci. Vnde pie putandum, ac credendum eſt adulteratos fuiſſe hæreticaliter; atq; alios fuiſſe illos Apoſtolorum Canones, quos approbauit ſexta ſynodus, quoſq; circa Sacramenta omnia admittit Sancta Mater Eccleſia Catholica, tanquam veras regulas & Canones Apoſtolorum pro adminiſtrandis Sacramentis ex ſuo Pontificali Romano.

Errores Franciſci Turriani Ieſuitæ eiuſq; aſſeclarum circa apocryphas Conſtitutiones Apoſtolicas B. Clementis, hæreticaliter adulteratas & hæreticaliter in Sacramento præſertim Ordinis ab adulterato Turriano defenſas toto libro octauo.

DEuenio tandem ad hæreticaliter adulteratum librum B. Clementis, quem ita adulteratum puto fundamentum eſſe, ſeu Panopliam omnium hæreticorum, circa Sacramentorum omnium Sanctæ Matris Eccleſiæ impugnationem, ſeu reiectionem, ac hæreticalium Sacramentorum Luthericorum introductionem. Nullumq; hæreticalem librum magis venenatum & peſtiferum eſſe puto, quam ſit hoc B. Clementis adulteratum volumen, quia cæterorum hæreticorum iacula, ſeu venena, & blaſphemiæ ſunt manifeſtæ, & facile præuideri & euitari poſſunt; at B. Clementis integer liber ita callide deprauatus eſt, ſuaq; venena dulciſſimo ſuperficiali melle ita condit & abſcondit ſub mentito nomine venerabilium Apoſtolorum, vt facile ſimplices quoq; pioſq; lectores, alioſq; doctores decipiat. Vnde à multis ſeu à maiori parte Doctorum præſertim Ieſuitarum approbatur, citatur & defenditur; quod ſtrenuè præſtat Turrianus Ieſuita, & Archiepiſcopus Spalatenſis, ac quidam alij eiuſdem farinæ. Cum tamen hæreticaliter adulteratos eſſe ipſos octo libros B. Clementis vtraq; Eccleſia atteſtetur. Eccleſia enim Græca ex Sexta ſynodo Trullana; can. 2. ex vnanimi conſenſu omnium Patrum Græcorum, illas Conſtitutiones B. Clementis hæreticaliter adulteratas eſſe ita declarat & definit §. *quoniam autem in Canonibus Apoſtolorum præceptum eſt, vt eorundem SS. Apoſtolorum per Clementem Conſtitutiones ſuſciperemus, quibus iam olim ab ijs, qui à fide aliena ſentiunt, adulterina quædam, & pietate aliena introducta ſunt, quæ diuinorum nobis decretorum elegantem & venuſtam ſpeciem obſcurarunt; ideo has Conſtitutiones ad Chriſtianiſſ.mi gregis ædificationem ac ſecuritatem vtiliter reiecimus, hæreticæ falſitatis fœtus nequam immiſcentes, & germana ac integra Apoſtolorum doctrinæ inſerentes; &c.* Ecce reprobationem librorum octo B. Clementis adulterati, ab Eccleſia Græca ſatis orthodoxe cenſurati. Eccleſia item Latina ſub Gelaſio Papa in can. *Sancta Romana Eccleſia* eoſdem libros B. Clementis apocryphos eſſe cenſurat § *Clementis libri octo apocryphi. diſt.* 15. & diſt. 16. can. *Clementis*

CAP. 17.

Digitized by Google

mentis librum numerant Patres inter apocrypha &c. Vbi gloſſa *Clementis, ideſt ſub mentito nomine Sancti Clementis conſcriptum ab hæreſis, ſeu adulteratum librum eſſe* ait, &c. Ecce verum teſtimonium & Catholicam cenſuram vtriuſq; Eccleſiæ contra approbationem & defenſionem hæreticalem ipſius Turriani adulterati prolatam. quid vlterius deſiderari poteſt contra Turrianum? Ad maiorem autem huius Catholicæ veritatis euidentiam, deueniamus ad ſingula falſa, & erronea in fide, ſeu hæreticalia Turriani & Clementis adulterini Sacramenta. Cum enim fingat adulterinus hic Clemens, ſe nil aliud attendere, & intendere; niſi ipſam Eccleſiæ fundationem, & incrementum; ac hæreſum extirpationem, & religionis Chriſtianæ propagationem; nil aliud tamen præſtat (o proditorium hæreticorum prætextum, ac fictionem) niſi totalem ipſam Eccleſiæ deſtructionem, & hæreſum propagationem, tanta tamen palliata arte, & externa ſpecie ſanctitatis, vt nihil ſupra. Primo enim ac principaliter oſtēdit ſe accuratiſſimum eſſe in doctrina Baptiſmi Catholicorum, diſcernendi à Baptiſmo hæreticorum; nec non de Sacris Vnctionibus Baptiſmalibus; de Pœnitentia; de Infirmis: de Miſſæ Sacrificio; de Ordine; & ſingulis ordinibus, ac ſingulis ordinationibus accuratiſſimum ſe eſſe ſolis & nudis inanibus externiſq; fictis verbis profitetur; re ipſa autem non niſi cerimonialia quædam admittit: eſſentialia autem omnia & ſingula fere è medio tollit proditoriè: vt patebit infra, inductiue diſcurrendo per ſingula Sacramenta, & Sacramentalia practica; antea tamen enumeratis aliquibus erroneis in fide quæ paſſim admittit Clemens hic mentitus, in ſuis Conſtitutionibus Apoſtolorum; immo Pſeudapoſtolorum, à quibus ipſemet mentitus Clemens paſſim cauendum eſſe monet. Sed nomine Pſeudapoſtolorum hæreticaliter intelligit cum omnibus Luthericis & Caluinianis ipſos Catholicos Sanctæ Matris Eccleſiæ Romanæ Canones Apoſtolorum, à quibus eſſentialiter in ſingulis Sacramentis diſcrepat. Deueniamus ergo ad aliquos indiuiduos hæreticoſq; errores manifeſtos eiuſdem Clementis apocryphi.

Palliata hæreticalis prohibitio eleemoſynæ exhibendæ.

CAP. 18.

ET quidem de illo Dei gratiſſimo opere charitatis & miſericordiæ in præſtandis eleemoſynis etiam de Mammona iniquitatis; ita contra Euangelicam veritatem & præceptum ſentit & docet Inclemens, ſeu Anticlemens iſte mentitus, vt nil ſupra: reducendo in deſperationem pauperes, ne ſibi ſubuenire poſſint ex oblatis eleemoſynis, ac peccatores ne redimant eleemoſynis peccata eorum. Nam lib. 3. cap. 8. ſic ait §. *Neq; Viduæ & Diaconiſſæ, neq; Sacerdotes, talis meretricis voluntariam oblationem vnquam recipiant, veluti furis, ſeu meretricis. Scriptum eſt enim Deut. 23. Non concupiſces rem proximi tui, & non offeres Domino mercedem meretricis. Non igitur à talibus accipiendum, neq; etiam ab excommunicatis; Nam qui ab huiuſmodi excommunicato, vel extra ſynagogam eiecto accipit, & pro tali orat, qui in malis perſeuerare ſibi propoſuit, communicat cum eo in oratione, & offendit Chriſtum, &c.* Ecce hæreticales rationes ad iudaizandum in Euangelica Eccleſia, tanquam adhuc in ſynagoga Hebræorum, eo quod eiuſmodi eleemoſynas dantes perſeuerare intendunt in malis. ac ſi homo ſit ſcrutator cordium, aut liceat iudicium temerarium committere: & ipſa oblatio eleemoſynæ non ſit potius argumentum & deſiderium pœnitentiæ, & conuerſionis ſaltem inchoatiuè quam obſtinationis & auerſionis a Deo & à proximo. Et lib. 4. cap. 6. § *Epiſcopum ſcire oportet quorum debeat recipere fructus, & quorum non debeat. Cauendi ſunt illi caupones qui miſcent vinum aqua Iſa. 1. fugienda ſunt ſcorta. Non offeres enim Deo mercedem meretricis Deut. 23. Rapaces quoq; vitandi, adulteri, quia abominabilia ſunt eorum ſacrificia, viduarum & orphanorum oppreſſores, fures, iniuſti, publicani, pondera & menſuras defraudantes, milites ſuis ſtipendijs non contenti, homicidæ, carnifices. Nam qui ab ijs aliquid capiunt, & alunt de eo viduas, & orphanos Rei iudicio Diuino efficiuntur, quemadmodum 3. Reg. 13. quod ſi ab impijs paſtæ viduæ, & ſaturæ factæ, pro eis ſupplicauerint, non exaudietur, quia Deus Iſa. 15. ait ſi ſteterint Moyſes, & Samuel ante faciem meam, pro eis, non exaudiam ipſos, & tu ne ores pro populo iſto, & noli miſereri eorum, & non acce-*

das

Digitized by Google

das ad me pro ipſis, quoniam non exaudiam te &c. Et ſequenti cap. 7. § *Vetate igitur talium oblationes tanquam pretium canis, & mercedem meretricis. vtrumq; enim in lege eſt prohibitum 4. Reg. 8. Nam nec Eliſeus ab Azaele munera allata accepit, neq; Achias à Ieroboamo. quod ſi Dei propheta ab impijs oblata munera reijcerunt: item vos reijcite. Fugite ergo oblationes altaris Dei, à mala conſcientia prouenientes &c.* & ſequenti cap. 8. § *Sed ſi dicatis quod ij ſunt qui eleemoſynas dant, à quibus niſi capiatur, non erit vnde viduis miniſtretur, ac inopes populi alantur. Audiſtis à nobis quod ſi adeo egebunt Eccleſia (fidelium pauperum) praſtat perire, quàm ab inimicis Dei aliquid capere in contumeliam, & irriſionem amicorum eius. nam de ijs Propheta ait, Pſ. 140. oleum peccatoris non impinguet caput meum, &c.* & ſequenti cap. 10. § *Si neceſſe ſit aliquando ab aliquo impio inuitos pecuniam capere, in ligna & carbones illam conſumite, ne Vidua vel orphanus de ea ſumens cogatur prater fas cibum, vel potum ſibi emere. aquum eſt enim talia, qua ab impijs veniunt, ignis pabulum, non vero piorum eſcam fieri. Hac quoq; lex pracipit (Leuit. 19.) qua ſacrificium ſcortiuum non concedendum appellat, & igne conſumi iubet. Non enim ſua natura mala ſunt, qua offerunt, ſed ſententia illorum, qui illa adducunt. &c.* Ecce nugas fictaſq; rationes erroneas & hæreticales Pſeudapoſtolorum, impietatem omnem erga pauperem ſapientes. Præſcribunt enim magis perire debere pauperes, ac Viduas, & orphanos, quàm viuere de eiuſmodi eleemoſynis, ſponte oblatis, & in leuitica lege prohibitis. Cu m tamen in lege Euangelica liberauerit nos Deus a Iudaizatione ita onerosa, & graui; ac expreſse præceperit, *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis*; ac Villicum illum laudauerit Chriſtus, quod de alienis indulſit illis debitoribus Domini ſui. præter quam quod id Tobiæ 4. præcipitur § *ex ſubſtantia tua fac eleemoſynam. & cap. 10. eleemoſyna à morte liberat. & Eccl. 3. eleemoſyna reſiſtit peccato.* & Daniel. 4. § *Peccata tua eleemoſynis redime & Luc. 11. Date eleemoſynam, & ecce omnia munda ſunt vobis. &c.* Vnde illud receptiſſimum ſanctorum Patrum dictum quod, *ſicut aqua extinguit ignem, ita eleemoſyna extinguit peccatum.*

Et iure optimo, quia nulla maior diſpoſitio ad conuerſionem & pœnitentiam eſt, quàm charitas pauperū, quę operit multitudinē peccatorū: nulloq; modo miſericordiam Dei conſequi quis poterit, qui immiſericors fuerit circa pauperes. & Iudicium vniuerſale circa denegata opera miſericordiæ principaliter exercendum præſcribitur in Euangelio. Adde quod charitas & eleemoſyna eſt ſignum prædeſtinationis, licet ſecundum præſentem iuſtitiam quis ſit in peccato mortali. neq; eſt noſtrum temerario iudicio diſcernere, an eleemoſynæ illæ ſint præſcitorum. Immo ex vnanimi conſenſu omnium Theologorum, *Nunquam dimittitur peccatum, niſi reſtituatur ablatum.* quod autem omnes Theologi Eccleſiæ Catholicæ dicunt id de fide eſt ſaltem ſecundario, vt fuſius probat Melchior Canus de Locis Theologicis. Vnde non poſsunt ſibi retinere illa furta, ſeu extorſiones ac bona male acquiſita, & indebite retenta omnes illi fures, milites graſsantes, venditores iniuſti, caupones, meretrices, oppreſsores pauperum, & viduarum, &c. niſi reſtituantur ſaltem pauperibus & Eccleſiæ quæ ius habet male acquiſitorum. & tantum abeſt quod prohibendi ſint hæreticaliter ab eleemoſynis faciendis, vt potius perſuadendi ſint catholicè, & inducendi ad reſtituendum pauperibus, per eleemoſynas continuatas ſaltem. Et tamen Inclemens, ſeu Anticlemens iſte mentitus totum oppoſitum doctrinæ Euangelicæ hæreticaliter, ſub ficta ſpecie ſanctitatis, docere non erubeſcit, potius pauperes & viduas fame perire præcipiens, quàm eis ex pijs eleemoſynis male ablatorum ſubueniatur. prohibendo non ſolum eleemoſynas accipi, ſed conſequenter, & eleemoſynas dari ijs, qui in extrema neceſſitate poſiti ſunt, qui vt ſic ius habent furandi, ſeu accipiendi, ab alijs nolentibus dare, pro illo die, ne fame pereant; ne dum eleemoſynas acceptandi. Et quidem Chriſtus Dominus parabola illa eius, qui incidit in Latrones; ac poſt tot vulnera ſemiuiuus relictus eſt, contrarium declarauit, laudando illum qui ſuis eleemoſynis benigne ſubuenit vulnerato, eiuſq; vulnera curanda mandauit & commendauit. nam etiam ſi maximus fuiſ- CAP. 19.

Digitized by Google

tionis ſuſcipiendi ordinem clericatus imponit, ſicut in Canone 17. ſolum pœnam irregularitatis imponunt bigamis, quia bigamia non eſt peccatum; ſed ſolum impedimentum dicendo in Canone 17. *Si quis poſt Baptiſmum ſecundis nuptijs fuerit copulatus non poteſt fieri clericus*. Ita in hoc Canone 19. *Qui duas in coniugium ſorores acceperit aut relictam viduam fratris, aut filiam fratris, clericus eſſe non poteſt, ſicut neq; bigamus clericus eſſe poteſt*. Ecce paritatem pœnæ irregularitatis ab Apoſtolis, vtriq; exceſſui definitam. Ecce prudentiam, & æqualitatem pœnæ ad æqualitatem culpæ. Immo ecce imprudentiam & ſtultitiam, ſeu aniles, & pueriles fabulas; in condendis Canonibus ad æternum regimen Eccleſiæ, & animarum ſalutem, & regulas morum indigniſſimas Spiritu ſancto Apoſtolorum; eorumq; eminentia ac ſcientia & ſapientia Diuinitus infuſa. ac ſi nullum ſit legitimum matrimonij impedimentum in lege leuitica, ſeu Euangelica: nulliq; ſint gradus prohibiti in Eccleſia Sancta Dei. Ex hoc apocrypho Canone hæretici contendunt nulla alia dari matrimonialia impedimenta niſi ſolius Irregularitatis: quia Apoſtoli nihil aliud præciſe iudicarunt imponendum eſſe, niſi irregularitatem: neq; dari gradus prohibitos, vel peccatum aliquod ſicut in bigamo nullam aliam pœnam aſſignant Apoſtoli can. 17. niſi ſolius irregularitatis, relinquendo bigamum in eodem matrimoniali ſtatu. Sic Apoſtoli relinquunt in eodem matrimoniali ſtatu eum qui duxit filiam fratris, vel viduam fratris, vel duas ſorores ſucceſſiuè. & ſolum priuant a conſequutione clericatus. Vbi enim lex non diſtinguit, neq; aliam pœnam imponit, cum poſſit & debeat imponere, neq; nos diſtinguere, & pœnam excommunicationis imponere debemus ex regulis iuris. Et tamen B. Ioannes Baptiſta non ſolum obiecit Herodi irregularitatem, ſed incœſtum execrandum dicendo, *Non licet tibi ſumere vxorem fratris tui, &c.*

Canon vigeſimus. Vigeſimus Canon ſic habet, *Clericus fideiuſſionibus inſeruiens abijciatur à communione, ſeu excommunicetur*. Hic Canon de induſtria inſertus eſt ad palliādos alios erroneos, ſuſpectoſq; Canones. poteſt enim ad bonum ſenſum trahi, licet à malis Pſeudapoſtolis, aut violatoribus legitimorum Canonum Apoſtolicorum, omnia in malum ſcopum intendantur, & attendantur. Fidei autem iuſſio poteſt eſſe actus charitatis, quo clericus poſſit (immo fortaſſe in caſu neceſſitatis teneatur) fideiubere, præſertim pro ſuis parentibus, fratribus, ſororibus, alijſq; conſanguineis, ſeu affinibus in extrema neceſſitate poſitis. Vnde peccatum ſit prohibere talem fideiuſſionem. De iure enim naturæ ne dum de iure Diuino primario ex Decalogo tenetur filius honorare parentes, ac præſtare neceſſaria ſuis parentibus, alijſq; in primo gradu conſtitutis; nec non cuicunq; proximo in extrema neceſſitate conſtituto; fideiubere pro illius neceſſario cibo, qui poſitus eſt in tali extremo periculo. Ecce curam, & ſolertiam Apoſtolicam, in omittendo, & negando, ſeu excludendo præſcriptionem eſſentialium cuiuſcunq; Sacramenti, ac attendendo ſolum leuiſſimis accidentalibus contingentijs.

Canon vigeſimus primus 22. 23. & 24. de eunuchis. Canon 21. ſic ait: *Eunuchus ſi per inſidias hominum factus eſt, vel in perſequutione eius ſunt amputata virilia: vel ſi ita natus eſt, & eſt dignus, efficiatur Epiſcopus*. Canon 22. ſic ait: *Si quis abſcidit ſemetipſum, id eſt ſi quis amputauit ſibi virilia, non fiat clericus, quia ſui ipſius homicida eſt, & Dei conditionis inimicus*. Canon 23. *Si quis, cum clericus fuerit, abſciderit ſemetipſum omnino damnetur, quia ſui ipſius homicida eſt*. Canon 24. *Laicus ſemetipſum abſcindens annis tribus cōmunione priuetur, quia vitæ ſuæ inſidiator extitit*. Hi Canones quam indigni ſint cura & modeſtia Apoſtolorum ſtultus eſt, qui id non agnoſcat. Et quis enim tanquam inimicus conditionis Diuinæ, ex odio Dei amputat ſibi virilia? num eiuſdem conditionis paſſiuæ eſt Deus? ò infamem impudentiam Pſeudapoſtolorum; o diabolicas nugas, & fabulas, non quidem aniles; ſed aranicus, & ſi laicus pœnitere debet tot annos, & non poſſunt fieri Diaconi, quia ſibi amputarunt virilia; ergo ex eadem paritate rationis huius Canonis Apoſtolici, mulier amputans ſibi muliebria pœnitere debet tres annos, ac prohiberi ne fiat Diaconiſſa.

Vbi

Digitized by Google

Vbi enim eſt eadem ratio; ibi eadem eſt legis diſpoſitio. Sed hæ ſunt nugæ, & conſequentiæ, ſeu fabulæ aniles, ab hæreticis ad irriſionem Canonum Apoſtolicorum inſertæ, ergo & antecedens Canon falſus; ſeu hæreticalis eſt inuentionis, ac irriſionis! Attendere enim debuiſſent Apoſtoli præſcribendis, diſtinguendiſq; ſeptem Sacramentis, tanquam veris fundamentis Totius Eccleſiaſticæ Hierarchiæ; non autem his, anilibus curis, aut ſtultiſſimis contingentijs reſoluendis.

Canon 27. ſic ait: *De nuptijs autem, qui ad clerum prouecti ſunt, præcipimus, vt ſi voluerint, vxores accipiant, ſed Lectores, Cantoreſq; tantummodo.* Huius Canonis falſitas & contradictio patet, quia ex diametro pugnat cum Canone ſexto & Canone quinquageſimo, arguitq; leuitatem & inconſtantiam, ac contradictionem Apoſtolorum ſibi ipſis turpiter repugnantium. excommunicat enim canon quinquageſimus eos Epiſcopos, & presbyteros, ac Diaconos, & Diaconiſſas ac Moniales, & monachos, omneſq; catalogi Sacerdotalis, qui abſtinent à nuptijs. Et tamen hic totum oppoſitum dicitur. quia ſolis Lectoribus, & Cantoribus conceditur coniugium; reijciendo & excludendo, ſeu hæreticaliter negando tres alios Ordines Minores & hic eſt occultus intentuſq; finis eiuſmodi Pſeudapoſtolorum. Præterea ex hoc Canone negant omnes hæretici alios tres Ordines Minores nempe Oſtiariatum, Exorciſtatum, & Acolythatum. quod hæreticaliter damnatur in Trid. ſeſſ. 23. can. 2. *Canon vigeſimus ſeptimus.*

Canon 46 ſic habet: *Epiſcopum, aut presbyterum hæreticorum ſuſcipientem Baptiſma damnari præcipimus. Quæ enim conuentio Chriſto ad Beliam? aut quæ pars fideli cum infideli.* *Canon 46.* Hic Canon non poteſt integre percipi niſi legatur in proprio fonte. eſt enim compendium conſtitutionum Apoſtolicarum lib. 6. cap. 16. quàm vero ſit hæreticalis ex hoc patet quod ex hoc Canone D. Cyprianus deceptus, ſynodum Carthaginenſem de rebaptizatione hæreticorũ coegit, ac iuxta hunc Canonem Apoſtolicum determinauit non valere Baptiſma Hæreticorum, vt patet ex eadem ſynodo Carthaginen. § *Cenſeo ſecundum Euangelicam, & Apoſtolicam conſtitutionem, non valere Baptiſma hæreticorum, &c.* Vbi citat Canones hos Apoſtolorum, & conſtitutiones Apoſtolicas. quæ ſynodus Carthaginenſis his falſis rationibus innixa, reuocata fuit à Papa Stephano, & Papa Cornelio. vt dicitur in notis eiuſdem ſynodi Carthaginenſis. Ex hoc etiam Canone Græci aliqui gratis & falsò, reijciunt Baptiſma Latinorum, quos inique reputant non ſolum hæreticos, ſed etiam ſchiſmaticos. Et ideo Latinos rebaptizant, quotquot rebaptizare poſſunt ex Manuele Galleca, Doctore Græco, in Obſeruationibus Galleca, & ex Conc. Lateranenſi, cap. 4. & ex can. *Licet Græcos de Baptiſmo & eius effectu.*

Deſumptus fuit autem hic apocryphus Apoſtolorum Canon 46. ex apocryphis Conſtitutionibus Apoſtolorum lib. 6. cap. 15. Vbi ſimpliciter & ſine vlla exceptione, ſeu diſtinctione reprobatur Baptiſma hæreticorum quorumcunq; nulla alia de cauſa, niſi, quia collatus eſt ab hæreticis, quicquid falſo fingat, & palliet Turrianus, vt videbimus apud ſubſequentes impugnationes earundem apocrypharum Conſtitutionum Apoſtolicarum lib. 6. cap. 15.

Hic tandem Canon non ſolum reijcit hæreticaliter Baptiſma Hæreticorum, ſed etiam ex paritate rationis, reijcit omnia Sacramenta, ab hæreticis collata, ſeu conſecrata. Iuxta quam doctrinam ſub falſo nomine Apoſtolorum diuulgatam, Carthaginenſis ſynodus de rebaptizatione ſub B. Cypriano decepta eſt, ſentiendo Hæreticum Sacerdotem, neq; Euchariſtiam, neq; Baptiſmum conſecrare. In qua doctrina mens huius hæreticalis Canonis eſt, reijcere oppoſitam doctrinam Sacramẽtorum Sanctæ Matris Romanæ; eamq; in materia Sacramentorũ funditus euertere.

Hic Canon 47. eandem blaſphemiam hæreticalem repetit de rebaptizandis hæreticis, ſic dicens. *Epiſcopus aut presbyter, ſi vere baptizatos à veris Sacerdotibus, rebaptizauerit, aut pollutos ab impijs baptizantibus non rebaptizauerit, deponatur tanquam deridens crucem, & mortem Domini, nec Sacerdotes veros à falſis Sacerdotibus diſcernens.* *Canon 47.*

Hic Canon non poteſt perfecte intelligi, niſi legatur in proprio loco, à quo de-

H ſumptus

Digitized by Google

ſumptus eſt, apud apocryphas Conſtitutiones Apoſtolicas lib. 6 cap. 15. vbi multæ blaſphemiæ hæreticales continentur primo, quod ad Baptiſmi validitatem requiratur Catholici Sacerdotis miniſterium; ita vt inualidum ſit Baptiſma mulierum, vel laicorum, aut clericorum, aud Diaconorum etiam Catholicorum. Secundo, quod falſum ſit Baptiſma Sacerdotum hæreticorum. Veros autem Sacerdotes eos ſolum eſſe docent hi Pſeudapoſtoli, qui inſtar Matthiæ Actor. primo ordinati ſunt, per ſolam & nudam electionem Dei, ſeu deprecationem electionis, à Deo faciendæ, vt in Euchologio Arcudiano Cryptæ Ferratæ, reiectâ omni materia, & forma. quicquid gratis & falſo ſentiat adulteratus ab hæreticis Turrianus, & quidam Epiſcopus Bonius. Ieſuitarum doctrinæ aſſecla in commentarijs earundem apocrypharum Conſtitutionum Apoſtolicarum Ex hoc Canone omnes hæretici blaſphemant Sacerdotem in peccato mortali hæreſeos exiſtentem, nulla Sacramenta conficere. Ex hoc eodem Canone deceptus eſt etiam B. Cyprianus in ſua ſynodo Carthaginenſi de rebaptizatione, recepta in ſexta ſynodo Trullana can. 2. Vbi Cyprianus has eaſdem rationes affert Apoſtolicarum Conſtitutionum, & horum Canonum Apoſtolicorum nempe, quod Epiſcopus, ſeu Sacerdos hæreticus, neq; baptizare, neq; Euchariſtiam, aliaq; Sacramenta conficere poſſet. Et idem repetitur in Canone 67. quod tamen hæreticaliter damnatur in Trid. ſeſſ. 10. & ſeſſ. 7 can. 4. & can. 11. de Baptiſmo & ſeſſ. 7. de Sacram. can. 12.

Canon. 67. Canon 67. id omne ſtulte & fruſtratorie repetit cum tautologia & matæologia, ſeu ſtultiloquio, ac moleſta repetitione eiuſdem hæreſeos. cum tamen crambe bis iteratum mors ſit. Sic autem ait Canon 67. *Si quis Epiſcopus, aut presbyter aut Diaconus ſecundam ordinationem aut ſecundam baptizationem non acceperit, dum conſtat ipſum baptizatum aut ordinatum ab hæreticis; deponitur. Qui enim ab hæreticis ordinati, aut baptizati ſunt, hi nec fideles nec clerici eſſe poſſunt.* Huius Canonis abſoluta definitione ſine vlla diſtinctione, & ſine vlla exceptione præſcripti, deceptus eſt B. Cyprianus cum ſua ſynodo Carthaginenſi de rebaptizatione, definiendo inualida eſſe Sacramenta extra Eccleſiam Dei collata. Cum tamen hæreticum ſit ſentire & docere, quò d hæretici, quatenus hæretici non conficiant Sacramenta, etiam ſeruata debita materia, & forma. Hoc etiam Canone Pſeudapoſtolorum innixi hæretici negant extra Eccl. ſiam Dei dari, vera Sacramenta externa, ac negat Sacerdotem in peccato hæreſeos, vel alio peccato exiſtentem conficere Sacramenta, quia ita docet hic Apoſtolorum Canon 67. Hac etiam de cauſa Græci reordinant & rebaptizant Latinos, quia eos reputant hæreticos ex can. *Licet Græcos. de Baptiſmo & eius effectu.*

Canon. 49. Canon 49 ſic ait: *Si quis Epiſcopus, aut presbyter, non trinam merſionem vnius myſterij celebret, ſed ſemel mergat in Baptiſmo, quod dari videtur in Domini morte, damnetur. Non enim dixit nobis Dominus, In morte mea baptizate: ſed euntes docete omnes gentes, baptizantes eos, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti.* Hic Canon hæreticaliter conditus eſt, ad hæreticaliter introducendas Diaconiſſas, ad baptizandum & vngendum, ac chriſmandum mulieres, adultas præſertim in Baptiſmo præter quam quod plenus eſt hæreticali non ſolum malitia, ſed etiam ſtultitia. Stultum eſt enim primo ex verbis illis Chriſti Matth. vltimo inferre hæreticalem neceſſitatem trinæ immerſionis. Stultum eſt etiam ſecundo hæreticaliter damnare Catholicam ſufficientiam vnicæ ablutionis, ſeu vnicæ merſionis, quam docet ſufficere Sancta Mater Eccleſia Catholica. Hæreticum eſt tertio, introducere potius Baptiſma per merſionem totius nudi corporis inferioris, adultorum præſertim, ac adultarum fidelium, quam per ablutionem ſolius capitis, nobilioris, & ſuperioris partis. Cæteris enim paribus euidens ratio & modeſtia Apoſtolorum poſcebat vt potius partes nobiliores & ſuperiores hominis, quam inferiores & turpiores partes corporis baptizandas eſſe in adultis, præſertim viris, ac mulieribus præſcriberent.

Confirmatur primo, quia in Actis Apoſtolorum baptizabantur in dies multa millia virorum, ac mulierum, per ſolam aſperſionem, vel ad ſummum ablutionem

capi-

Digitized by Google

capitis, non autem per inhoneſtam immerſionem totius nudi corporis adultorum & adultarum mulierum; contra modeſtiam Apoſtolicam.

Confirmatur ſecundo; quia ablutio totius nudi corporis in Baptiſmo ſatis fauet hæreſi Adamianorum, qui Sacramenta nuditate Adamieua ſumenda eſſe blaſphemabant ex can. *Quidam autem hæretici* diſt. 18. § *Adamiani hæretici Adamieuam nuditatem ſeruant in orando, & in Eccleſia, &c.*

Confirmatur tertio, quia dictus Canon tanquam adulterinus & falſus, neq; à Græcis ipſis obſeruatur, quia nolunt ſolas tres immerſiones admittere ad baptizandum inferiores, & turpiores partes corporis; ſed admittunt quartam ablutionem in capite, nobiliori & ſuperiori parte hominis. Ergo ſecundum fidem Græcam & Sanctos Patres Græcos baptizantes ſecundum veros Canones Apoſtolicos, falſus eſt hic Canon 49. vbi trina applicatio aquæ, tanquam eſſentialis hæreticaliter præſcribitur, quia ſufficit vna ablutio, ſeu immerſio, ac valet etiam quarta ablutio Græcorum. Et oppoſitum eſt hæreticum, quia numerus ablutionum non eſt eſſentialis, & Sanctus Chryſoſtomus Caput immergendum eſſe docet ex Catechiſmo Caniſij in Sacramento Baptiſmi, vt diximus in Prolegomeno Tractatus Primi.

Confirmatur quarto; quia introductio Baptiſmi per immerſionem totius nudi corporis, in adultis præſertim mulieribus, ſeu viris non ſolum repugnat modeſtiæ Apoſtolicæ, & contrariæ traditioni & regulæ, ſeu Canoni ab Apoſtolis tradito Eccleſiæ Catholicæ baptizãti per ablutionẽ capitis ex regula Apoſtolica; ſed ẽt adducit ſecum multa alia abſurda introducendi neceſſitatem Diaconiſſarum, nedum Diaconorum, ad lauandas toto nudo corpore mulieres, præſertim adultas; Et ad vngendas etiam toto nudo corpore eaſdem mulieres, præſertim adultas, tam oleo catechumenorum ante Baptiſmum, quàm vnguento chriſmatis poſt Baptiſmum ad decorem ſeruandum, quia turpe eſt mulieres præſertim adultas attrectari, & lauari nudas, ac vngi toto nudo corpore à Diaconis; & ideo aſſignandæ ſunt Diaconiſsæ vltra Diaconos vt in adulteratis Conſtitutionibus Apoſtolicis B. Clementis lib 3. cap. 15. hæreticaliter præſcribitur tale miniſterium Baptiſmale ſolemne Diaconiſsarum. Præterea ſi Diaconiſsæ aſsumendæ ſunt ad ſolemne Baptiſmum, & miniſtrare debent Sacras Vnctiones Catechumenorum, & vnguenti chriſmatis, debent ordinari ſicut & Diaconi, ad Sacras Vnctiones Baptiſmales ex Sacro oleo Catechumenorum & Sacro chriſmate Sacerdotali & Epiſcopali Sacramẽti confirmationis toto nudo corpore a Diaconiſſis conferendi de more & Euchologio Rituali Arcudiano.

Vnde tacite hic Canon 49. inſinuat ſub compendio miniſterium & ordinationem Diaconiſsarum, quam expreſse præſcribit lib 3. cap. 15. & lib. 8. cap. 18. de Diaconiſſis hæreticaliter ordinandis ex apocryphis Conſtitutionibus Apoſtolicis, ſine quibus non poſsunt intelligi Canones Apoſtolorum, qui ſunt compendium apocryphorum Conſtitutionum Apoſtolicarum adulterati B. Clementis & oppoſitum eſt maxima ignorantia Aduerſariorum, & deceptio fidelium.

De Arcudiano Sacramento Confirmationis.

Atqui hinc patet ignorantia & deceptio, immo hæretica doctrina adulterati Turriani Ieſuitæ, & Arcudij toto libro ſecundo, decipientium Eccleſiam Sanctam Dei docentium quod fuerit Sacramentum confirmationis hæc vnguenti chriſmatis vnctio per totum nudum corpus, ne dum in capite & tota facie, ſub illa iterata forma, *Σφραγὶς δωρεᾶς πνεύματος ἁγίου. Signum doni Spiritus ſancti.* vt in Euchologio Rituali Slauonorum & Græcorum, ac in ſecunda ſynodo Oecumenica can. 7. & ſexta ſynodo Trullana can. 95. Cum tamen talis nudi corporis chriſmatio fieri ſolita à presbytero, eum adiuuante Diacono, in viris baptizandis, fieri debeat à ſola Diaconiſsa, & Diacono in fœminis baptizandis. Epiſcopo ſolum caput vngente, tam ante Baptiſmum ex oleo Catechumenorum quam poſt Baptiſmum ex vnguento chriſmatis. & Diacono vngente frontem & reliquas partes corporis. E contra vero in fœminis præſertim adultis Epiſcopus vngit ſolum caput, Diaconus vngit frontem ſolam ſub illa forma *Σφραγὶς δωρεᾶς πνεύματος ἁγίου. Signum doni Spiritus ſan-*

Digitized by Google

cti & Diaconiſſa vngit totum reliquum corpus ſub eadem forma Σφραγὶσ δωρεᾶσ πνεύματοσ ἁγίου. *Signum doni Spiritus ſancti* vt expreſſe præſcribunt Conſtitutiones Apoſtolicæ lib 3. cap. 15. ad ſeruandam honeſtatem (vt fingunt & introducunt hæreticaliter) quia turpe eſt mulieres nudas aſpici in Eccleſia à viris, ac nudas lauari, ſeu vngi. Quod etiam de more obſcuro inſinuat D. Dionyſius cap. 2. Eccleſiæ hier. dum totius nudi corporis vnctionem præſcribit ab adiuuantibus & diaconizantibus compresbyteris fieri debere ex mandato Epiſcopi poſtquam ſolus Epiſcopus caput vnxit. Vbi expreſſe ait Dionyſius Diaconos eſſe coadiutores Baptiſmi. Licet Scholiaſtes dicat ibi ſub nomine Diaconorum intelligi presbyteros adiuuantes. Quod autem Græci toto nudo corpore lauent & vngant, non ſolum baptizandos, ſed etiam hæreticos reconciliandos, in eodem fonte baptiſmali, ex aqua & oleo baptiſmali, ac ſub eadem repetita forma vnctionis, fatetur idem Arcudius Aduerſarius noſter lib. 2. cap. 7. ſuæ Concordiæ § *Porro Græci ſicut toto nudo corpore baptizant, ſic toto nudo corpore toties repetita forma illa vnguenti chriſmatis vngant, dicendo* Σφραγὶσ δωρεᾶσ πνεύματοσ ἁγίου. *Signum doni Spiritus ſancti, &c.*

Quod autem eadem ablutio baptiſmalis fontis in reconciliandis hæreticis iteretur à Græcis, ac iteretur eadem vnctio vnguenti chriſmatis ſub citata forma: *Signaculum doni Spiritus ſancti* non ſolum in reconciliandis adultis hæreticis viris, ſed etiam in reconciliandis adultis fœminis hæreticis, toto nudo corpore in fonte baptiſmali immergendis, & toto nudo corpore ex eodem Baptiſmali vnguento vngendis, eodem prorſus modo & ritu ſicut in Baptiſmo factum eſt, patet ex ipſo Euchologio in ritu reconciliandi hæreticos & hæreticas, & ex præſcripto Methodij Patriarchæ ibidem ac ex ſecunda ſynodo Oecumenica can. 7. & ex ſexta ſynodo Trullana can. 95.

Quod tandem in adultis fœminis baptizãdis, & reconciliandis hæreticis, ac nudo corpore lauandis, non niſi fœminæ Diaconiſſæ adhibendæ ſint, & Diacono liceat ſolam frontem mulierum vngere: id non ſolum ratio honeſtatis exigit, ſed expreſſe præſcribit adulteratus B. Clemens lib. 3. Conſtitutionum Apoſtolicarum cap. 5. §. *Elige quoq; Diaconiſſas ò Epiſcope; in multis enim egemus muliere Diaconiſſa, ac primum cum baptizantur mulieres caput illarum vnges tu Epiſcope; Diaconus vnget frontem; ac Diaconiſſa vnget illas reliquo corpore. Nefas eſt enim mulieres nudas aſpici à viris, &c.* quid clarius? ecce miniſterium Diaconiſſarum in vngendis mulieribus toto nudo corpore, ſiue ex oleo Catechumenorũ ante Baptiſmum, ſiue poſt Baptiſmum ex Sacro Chriſmate; ſiue ſint Catechumenæ & fideles, ſiue hæreticæ reconciliandæ, ecce Diaconalem chriſmationem frontis. Quis autem ſanæ mentis ſentiat cum Arcuda & Turriano Ieſuita, quod talis vnctio totius corporis, ne dum capitis & faciei, ſit Sacramentum Confirmationis, ſub illa falſa & inſufficienti forma Σφραγὶσ δωρεᾶσ πνεύματοσ ἁγίου. *Signum doni Spiritus ſancti.* cum à Diacono (quando adeſt) fieri poſſit, & debeat ex Clemente apocrypho talis vnctio frontis & totius faciei; nec non a Diaconiſſa eadem vnctio fieri poſſit & debeat in toto nudo corpore mulierum adultarum lauandarum & chriſmandarum tam in Baptiſmo & ante Baptiſmum ex oleo Catechumenorum; & poſt Baptiſmum ex Sacro chriſmate; quam etiam ex eodem Sacro chriſmate in reconciliatione hæreticarum ſub eadem repetita illa forma Σφραγὶσ δωρεᾶσ πνεύματοσ ἁγίου. *Signum doni Spiritus ſancti*, poſt ablutum totum nudum corpus à Diaconiſſis, ac vnctum a Diaconiſſis? non enim materia applicatur fruſtra, ſeu informiter. in Eccleſia enim Dei nihil eſſe debet fruſtratorium & informe, ex S. Th. 3. p. q. 71. a. 3. corp. Et tamen Arcuda & Turrianus, hæreticaliter adulterati turpiſſime huc vſq; deceperunt Eccleſiam Sanctam Dei, circa approbationem hæreticalium Sacramentorum Ordinis, Extremæ Vnctionis, & Confirmationis, apud Euchologium Cryptæ Ferratæ, & Apoſtolicas Conſtitutiones apocryphas adulterati Sancti Clementis Romani, ac apocryphos hos Canones Apoſtolorum, immo Pſeudapoſtolorum.

Diaconus chriſmat frontem in baptizando ex adulterato B. Clemente.

Canon 65.

Canon 65. ſic ait: *Si quis dominicum diem, aut Sabbatum (vno ſolo excepto ieiunare de-*

Digitized by Google

prehendatur, deponitor. ſin laicus eſt, e communione fidelium eijcitor. Hic Canon ab hæreticis compoſitus eſt contra Eccleſiam Latinam, ieiunantem in Sabbato. Vnde ſexta ſynodus Trullana can. 55. cenſurat Eccleſiam Romanam, decepta ex hoc canone ſic dicens: *Quoniam intelleximus in Romanorum ciuitate, in ſanctis Quadrageſimæ diebus, in eius Sabbatis ieiunare præter Eccleſiæ traditam conſuetudinem, ſanctæ ſynodo viſum eſt, vt in Romanorum Eccleſia Canon inconcuſſe obtineat, qui dicit. (Siquis clericus inuentus fuerit in Sancto Dominico, vel Sabbato ieiunans, præter vnum, & ſolum deponatur, ſi autem ſit laicus, deponatur.)* Deſumptus eſt hic hæreticalis Canon ex apocryphis Conſtitutionibus Apoſtolicis lib. 5. cap. 19. De ſanctitate autem ieiunij in Sabbato, & hæretica hac prohibitione ieiunij in ſabbato diximus in fine Prolegomeni noſtri cap. 10. in Tractatu primo, quæ hic breuitatis cauſa non repeto.

Canon 52 ſic ait: *Siquis Epiſcopus, aut presbyter, aut Diaconus, carnibus, & vino non vtatur feſtiuis diebus, idq; per abominationem, non propter exercitationem, deponitor. quia cauterio notatam habet conſcientiam, & multis auctor eſt offendiculi.* Hic Canon non audet aperte loqui, ſeu potius blaſphemare, ſed obſcure, tanquam odio habens lucem clari ſermonis, inſinuat iudaizationem in Sabbato, quod inſtar diei dominicalis, tanquam feſtiuum tranſigunt iudaizantes aliqui hæretici; ac in eo veſcuntur carnibus, neq; ieiunare audent, quia inſtar diei dominici ab omnibus habendum eſſe blaſphemant ex ficto prætextu huius canonis Apoſtolorum. Vnde Hæretici accuſant Latinis, tanquam hæreticos, ob omiſſionem iudaizandi in Sabbato. Canon 52.

Deſumptus eſt autem hic Canon ex apocryphis Conſtitutionibus Apoſtolicis lib. 5, cap. 18 & 19. Ad palliandam vero hanc hæreſim de induſtria affert illas rationes, & fictiones abominationis. Abominantur vero Romani vſum carnium æque in Sabbato, ſicut in die Veneris, ne coincidant cum Iudæis. Licet defectus piſcium in aliquibus nationibus ac indultum ſummi Pontificis excuſet Hiſpanos & Græcos veſcentes carnibus in die Sabbati. quem diem feſtum eſſe apud Græcos fuſius probat Balſamonus ex ſexta ſynodo Trullana can 52. § *Vt Sabbato, & Dominica & Annunciatione conſecratio tantum fiat, quia ſacrificare eſt feſtum agere, &c.* Vbi in tota Quadrageſima prohibetur Miſſæ Sacrificium excepto feſto dominicali, Sabbatino, & Annunciationis B. Virginis. quia Sabbatum æquiparatur cuicunq; feſto.

Canon 69. *Siquis Epiſcopus, aut presbyter, aut Diaconus, aut omnino quicunq; ex Clericorum conſortio cum Iudæis ieiunauerit, aut communem feſtum diem egerit, aut Azyma ab eis ſuſceperit deponitor: ſi laicus, à communione ſegregator.* Hic Canon contradicit ſibi ſtultè: ac palliat priorem Canonem, quò ad Iudaizationem Sabbatizandi ac feſtum celebrandi diem Sabbati, ſeu veſcendi carnibus in Sabbato, ſine legitima cauſa, & indulto Summi Pontificis. quo ad Azyma vero inſinuat iudaizationem conſecrandi in azymis apud Eccleſiam Romanam. non enim audet aperte blaſphemare. Cum tamen Azymorum ritum Eccleſia Romana non acceperit à Iudæis; ſed ab Apoſtolo: *Non in fermento veteri: ſed in azymis ſynceritatis & puritatis, &c.* quod autem hæc contradictio, vel palliatio hæreticalis non poſſit eſſe à Spiritu ſancto, Apoſtolorum rectore (quia effugit omne fictum) cæcus eſt qui id non videat. Canon 69. *Stulta contradictio: ſeu calida palliatio hæreticalis Pſeudapoſtolorum.*

Canon 77 ait, *Qui mutus, ſurduſve, & cæcus eſt, Epiſcopus non efficitur: non, quia obaeſo corpore eſt, ſed ne Eccleſiaſtica impediantur munera.* Quam falſus, ſtultus & pluſquam hæreticus, ſeu indigniſſimus ſit hic Canon Apoſtolica ſapientia, ſeu Spiritu-ſancto Apoſtolorum, nemo eſt qui id non videat. Stultus eſt & demens qui id non agnoſcat. Mutus enim, cæcus, & ſurdus ſimul, non ſolum eſt illiteratus, & irregularis ex veteri & nouo Teſtamento, ſed etiam eſt fabula gentium; & maxima ignorantia & dementia ordinantium illum in Epiſcopum, quia nullum Sacramentum aut Sacramentale adminiſtrare poteſt; & fruſtratoria eſſet talis ordinatio. Omnia enim eſſe debent propter finem ſuum. Vnde ſi Apoſtoli talem canonem ſtultiſſimum condidiſſent: non ſolum ſtultiſſimi fuiſſent: ſed etiam à contrario ſenſu tacite & conſequenter docuiſſent abſolutè mutum, & ſurdum, ac cæcum fieri poſſe Epiſco- Canon 77.

pum:

pum ſaltem de facto, præſertim niſi ſubſequatur impedimentum Epiſcopalium functionum. Vt ſi conſecretur Epiſcopus ſolum titularis & nullius diœceſis, ſeu in partibus infidelium. Vel ſi dentur coadiutores, multo magis idonei, & docti, ac integri, quam ſit Epiſcopus ille mutus, ſurdus, & cæcus. Sed hoc conſequens eſt ſtultiſſimum, falſiſſimum, & abſurdiſſimum; ac ex diametro oppoſitum & repugnãs Sacris Canonibus & requiſitis Conc. Nicen 2. & can *Omnes pſallentes* d. 35. Ergo pariter abſurdiſſimum eſt antecedens & hæreticale, vnde ſequitur.

Confirmatur, quia ſi non poteſt eſſe Sacerdos, ſeu Diaconus, multo minus eſſe poteſt Epiſcopus, qui eſſentialiter pendet à Sacerdotio; ſicut Includens & incluſum, perfectum & imperfectum. Totum & partes. Præterea requiritur intentio in adultis, ſeu Sacramentis adultorum. ſine eſſentiali autem hac intentione ſuſcipientis non valet Sacramentum.

Canon 76. Canon 76. ſic ait: *Si quis oculo defectus, aut obtuſo crure extiſtat, & dignus ſit, Epiſcopus efficitur. non enim mutilatio corporis ipſum polluit ſed inquinatio animæ.* Hic Canon ſi penetretur, irridet, ſeu cenſurat Eccleſiam Romanam, totum oppoſitum ſentientem, ac deformes horridoſq; defectus oculorum, aut mutilationes horridas labiorum, ſeu narium, ſeu manuum, cenſentem, & ſentientem, ac ſtatuentem inducere irregularitatem in ordinandis. Præterea ſentit tacitè & conſequenter hic Canon quod ſoli defectus animæ, non autem defectus corporis inducunt irregularitatem. quod eſt totum oppoſitum eius, quod catholicè docet, & prædicat, ac ſeruandum eſſe iubet Sancta Mater Eccleſia Catholica. Vnde hæreticaliter damnatur in cap. *Ad abolendam, de hæreticis.* tanquam ex diametro oppoſitus Catholicæ doctrinæ Sanctæ Matris Eccleſiæ Romanæ.

Canon 68. *Si quis Epiſcopus, vel presbyter, vel Diaconus aut Lector aut Cantor Sacram Quadrageſimam Paſcha, aut quartam feriam, aut Paraſceuen (extra Quadrageſimam) non ieiunauerit deponitor: præter quam ſi imbecillitate impediatur corporis. Sin laicus ſit, communione fidelium priuetur.* Hic Canon in primis reijcit hæreticaliter tres Ordines Minores. de quo fuſius in Prolegomeno Tractatus Primi; præterea damnare intendit Eccleſiam Romanã non ieiunantem in feria quarta, & ſexta, vt Græci Latinis obijciunt paſſim quod ſint præuaricatores huius Canonis Apoſtolici non ieiunando bis in Sabbato. Sed nos eis reſpondemus quod ſufficit auctoritas Sanctæ Matris Eccleſiæ Catholicæ ad reijciendum hunc Canonem, tanquam adulterinum. Atq; hæc de Canonibus apocryphis Apoſtolorum leuiter tetigiſſe currenti calamo ſufficiat. Scio aliquos præterea eſſe Canones, qui ſpeciem aliquam pietatis præſeferunt, & ad bonum ſenſum trahi poſſunt. Sed id de induſtria factum eſt ex hæreticorum prudentia ſeu malitia, ad fidem ſibi perſuadendam, & palliandos alios hæreticales Canones Cum ergo qualis eſt finis, talia ſint media, hinc eſt quod etiam talia media ſint cenſenda ſuſpecta & mala. tanquam ad peſſimum finem palliandi tot hæreſes intenta & directa. Malus. n. ſemper præſupponitur malus in eodem genere mali, ex regulis iuris. Confirmatur ex ſexta ſynodo Trullana can. 2. quæ reijcit octo libros Conſtitut. Apoſtolicarum, licet ex induſtria hæreticorum contineant multa vtilia.

Illud vnum dicendum de eiuſmodi apocryphis Canonibus, quod quilibet cordatus & prudens Theologus multo meliores & digniores, ac vtiliores Canones Toti Eccleſiæ Sanctæ Dei neceſſarios compoſuiſset ad Eccleſiæ ſtabilimentum ſempiternum contra hæreticos, & fidelium doctrinam ſalutis æternæ, ac Sacramentorum diſtinctionem ac aſſignationem eſſentialium, ad regimen Eccleſiæ tam in Capite, quam in membris, & ad fidei incrementum ac hæreſum extirpationem nedum præuiſionem. Vnde S. Thomas, Scotus, Bonauentura, Albertus & Scholaſtici cum Magiſtro ſententiarum nil aliud elaborarunt niſi fundare ſanam doctrinam contra omnes omnium hæreticorum non tam præſentium quam futurorum præuiſas blaſphemias ad Eccleſiæ ſtabilitatem, morum reformationum, & hæreſum confutationem, & Dei cognitionem, & myſteria omnia aperienda, & defendenda contra

contra

Digitized by Google

tra hæreticorum calumnias omnes & blaſphemias, palliataſq; impietates; quarum ſumma quædam compendiaria ſunt hi Apoſtolorum adulterati Canones, deſumpti ex apocryphis Conſtitutionibus Apoſtolicis B Clementis, hæreticaliter deprauati. quod vt melius agnoſcatur & eluceſcat deuenio ad ipſas fontales Conſtitutiones apocryphas B. Clementis, ex quibus eruti ſunt ipſi pariter apocryphi Apoſtolorum Canones. Illud autem hic in fine repetere, non erit moleſtum quod initio dixi; eiuſmodi nimirum apocryphos Apoſtolorum Canones non ſolum eſſe panopliam omnium hæreſum omniumq; hæreticorum armaturam eſſe æneam contra Sacroſancta Eccleſiæ Catholicæ Sacramentorum eſſentialia; & Euangelicam veritatem: ſed etiam totalem ruinam fuiſſe, atq; eſſe earum Eccleſiarum, quæ coniunctæ olim fuerunt cum Sancta Matre Eccleſia Romana, & præſertim Græcorum Arcudianorum, qui ita eiuſmodi Canonibus apocryphis innituntur, vt ex diametro opponantur veris Apoſtolicisq; Canonibus & regulis, doctrinæq; Euangelicæ Sacramentorum Romanæ Sanctæ matris Eccleſiæ Catholicæ. Neq; dicat quod eiuſmodi Canones à Turriano Ieſuita cum Apocryphis Conſtitutionibus Apoſtolicis defenſi, ſunt illi iidem Canones 85. à Patribus Græcis in ſexta ſynodo recepti & approbati. quia impoſſibile eſt vt tam turpiter errare potuerit ſexta ſynodus Trullana can. 2. Vbi conuenerunt tot doctiſſimi & religioſiſſimi Patres Græci. Vnde pie putandum, ac credendum eſt adulteratos fuiſſe hæreticaliter; atq; alios fuiſſe illos Apoſtolorum Canones, quos approbauit ſexta ſynodus, quoſq; circa Sacramenta omnia admittit Sancta Mater Eccleſia Catholica, tanquam veras regulas & Canones Apoſtolorum pro adminiſtrandis Sacramentis ex ſuo Pontificali Romano.

Errores Franciſci Turriani Ieſuita eiuſq; aſſeclarum circa apocryphas Conſtitutiones Apoſtolicas B. Clementis, hæreticaliter adulteratas & hæreticaliter in Sacramento præſertim Ordinis ab adulterato Turriano defenſas toto libro octauo.

DEuenio tandem ad hæreticaliter adulteratum librum B. Clementis, quem ita adulteratum puto fundamentum eſſe, ſeu Panopliam omnium hæreticorum, circa Sacramentorum omnium Sanctæ Matris Eccleſiæ impugnationem, ſeu reiectionem, ac hæreticalium Sacramentorum Luthericorum introductionem. Nullumq; hæreticalem librum magis venenatum & peſtiferum eſſe puto, quam ſit hoc B. Clementis adulteratum volumen, quia cæterorum hæreticorum iacula, ſeu venena, & blaſphemiæ ſunt manifeſtæ, & facile præuideri & euitari poſſunt; at B. Clementis integer liber ita callide deprauatus eſt, ſuaq; venena dulciſſimo ſuperficiali melle ita condit & abſcondit ſub mentito nomine venerabilium Apoſtolorum, vt facile ſimplices quoſq; pioſq; lectores, alioſq; doctores decipiat. Vnde à multis ſeu à maiori parte Doctorum præſertim Ieſuitarum approbatur, citatur & defenditur; quod ſtrenue præſtat Turrianus Ieſuita, & Archiepiſcopus Spalatenſis, ac quidam alij eiuſdem farinæ. Cum tamen hæreticaliter adulteratos eſſe ipſos octo libros B. Clementis vtraq; Eccleſia atteſtetur. Eccleſia enim Græca ex Sexta ſynodo Trullana; can. 2. ex vnanimi conſenſu omnium Patrum Græcorum, illas Conſtitutiones B. Clementis hæreticaliter adulteratas eſſe ita declarat & definit §. *quoniam autem in Canonibus Apoſtolorum præceptum eſt, vt eorundem SS. Apoſtolorum per Clementem Conſtitutiones ſuſciperemus, quibus iam olim ab ijs, qui à fide alienæ ſentiunt, adulterina quædam, & pietate aliena introducta ſunt, quæ diuinorum nobis decretorum elegantem & venuſtam ſpeciem obſcurarunt; ideo has Conſtitutiones ad Chriſtianiſſimi gregis ædificationem ac ſecuritatem vtiliter reiecimus, hæreticæ falſitatis fœtus nequaquam immiſcentes, & germana ac integra Apoſtolorum doctrinæ inſerentes; &c.* Ecce reprobationem librorum octo B. Clementis adulterati, ab Eccleſia Græca ſatis orthodoxe cenſurati. Eccleſia item Latina ſub Gelaſio Papa in can. *Sancta Romana Eccleſia* eoſdem libros B. Clementis apocryphos eſſe cenſurat § *Clementis libri octo apocryphi.* diſt. 15. & diſt. 16. can. *Clementis*

CAP. 17.

das ad me pro ipſis, quoniam non exaudiam te &c. Et ſequenti cap. 7. § Vetate igitur talium oblationes tanquam pretium canis, & mercedem meretricis. vtrumq; enim in lege eſt prohibitum 4. Reg. 8. Nam nec Eliſeus ab Azaele munera allata accepit, neq; Achias à Ieroboamo. quod ſi Dei propheta ab impijs oblata munera reijcerunt: item vos reijcite. Fugite ergo oblationes altaris Dei, à mala conſcientia prouenientes &c. & ſequenti cap. 8. § Sed ſi dicatis quod ij ſunt qui eleemoſynas dant, à quibus niſi capiatur, non erit vnde viduis miniſtretur, ac inopes populi alantur. Audiſtis à nobis quod ſi adeo egebunt Eccleſiæ (fidelium pauperum) præſtat perire, quàm ab inimicis Dei aliquid capere in contumeliam, & irriſionem amicorum eius. nam de ijs Propheta ait, Pſ. 140. oleum peccatoris non impinguet caput meum, &c. & ſequenti cap. 10. § Si neceſſe ſit aliquando ab aliquo impio inuitos pecuniam capere, in ligna & carbones illam conſumite, ne Vidua vel orphanus de ea ſumens cogatur præter fas cibum, vel potum ſibi emere: æquum eſt enim talia, quæ ab impijs veniunt, ignis pabulum, non vero piorum eſcam fieri. Hæc quoq; lex præcipit (Leuit. 19.) quæ ſacrificium ſcortiuum non concedendum appellat, & igne conſumi iubet. Non enim ſua natura mala ſunt, quæ offerunt, ſed ſententia illorum, qui illa adducunt. &c. Ecce nugas fictaſq; rationes erroneas & hæreticales Pſeudapoſtolorum, impietatem omnem erga pauperem ſapientes. Præſcribunt enim magis perire debere pauperes, ac Viduas, & orphanos, quàm viuere de eiuſmodi eleemoſynis, ſponte oblatis. & in leuitica lege prohibitis. Cum tamen in lege Euangelica liberauerit nos Deus a Iudaizatione ita onerosa, & graui; ac expreſſe præceperit, Facite vobis amicos de mammona iniquitatis; ac Villicum illum laudauerit Chriſtus, quod de alienis indulſit illis debitoribus Domini ſui. præter quam quod id Tobiæ 4. præcipitur § ex ſubſtantia tua fac eleemoſynam. & cap. 10. eleemoſyna à morte liberat. & Eccl. 3. eleemoſyna reſiſtit peccato. & Daniel. 4. § Peccata tua eleemoſynis redime & Luc. 11. Date eleemoſynam, & ecce omnia munda ſunt vobis. &c. Vnde illud receptiſſimum ſanctorum Patrum dictum quod, ſicut aqua extinguit ignem, ita eleemoſyna extinguit peccatum.

CAP. 19.

Et iure optimo, quia nulla maior diſpoſitio ad conuerſionem & pœnitentiam eſt, quàm charitas pauperũ, quę operit multitudinẽ peccatorũ: nulloq; modo miſericordiam Dei conſequi quis poterit, qui immiſericors fuerit circa pauperes. & Iudicium vniuerſale circa denegata opera miſericordiæ principaliter exercendum præſcribitur in Euangelio. Adde quod charitas & eleemoſyna eſt ſignum prædeſtinationis, licet ſecundum præſentem iuſtitiam quis ſit in peccato mortali, neq; eſt noſtrum temerario iudicio diſcernere, an eleemoſynæ illæ ſint præſcitorum. Immo ex vnanimi conſenſu omnium Theologorum, Nunquam dimittitur peccatum, niſi reſtituatur ablatum. quod autem omnes Theologi Eccleſiæ Catholicæ dicunt, id de fide eſt ſaltem ſecundario, vt fuſius probat Melchior Canus de Locis Theologicis. Vnde non poſſunt ſibi retinere illa furta, ſeu extorſiones ac bona male acquiſita, & indebite retenta omnes illi fures, milites graſſantes, venditores iniuſti, caupones, meretrices, oppreſſores pauperum, & viduarum, &c. niſi reſtituantur ſaltem pauperibus & Eccleſiæ quæ ius habet male acquiſitorum. & tantum abeſt quod prohibendi ſint hæreticaliter ab eleemoſynis faciendis, vt potius perſuadendi ſint catholicè, & inducendi ad reſtituendum pauperibus, per eleemoſynas continuatas ſaltem. Et tamen Inclemens, ſeu Anticlemens iſte mentitus totum oppoſitum doctrinæ Euangelicæ hæreticaliter, ſub ficta ſpecie ſanctitatis, docere non erubeſcit, potius pauperes & viduas fame perire præcipiens, quàm eis ex pijs eleemoſynis male ablatorum ſubueniatur. prohibendo non ſolum eleemoſynas accipi, ſed conſequenter, & eleemoſynas dari ijs, qui in extrema neceſſitate poſiti ſunt, qui vt ſic ius habent furandi, ſeu accipiendi, ab alijs nolentibus dare, pro illo die, ne fame pereant; ne dum eleemoſynas acceptandi. Et quidem Chriſtus Dominus parabola illa eius, qui incidit in Latrones; ac poſt tot vulnera ſemiuiuus relictus eſt, contrarium declarauit, laudando illum qui ſuis eleemoſynis benigne ſubuenit vulnerato, eiuſq; vulnera curanda mandauit & commendauit, nam etiam ſi maximus fuiſ-

ſet tunc peccator; exhibitio tamen illa charitatis & eleemoſynæ, non ſolum fuit effectus iuſtitiæ, & religionis Chriſtianæ: ſed etiam principium conuerſionis, ac diſpoſitio ſaltem pœnitentiæ. Ad quam diſpoſitionem ab ipſo Clemente mentito, erant potius exhortandi & inflammandi per pias eleemoſynas; non vero dehortandi, prohibendiq; erant peccatores, quin facerent ſibi amicos de mammona iniquitatis, contra Euangelicum præceptum, ab ipſo Clemente adulterato hæreticaliter impugnatum, cogendo iudaizare in Euangelica libertate ab omni oneroſa lege Iudaica; ac eleemoſynas dari nedum recipi prohibendo, ſeu damnando, diſpenſationem male ablatorum, ac principium pœnitentiæ & reſipiſcentiæ peccatorum vituperando, ac potius præcipiendo perſeuerandam retentionem male acquiſitorum, quam conuerſionem ad Deum & proximum amandum, eiq; ſubueniendũ ne fame pereat.

CAP. 20.

Iudaica Hebræorum perfidiæ approbatio hæreticalis.

. Vlterius lib. 6. cap. 20. hæreticaliter in lege Euangelica admittit legem Hebræorum, eorumq; ſacrificia; à ſimili conſequenter ſentiens, & docens quemlibet in ſua ſecta, vel ſynagoga ſaluari poſſe, ſeruata eius lege, & præſcriptis. Sic autem ait, ſeu potius blaſphemat mentitus hic Clemens, cit. c. 20. § *Lex eſt Decalogus. hæc lex bona eſt ſancta, libera. inquit enim ſi feceris mihi altare, ex terra facies mihi ipſum. non dixit, (Fac) ſed dixit, (ſi feceris) non neceſſitatem impoſuit; ſed liberæ poteſtati permiſit. Ita permittit modo Hebræis, non iubendo, ſed ſi voluerint concedendo, ac ſi recta animi ſententia obtulerint, benigne recipiendo ſacrificia ipſorum. Ideo inquit. Si ſacrificare deſideras, non indigenti mihi ſacrifica, &c.* Vbi multa inſinuat callide adulterinus hic Clemens. Primo Decalogum legem eſſe bonam, & ſanctam, ac liberam, quia nimirum neminem neceſſitat, ſed omnia relinquit liberæ voluntati hominum. quod eſt hæreticum. nam fundatur in lege naturali & Diuina; ac neceſſitatem includit Decalogus; non vero libertatem iuxta illud Chriſti, *Si vis in vitam ingredi; ſerua mandata.* Item docet ſeu blaſphemat modo in lege Euangelica, accepta eſſe Deo, Hebræorum ſacrificia. Et tamen Apoſtolus ad Galatas 3. ait. *O inſenſati Galatæ & quis vos faſcinauit non obedire veritati, &c.* & eadem de cauſa Apoſtolicus reprehendit Petrum, ad huc permittentem legalia, & Iudaizationes ad Gal. 2. § *Subintroierunt falſi fratres, explorare libertatem noſtram, vt nos in ſeruitutem legalium redigerent; quibus neq; ad horam ceſſimus ſubiectioni, vt veritas Euangelij permaneat. Cum autem veniſſet Cephas Antiochiam, in faciem ei reſtiti; quia reprehenſibilis erat. Prius enim, quàm venirent quidam à Iacobo, cum gentibus edebat. Cum veniſſent autem, ſubtrahebat & ſegregabat ſe; timens eos, qui ex Circunciſione ſunt. & ſimulationis eius conſenſerunt cæteri Iudæi; ita vt Barnabas duceretur ab eis in illam ſimulationem. Sed cum vidiſſem, quod rectè non ambularent, ad veritatem Euangelij; dixi Cephæ, coram omnibus: ſi tu cum Iudæus ſis, gentiliter viuis, & non iudaicè; quomodo gentes cogis iudaizare? &c.* Ecce quomodo Paulus ne quidem ad horam ceſſit iudaizantibus, immo & reſtitit, ac grauiter reprehendit B. Petrum conniuentem permittentemq; legalia, mortua poſt Paſſionem Chriſti, ac mortifera, & præiudicantia veritati Euangelicæ. Et tamen mentitus hic Clemens hæreticaliter totum oppoſitum docet. Mitto mille nugas, & iactantias, ac fictas ſimulationes modo rigoroſæ ſanctitatis, modo admittendo legales cibos, modo illos reijciendo, omniaq; intrichando, nullibi aperte loquendo quando blaſphemare intendit, & non niſi in leuioribus, nulliuſq; momenti prolixus, & apertus. in ſerijs vero, & neceſſarijs ad ſalutem obſcurus, æquiuocans, duplex & inconſtans verſipellis Clemens. iſte mentitus, & apocryphus. de quibus alias. Mitto quod lib. 8. cap. 38. alias 32. admittit fornicationem ancillæ cum proprio Domino, non vero cum alijs. cum tamen fornicatio ſit eiuſdem ſpeciei, ſiue cum proprio Domino, ſiue cum alijs ſic dicens § *Pellex infidelis ancilla, ſoli Domino obſequens, recipiatur. Si cum alijs intemperans fuerit, reijciatur.* quod hæreticaliter dictum eſt, quia ex diametro aduerſatur Apoſtolico ad Eph. 6. *Neq; fornicarij poſſidebunt regnum Dei, &c.* Mitto etiam lib. 6. cap. 29. contrarium docet § *Qui alienam vxorem corruperit, vel cum meretrice ſe coinquinauerit, neq; ſi toto mari, atq; omnibus fluuijs ſe abluerit; expiari poterit, &c.* Ecce quomodo hic

Nota expiationes Iudaicas per iterata Baptiſmata.

pecca-

peccatum fornicationis hæreticaliter reddit irremiſſibile. quod tamen admittit l. 8. cap. 38. Contradicit autem ſibi paſſim, de more, Clemens iſte mentitus; idq; de induſtria: ne capiatur in ſermone; & vt defendi poſſit, ac excuſari, & pallian a ſuis allectis, Annoſa enim vulpes, haud facile laqueo capitur.

Inſinuat etiam ablutiones pro peccatis, quia admittit Baptiſmata Iudaica, expiationes eſſe pro peccatis. Non audet autem aperte blaſphemare callidus, ac tortuoſus hic ſerpens Clementinus. Atq; hinc deſumpſit Arcudianum Euchologium Cryptæ Feratæ prope Romam quod omnes vtriuſq; ſexus conuerſi ab hæreſi, ſeu ab hæreticis, relauandi ſint in colimbetra, ſeu Baptiſterio, ſeu rebaptizandi ſint eodem prorſus modo, quo primum baptizati fuerunt; ac repetenda ſit eadem chriſmatio in fronte & toto corpore, ſicut eiſdem factum fuit, quando primum baptizati fuerunt, ac primum chriſmati fuerunt. vt fuſius dicitur in Euchologio in Ritu reconciliandorum Hæreticorum, eodemq; prorſus modo lauandorum, ac chriſmandorum, ſicut primum factum fuit in Baptiſmo. Ita vt neq; viri, neq; mulieres adultæ reconciliari poſſint niſi per ablutionem hanc Iudaicam, & chriſmationem in toto nudo corpore præſtandam, vt fuſius dicam in ordinatione Diaconiſſæ.

CAP. 21.

Sed his miſſis, ſeu omiſſis; obſeruemus blaſphemias hæreticales eiuſdem Clementis apocryphi in Sacramento Ordinis: videbimus enim omnes fere hæreſes circa Sacramenta ab vno hoc Clemente apocrypho originem traxiſſe, omniumq; nationum ab vnitate Sanctæ Matris Eccleſiæ Romanæ circa Sacramentorum doctrinam diuiſarum, ruinam, ac perditionem fuiſſe, & eſſe. Nullis enim alijs armis, auctoritate, ſeu argumentis impugnatur Sancta Mater Eccleſia Catholica circa Sacramenta, niſi ex vno hoc Clemente apocrypho, ac mentitis Apoſtolorum Canonibus; mentitiſq; Conſtitutionibus Apoſtolicis, immo Pſeudapoſtolicis, ſub ficto nomine Sancti Clementis, hæreticaliter adulteratis & diuulgatis. Et hinc eſt quod nulla alia via reſpõderi põt doctrinę Archiepiſcopi Spalatenſis Domini Antonij de Dominis merito eiecti Ieſuitę, niſi oſtendendo falſitatem ſuorum fundamentorum circa Sacramenta, nimirum hæreticalem adulterationem horum octo librorum B. Clementis, vbi non niſi duo Lutherica Sacramenta admittuntur, Baptiſma nempe, & Cœna, quæ ſunt nomine tenus Sacramenta Lutherica, vt fuſius infra. Non ſolum enim ab hæreticis facta fuit talis adulteratio octorum librorum Sancti Clementis circa Sacramentorum, ac Sacramentalium omnium practicorum eſſentialia, contra fidem, ſenſum, & doctrinam Apoſtolicam Sanctæ Matris Eccleſiæ Romanæ. Sed vlterius hodie reperiuntur etiam hæreticaliter adulterati, & conformiter deprauati omnes fere libri Doctorum quos pro ſe affert idem Archiepiſcopus Spalatenſis, ad eundem modum, & ſenſum, ac normam, & admirabilem conſenſionem cum his Conſtitutionibus Pſeudapoſtolicis, ſub mentito nomine Sancti Clementis, adulteratis. quod Eccleſia Romana non adhuc aduertit. & ideo non cenſurauit. Et licet à Papa Gelaſio in ſua Patriarchali ſynodo Romana reiecti, ac apocryphi declarati fuerint ipſi adulterati octo libri B. Clementis, ex can. Sancta Romana Eccleſia d. 15. § *Clementis libri octo apocryphi, &c.* & can. *Clementis librum numerant Patres inter apocryphos. diſt.* 16. alij tamen ſubſequentes Pontifices, eoſdem octo libros B. Clementis acceptarunt, & approbarunt, vt probat Baronius, & à Ieſuitis multis citantur, ac defenduntur tanquam Canonici & Catholici, præſertim à Franciſco Turriano, & Spalatenſi Archiepiſcopo, cum maximo præiudicio Veritatis Catholicæ, ac cum vniuerſali ruina & euerſione Sacramentorum Sanctæ Matris Eccleſiæ Romanæ, quia iuxta regulas Contrariorum *Incluſio vnius, eſt excluſio ac deſtructio alterius contrarij.* Non enim indiuiſibilis veritas eſſentiæ cuiuſcunq; Sacramenti conſiſtere poteſt in contrarijs ſeu diſparatis eſſentialiter ſignis, vt demonſtrabitur in ſequentibus.

Nullo alio modo reſponderi poteſt falſæ doctrinæ Archiepiſcopi Spalatenſis circa Sacramenta niſi demonſtrando hæreticalem adulterationẽ conſtitutionum Apoſtolicarum B. Clementis, quibus innititur.

Ruina totius Eccleſiæ Catholicæ circa Sacramenta habetur principaliter ex adulteratis Conſtitutionibus Apoſtolicis.

Hæreſes quinquaginta circa Sacramentum Ordinis, hæreticaliter reiectum apud Conſtitutiones Apoſtolicas, ſeu potius Pſeudapoſtolicas.

INcipiunt Apoſtolorum (ſeu potius Pſeudapoſtolorum) Canones à Sacramento Ordinis ne videantur reijcere Sacramentum Ordinis, quod eſt baſis & fundamentum Totius Eccleſiaſticæ Hierarchiæ. quo vno Ordinis Sacramento ſublato, vere corruit tota Eccleſia Sancta Dei, impugnatur, atq; expugnatur Catholica & Euangelica Sacramentorum energia & efficacia, & præualent portæ Inferi aduerſem Eccleſiam Sanctam Dei. Cum itaq; Sacramentum hoc Ordinis ſit Sacramentum Sacramentorum, quia ſine eo, nullum aliud ſolemne neq; priuatum Sacramentum dari poteſt; licet priuatum Baptiſma & Matrimonium priuatum (quippe quæ non pendent ab Ordine) dari poſſint: hinc fit vt ad funditus euertendam Sanctam Matrem Eccleſiam, principale & hierarchicum hoc Sacramentum fontale penitus ſuſtulerint Apoſtolorum immo Pſeudapoſtolorum Canones, ac Conſtitutiones Apoſtolicæ: licet illud nomine tenus non aliter admittant, niſi vt Ritum quendam Luthericæ electionis, à Patribus adinuentum & excogitatum in conformitatem imperfecti ordinis ſeu Sacerdotij Leuitici, quod conſumare non poterat, ac ſanctificare, niſi in vmbra & figura.

Origo omnium hæreſum circa Sacramentum Ordinis duplex eſt.

Origo autem omnium hæreſum circa Sacramentũ Ordinis duplex eſt apud hæreticos, præſertim Lutherum. Primum quod Ordo eſt quidem Sacramentum initerabile; ſed in Baptiſmo collatum quo ad actum primum omnibus vtriuſq; ſexus: ita tamen vt non poſſit exire in actum ſecundum ſine electione Epiſcopi nomine Totius Eccleſiæ facta. Vnde ſequitur in conſequentiam talis antecedentis hæreticalis, vt ſubſequens ordinatio, nihil aliud ſit, niſi nuda electio, & ſola habilitatio ad exequendam poteſtatem ordinis in Baptiſmo acceptam, licèt in actu primo ſuſpenſam, & impeditam, ne exire poſſit in actum ſecundum, quin accedat electio facta nomine Eccleſiæ; iuxta blaſphemias Lutheri, docentis ex epiſtola B. Petri, quod omnes Chriſti fideles ſumus gens Sancta & regale Sacerdotium: non quidem internum ad ſacrificandam hoſtiam laudis & gratiarum actionis, ſeu Euchariſtiæ priuatæ; & ſacrificium cordis contriti & humiliati, in ara priuata cordis noſtri: ſed Sacerdotium publicum, & externum. ad quem ſenſum hæreticaliter etiam trahit Lutherus verba illa primi capitis Apocalypſeos, *Feciſti nos Deo noſtro regnum, & Sacerdotium, &c.* Itaq; docebat Lutherus quod ordo initerabiliter conferebatur in Baptiſmo, vnde eius ordinatio ſeu habilitatio exercēdi ordinem, nihil aliud erat niſi nuda electio, ſeu Ritus electiuus, à Patribus excogitatus, & ab Eccleſia introductus, & mutabilis, ac nomine tenus erat Sacramentum. nam Sacramentum ordinis in Baptiſmo confertur. quod tamen omne hæreticaliter damnatur in Trid. ſeſſ. 23. can. *Si quis dixerit Ordinem eſſe Ritum tantum quendam eligendi miniſtros verbi, & Sacramentorum, anathema ſit.* & ſeſſ. 47. de Sacram. can. 10. *Si quis dixerit Chriſtianos omnes in Verbo, & Sacramentis adminiſtrandis, habere poteſtatem, anathema ſit.* Secunda origo omnium hæreſum circa Sacramẽti ordinis eſſentialia, eſt opinio Franciſci Turriani Ieſuitæ, Commentatoris octo librorum Clementis apocryphi; nec non doctrina hæreticalis eiuſdem Clementis apocryphi, quod Sacramentum ordinis ſiue quo ad habilitationem hanc actus ſecundi; ſiue quo ad actum primum (quod diſcrimen non attendunt) inſtitutum fuerit in die Pentecoſtes, per nudas preces, & manuum extenſionem ad cœlum ſupra, & vltra capita vniuſcuiuſq; orantium pro deſcenſu Spiritus ſancti ſuper ipſos ordinandos; abſq; vlla alia materia, & forma Sanctæ Matris Eccleſiæ Romanæ; & abſq; vlla chriſmatis vnctione, & abſq; vlla alia collatione practica Spiritus ſancti, abſq; ceremonijs, quia nihil horum in die Pentecoſtes interceſſit. ita ſentit etiam Cenſura Orientalis Eccleſiæ in Sacramento Ordinis: ita pariter Nicolaus Cabaſila, apud ſextum Tomum Bibliothecæ Patrum de Miſſæ ſacrificio cap. 28. & ſequentibus. quod etiam hæreticaliter damnatur in Trid. ſeſſ. 22. can. 2. *Si quis dixerit verbis illis Luc, 22. Hoc facite in meã commemorationem, Chriſtum non inſtituiſſe Apoſtolicos*

in

in Sacerdotes; aut non ordinaſſe vt ipſi aliiq; Sacerdotes offerrent corpus & ſanguinem ſuum, anathema ſit. Vnde recte Bellarminus in Sacramento Ordinis probat eundem ſenſum intellexiſſe Apoſtolos per talia verba; quem intelligimus nos in ordinatione noſtra, quando nobis dicitur, *Accipite poteſtatem offerendi verũ corpus & ſanguinem Domini noſtri Ieſu Chriſti, &c.* De fide eſt ergo quod per idem præceptum imperatiuum & practicum ſignum, ſeu practicam formam imperatiuam Chriſtus non ſolum dedit poteſtatem Apoſtolis in Cœna ad tranſubſtantiandum; ſed etiam per eandem formam imperatiuam mandauit Apoſtolis, vt in eandem poteſtatem ſacrificam eorum ſucceſſores in Sacerdotio ordinarentur. Atq; hinc didicit Sancta Mater Eccleſia per ſolam formam imperatiuam traducere poteſtatem ſacrificandi; iuxta exemplum, & inſtitutionem Chriſti. Hæc autem omnia placet obſeruare in ipſo Clemente apocrypho.

Quod ſi quæras, quiſnam ſit occultus ſcopus intentus Clementis apocryphi; ſeu eiuſmodi Pſeudapoſtolorum? Reſpondeo nullum alium eſſe finem ipſorum, niſi euertere; & reijcere, circa Sacramenta & Sacramentorum eſſentialia, ac damnare Apoſtolorum veros Canones, ac veras Conſtitutiones Apoſtolicas Sanctæ Matris Eccleſiæ Romanæ, tanquam falſos, ac hæreticos, & Pſeudapoſtolos, iuxta regulas Contrariorum; in quibus incluſio vnius, eſt excluſio, & deſtructio alterius. Vnde Clemens apocryphus paſſim hæreticos vitandos eſſe monet, & dari ait alios Canones Apoſtolorum, ac Conſtitutiones alias Apoſtolicas, contrarias eiuſmodi ſuis Canonibus & Conſtitutionibus Apoſtolicis. Sed ab illis cauendum eſſe; quia non oportet confidere nomini Apoſtolorum. Nulloſq; alios Canones, ſeu Conſtitutiones Apoſtolicas admittendas eſſe docet, nihilq; præter hos Canones, atq; has Apoſtolicas Conſtitutiones admittendum eſſe monet, ſed tanquam ſpurium, falſum, & hæreticum, à falſis Profetis, acceptum reijciendum eſſe. Per quod nihil aliud intelligit niſi vere oppoſitos Canones Apoſtolorũ oppoſitaſq; Apoſtolicas Conſtitutiones Sanctæ Matris Eccleſiæ Romanæ circa Sacramenta: nulli enim alij Canones opponuntur his falſis Canonibus Pſeudapoſtolorum B. Clementis adulterati, niſi Canones Eccleſiæ Romanæ: quare lib. 1. cap. 6. alias 7. ſic ait § *Abſtine te ab omnibus gentilium libris. quid enim tibi cum exteris libris, vel legibus, vel falſis Prophetis? Nam quid tibi deeſt in lege Dei, vt ad illas gentium fabulas confugias? Ab omnibus igitur exteris, diaboliciſq; libris vehementer te contine. Veruntamen legem quoq; perlegens, inducta illa, atq; adiecta, quæ appellantur reijce. quod ſi non omnia, ſaltem quædam quæ Traditiones & Deuteroſis appellantur: &c.* Ecce quomõ reijcit Traditiones Apoſtolicas Eccleſiæ Romanæ, & lib. 2. cap. 43. § *Nihil pluſquàm quod ordinatum eſt vobis, facite.* Luc. 3. & lib. 6. c. 16. ideo ait Clemens adulteratus expreſſe hos Canones in ſpecie, & has Conſtitutiones præſcriptas fuiſſe fidelibus, quia prodierunt alij contrarij Apoſtolorum Canones, & aliæ apocryphæ Apoſtolorum Conſtitutiones diuulgatæ ab impijs, ſub quorum Contrariorum Canonum nomine non niſi Canones Sanctæ Matris Eccleſiæ Romanæ intellexit, quia illi ſoli verè ſunt his contrarij, in ſingulis præſertim Sacramentis, ac Sacramentorum eſſentialibus. Præuidebat enim mentitus Clemens futurum eſſe, vt hi Canones, non Apoſtolorum, ſeu Conſtitutiones, & Canones Pſeudapoſtolorum agnoſcendi eſſent, ac tanquam apocryphi eſſent reijciendi: quod factum fuit ab Eccleſia Romana ſub Papa Gelaſio ex can. Sacro Sancta Romana Eccleſia diſt. 15. § *Clementis libri octo apocryphi &c.* & ab Eccleſia Græca factum fuit in ſexta Trullana ſynodo can. 2. Et ideo annoſa iſta vulpes, ac tortuoſus hic ſerpens, ſeu mentitus Clemens præueniendo, ac præuidendo tantum malum, tantumq; dedecus præmunit ſuas hæreſes & prætexit ſuas blaſphemias, præcipiens hos eius Canones Apoſtolicos, tantum ſuſcipiendos eſſe, eiuſq; Conſtitutiones has Apoſtolicas, obſeruandas tanquam veras & Catholicas: contrarios vero Canones quoſcunque ſub nomine Apoſtolorum ab impijs (nempe Latinis) diuulgandos reijci debere, ſic dicendo cit. lib. 6. cap. 16. § *Hæc omnia mandauimus vobis, vt noſtram ſententiam cognoſce-*

CAP. 23.

cognoſceretis, cuiuſmodi ſit, atq; noſtro nomine inuulgatos ab impijs libros ne reciperetis. non enim nominibus Apoſtolorum attendere debetis: ſed natura rerum, & rectæ ſententiæ. Nouimus enim à Simone & Cleobio peſtilentes ſub nomine Chriſti & Apoſtolorum compoſitos libros circumferri in fraudem veſtri. Priſcis quoq; temporibus quidam libros apocryphos ſcripſerunt. tales modo libros effecerunt execrandi homines, quorum doctrinam fugite, ne ſupplicij eorum participes ſitis, qui illos conſcripſerunt, vt deciperent, ac perderent fideles; & nos venerandos Domini Ieſu Diſcipulos impugnandos; &c.

Confirmatur, quia mentitus hic Clemens paſſim inuehitur in hæreticos, vt totus ſanctus, & pius appareat, & melius ſuas hæreſes diſſeminare poſſit, & conſequenter vt hanc eius doctrinam Sanctiſſimam, ne dum Catholicam & Apoſtolicam eſſe doceat: tãquam contrariam illis Latinorum doctrinis, quos intelligit nomine hæreticorum, ac hæreticalium doctrinarum circa Sacramenta præſertim, quæ ſunt ipſiſſima Eccleſiæ Catholicæ fundamenta. Quod omne luce ipſa meridiana clarius patebit ſi conferantur ſinguli eiuſmodi Pſeudapoſtolorum Canones, ſeu Conſtitutiones Apoſtolicæ circa Sacramenta, cum veris Canonibus & Conſtitutionibus Apoſtolicis Sanctæ Matris Eccleſiæ Romanæ, vt in ſequentibus.

Circa Sacramentum Ordinis.

CAP. 24.

Incipiunt Canones Apoſtolorum ipſius Hierarchiæ Eccleſiaſticæ, à Sacramento Ordinis, à quo eſſentialiter pendet omnis legitima & ſolemnis adminiſtratio Sacramentorum, dempto Sacramento Baptiſmi priuati, ac priuati Matrimonij. Vnde dici põt Ordo Sacramentũ Sacramentorum, quo vno poſito, cætera ponuntur; quo ve ſublato, cætera ab eo pendentia, Sacramenta omnia auferuntur. Aliud eſt autem vmbratile & imperfectum Sacerdotium Leuiticum, quod conſummare, & ad perfectum perducere non poterat ex Trid. ſeſſ. 22. cap. 1. & ideo opus fuit Oeconomia Incarnationis Meſſiæ ad inſtituendum Euangelium, multo perfectius in ſigno & praxi, quam vetus Leuiticum, vt de fide eſſe ex Apoſtolico ad Hebr. dogmatice docuit Tridentinum cit. ſeſſ. 22. cap. 1. dicente Apoſtolico ad Hebr. 7. § *Si ergo conſummatio per Sacerdotium Leuiticum fuit: quid adhuc neceſſarium fuit ſecundum ordinem Melchiſedech alium ſurgere Sacerdotem? & non ſecundum ordinem Aaron dici? Tranſlato ergo Sacerdotio, neceſſe eſt, vt & legis tranſlatio fiat. Reprobatio autem præcedentis ſacerdotij Leuitici facta fuit propter infirmitatem eius, & inutilitatem. Nihil enim ad perfectum adduxit lex, &c.* Ecce verum Canonem Apoſtolorum, de reprobatione Sacerdotij Leuitici, eiuſq; legis conſecratoriæ Sacerdotum tranſlatione, in ſignum maius & clarius, ac praxim præſtantiorem vt in Pontificali Romano & definitione Concilij Florentini. Attendamus nunc falſos Canones Pſeudapoſtolorum circa conſtitutionem & ordinationem Sacerdotij in noua lege, ac falſas Conſtitutiones Apoſtolicas obſeruemus. Nam mentitus Clemens apocryphus lib. 8. cap. 1. ordinem Euangelicum reducit ad Chariſma, ſeu donum gratiæ Diuinæ amiſſibilis, ſeu amouibilis, & iterabilis, ad hoc vt conſequenter blaſphemet, quod miniſtri in peccato mortali exiſtentes non conficiunt Sacramentum vllum, vt mentitus Clemens apocryphus ait lib. 8. cap. 1. de Ordine. § *Chariſmata dicimus, quæ in ſignis conſiſtunt, quoniam nullus eſt qui credit in Deum, quin ſpirituale chariſma acceperit. Sic qui ab hæreſi liberatur ex chariſmate liberatur. Varia autem ſunt chariſmata, ſeu dona Dei. quare nemo eorum, qui chariſmata acceperunt, iudicet quemquam, qui non accepit illud idem chariſma, &c.* & quoniam chariſma eſt donum Dei, gratis datum, quod non pendet à noſtra poteſtate, ſed à Dei benignitate, ideo ibidem paulo infra, ſic infert § *Atq; eſſe quidem Chriſtianum in noſtra poſitum eſt poteſtate: eſſe autem Apoſtolum, vel Epiſcopum, vel quidpiam aliud non eſt in noſtra ſitum poteſtate, ſed in poteſtate Dei, qui largitur chariſma, &c.* Vbi multipliciter errat & hæreticaliter blaſphemat Clemens apocryphus & Pſeudapoſtoli eius, primo, quia eodem modo eſt in poteſtate hominis quantum eſt ex parte conſenſus noſtri recipere donum Baptiſmi; ſicut & aliud Sacramentum Ordinis. Secundo blaſphemant hæreticaliter Pſeudapoſtoli, & Clemens, quia id non intelligunt ex parte ſolius cõſenſus:

Prima hæreſis in Sacramento ordinis.

ſenſus: ſed ex parte potentiæ, quia ait ſimpliciter homo poteſt viribus ſuis fieri Chriſtianus: & recipere Sacramentum Baptiſmi, ſed non poteſt viribus ſuis recipere Sacramentum Ordinis; quod eſt donum gratis datum, & improportionatum naturæ humanæ, & eſt ſolum donum gratis datum. quod hæreticaliter damnatur in Trid. ſeſſ. 6. can. 3. § *Si quis dixerit ſine præueniente Spiritus ſancti inſpiratione, atq; eius adiutorio hominem credere, ſperare, & diligere; ſeu pœnitere poſſe vt oportet; vt ei iuſtificationis gratia conferatur: anathema ſit.* Tertio blaſphemant hæreticaliter Pſeudapoſtoli & Clemens in Sacramento Ordinis, quia ideo Ordinem in gratia Dei & dono Spiritus ſancti conſiſtere docet, vt conſequenter blaſphemet Ordinem eſſe amiſſibilem, ac reparabilem, ſicut & gratiam. vt ait ibidem § *Sicut vero Rex impius, pro Rege non eſt habendus, ſed eſt Tyrannus: ſic neq; Epiſcopus imperitia & nequitia cumulatus eſt Epiſcopus, ſed falſo nomine gaudet, quia non à Deo, ſed ab hominibus conſtitutus eſt, qui malus eſt Epiſcopus. ſic Ananias, & Samaas in Hieruſalem; & Achias in Babylone falſi Prophetæ fuerunt, &c.* § *Illud præterea addimus, Deum talibus hominibus gratiam auferre. Superbis enim Deus reſiſtit, humilibus autem dat gratiam, &c.* Ecce quomodo Sacerdotium conſtituit in amiſſibili & reparabili gratia Spiritus ſancti. quod Huſſitarum eſt dogma, & hæreticaliter damnatur in Trid. ſeſſ. 7. de Sacram. can. 12. quia negat characterem Ordinis § *Si quis dixerit miniſtrum in peccato mortali exiſtentem, modo omnia eſſentialia ſeruet, non conficere, aut conferre Sacramentum: anathema ſit.* Quod ſi quæras primo, cur Clemens apocryphus ſentiat cum Huſſitis, miniſtrum in peccato mortali exiſtentem non cōficere, neq; conferre Sacramenta? Reſpondeo Huſſitas, alioſq; hæreticos conſequenter loquutos fuiſſe ad eorum antecedens dogma hæreticale, neq; condemnatos fuiſſe à Conc. Trid. immo, neq; condemnari potuiſſe in eorum conſequente ſenſu, in quo non errabant: ſed condemnari potuiſſe, ac condemnatos fuiſſe in antecedente eorum doctrina. Contendebant enim ex hac Clementis apocryphi hæreticali doctrina (gratis & falſo defenſa à Turriano Ieſuita, & quodam Epiſcopo Bouio) quod Sacramentum Ordinis non imprimit characterem; quia conſiſtit in ſola gratia Baptiſmali iuſtificante, amiſſibili, & reparabili. Ita vt ordo primarius conferatur in Baptiſmo omnibus vtriuſq; ſexus, ſed in actu primo ſuſpenſus & impeditus, ne exeat in actum ſecundū, ſine ſecundaria ordinatione Epiſcopali, quæ non amplius ſit collatio poteſtatis amiſſibilis, & reparabilis cum ipſa gratia; ſed ſolum ſit electio aliquorum miniſtrorum, ac deſtinatio & habilitatio ad actum ſecundum, ad euitandam confuſionem tot Epiſcoporum, atq; Epiſcoparum; & tot presbyterorum, ac presbyterarum; & tot Diaconorum & Diaconiſſarum. quo antecedente poſito, quod ordo ſit initerabile Sacramentum, ſicut & Baptiſma ſed eius poteſtas ſit amiſſibilis & reparabilis. quia conſiſtit in ſola gratia iuſtificante, quæ eſt amiſſibilis, ac reparabilis: hinc conſequenter infertur illa concluſio quod Sacerdos exiſtens in peccato mortali neq; conficiat, neq; conferat Sacramentum, quia amiſit Sacerdotalem gratiam iuſtificantem, in qua hæretici omnes ex Clemente adulterato ſupponunt conſiſtere Ordinem Eccleſiaſticum. Falſum eſt ergo, ac hæreticale ſolum antecedens: non vero conſequens, quod ſequitur poſito illo antecedenti falſo.

Secunda hæreſis circa Sacramentum ordinis.

Tertia hæreſis circa Sacramentum ordinis.

Huſſitarum hæreſis quod Sacerdos in peccato mortali non conficiat neq; conferat Sacramentum aliquod.

CAP. 25.

Negat characterem Ordinis dum ī ſola amiſſibilis gratiæ collatione conſiſtere docet amouibiliter & amiſſibiliter.

Si quæras ſecundo cur Clemens apocryphus & mentitus ſolam gratiam Sacerdotalem agnoſcat & admittat in Sacramento Ordinis, vt patet ex eius ordinatione præſcripta in ſingulis Ordinibus? Reſpondeo quod in quolibet Sacramento ſunt duo adhibenda: nimirum eſſentialia Sacramenti, & accidentalia diſponentia optimam collationem, ſeu exequutionem eiuſdem Sacramenti. Ex quibus Clemens apocryphus hæreticaliter reiecit ipſa eſſentialia in vnoquoq; Ordine, ſolas accidentales & diſpoſitiuas preces retinuit in vnoquoq; ordine: ad hoc vt conſequenter doceat Ordinem eſſe amiſſibilem & iterabilem, ſicut & gratia, ita vt miniſter in peccato mortali amittat Sacerdotium, nullumq; Sacramentum conficiat.

Si quæras tertio, cur id præſtitit Clemens hic mentitus? Reſpondeo id hæreticaliter præſtitiſſe Clemētem apocryphum, ad hoc vt è medio tolleret omnia enunciatiua

Digitized by Google

tiua Sacramenta Sanctæ Matris Eccleſiæ Romanæ, & vt introduceret ſua omnia Sacramenta Leuitica, & Euchitana, ſeu nude deprecatiua Sacramenta: ſicut in Veteri Teſtamento, in quo Sacerdos non niſi nude deprecari poterat. Leuit. 1. 4. & 8. *Orabit Sacerdos pro peccatis populorum, &c.* Si enim Sacerdos ordinandus eſt nudis precibus, pro deſcenſu Spiritus Sancti & collatione eius gratiæ ſuper ordinandum, reiecta omni materia & forma Sanctæ Matris Eccleſiæ Romanæ, aperte ſequitur, quod nomine tenus erit Sacerdos, ſeu Epiſcopus ille, qui ſic nulliter ordinatus fuit. Et hinc fit, vt talis ſolo nomine Sacerdos, ſeu Epiſcopus, nullam poteſtatem Sacramenti Ordinis rite & recte in forma Sanctæ Matris Eccleſiæ conſequutus, non niſi deprecari poſſit pro tranſubſtantiatione facienda; vel pro remittendis peccatis, ſeu ordinandis, confirmandiſq; alijs &c. Hinc tandem fit, vt conſequenter contendant Euchitæ omnes Clementini Hæretici, ordinati nimirum iuxta Arcudianam normam Clementis apocryphi, quod omnia Sacramenta conſummanda ſunt eſſentialiter formis deprecatiuis; & quod non valeat Baptiſma ſine forma vltima deprecatiuæ chariſmationis per totum corpus. Conſequenter enim hoc dicunt in recta nimirum conſequentia, in qua neq; damnati fuerunt neq; damnari potuerunt. quia loquuntur ex dato, ſeu conceſſo, aut ſuppoſito eorum antecedente illo, quod Sacerdotium non conſiſtat in aliquo initerabili charactere & poteſtate inimpedibili, ſed in ſola poteſtate deprecatiua talis effectus a Deo præſtandi, ſicut in lege Leuitica. Vnde Sacerdos, iuxta hoc ipſorum ſuppoſitum, non poteſt eſſe niſi nude Leuiticus, & Euchita, ſeu deprecatiuus pro tali effectu, à Deo præſtando. Et ideo tanquam ſuperbam damnant illam enunciatiuam formam iudicialem. *Ego te abſoluo à peccatis tuis, Ego te baptizo, Ego te confirmo, Hoc eſt corpus meum, Hic eſt ſanguis meus, &c.* Negata igitur eſſentiali materia & forma Sacramenti Ordinis, & ſola accidentali forma deprecatiua gratiæ Spiritus Sancti retenta: conſequens eſt, vt Sacerdos ille, ſit nomine tenus Sacerdos, & ideo non niſi nude deprecari poſſit pro tranſubſtantiatione Euchariſtiæ, ſeu pro abſolutione peccatorum, pro confirmatione, & Baptiſmo &c. nam Baptiſmi efficaciam conſiſtere volunt in vltima deprecatione poſt ablutionem, & chariſmationem.

Omnia Sacramenta ſunt Leuitica & euchitana, nudeq; deprecatiua dempto Sacramento Euangelico.

Cur heretici reijciant formam enunciatiuam tanquã ſuperbam, & ſolam humilem deprecatiuam formam aſſumant in Sacramentis.

Quæres quarto cur Clemens apocryphus lib. 7. cap. 44. alias 43. neget Baptiſma valere ſine chariſmatiua confirmatione? Reſpondeo, quia non admittit niſi Sacerdotium Leuiticum, & Euchitarum, ac Euchitana, ſeu deprecatiua Sacramenta. Vnde, quia Baptiſma conſumatur forma enunciatiua declaratiua: ideo negat valere ſolum Baptiſma ex defectu vltimæ formæ deprecatiuæ: quare vult conſummandum eſſe in ſubſequenti deprecatiua chariſmatione frontis, ac totius nudi corporis. vt ſuo loco fuſius dicetur. Ex quibus apparet quam vana, & falſa ſit defenſio Turriani Ieſuitæ, ac Epiſcopi Bouij canonizantium has omnes hæreticas adulterationes Clementis apocryphi circa Sanctæ Matris Eccleſiæ Sacramentorum eſſentialia omiſſa, ſeu reiecta, & denegata.

CAP. 26.

Cur Sacerdos Arcudianus non poſſit Sacramenta conferre enunciatiuè, niſi ſolum euchitanè hoc eſt deprecatiuè & leuiticè.

Quinto quæres an Clementinus, ſeu Arcudianus Sacerdos, ſeu Epiſcopus Euchitanè, ſeu deprecatiuè, & nomine tenus ordinatus (nam in Baptiſmo nomine Lutherico tenus confertur Ordo) poſſit enunciatiue abſoluere, dicendo, *Ego te abſoluo a peccatis;* vel enunciatiuè confirmare dicendo, *Ego te conſigno ſigillo Crucis, & confirmo te, &c.* vel enunciatiue conſecrare Euchariſtiam, dicendo *Hoc eſt corpus meum Hic eſt ſanguis meus, &c.* Vel potius euchitanè, & deprecatiuè, tanquam euchitanus, ac Leuiticus, & deprecatiuus Sacerdos dicere debeat in Pœnitentia *Abſolue Domine hunc famulum tuum ab omni vinculo delictorum, &c.* & in Confirmatione *Conſigna Domine hunc famulum tuum, &c.* & in Euchariſtia dicere debeat. *Tranſubſtantia Domine panem hunc in corpus Filij tui. quod autem eſt in calice iſte tranſmuta in ſanguinem Filij tui,* &c. Reſpondeo, nullo modo eiuſmodi Clementinos, ſeu Arcudianos Sacerdotes, aut Epiſcopos, enunciatiue dicere poſſe, neq; dicere debere ly *Ego te abſoluo, &c. Ego te conſigno, &c. Hoc eſt corpus meum &c.* Sed euchitanè, & leuiticè tantum,

hoc

Digitized by Google

hoc eſt deprecatiuè dicere poſſe, *ly Abſolue Domine animam huius famuli tui, ab omni vinculo delictorum, &c. Conſigna Domine hunc famulum tuum, &c. Tranſubſtantia Domine panem hunc, & vinum, in corpus, & ſanguinem Filij tui.* Et ratio manifeſta eſt, quia ſi Leuitici tantum, & Euchitani, ſeu deprecatiui ſunt Sacerdotes ſolo inquam nomine electi Sacerdotes, reiecta eſſentiali materia, & forma Catholica nullo modo ſunt veri Sacerdotes, ſed falſi, ac ſolo ficto nomine, & habitu ſunt Sacerdotes Euchitæ, ſeu Leuitici, & deprecatiui. Vnde conſequenter non niſi deprecandi poteſtatem habent leuiticam, & Euchitanam. Et hæc eſt ratio alijs obſcura, ignota, & abſtruſa, cur Clementini ſeu Arcudiani Sacerdotes non niſi formas Euchitanas, & Leuiticas, ſeu deprecatiuas adhibere poſſint in Sacramentorum omnium adminiſtratione, non autem enunciatiuas, & veras: Quia nimirum ipſi non ſunt veri Sacerdotes, neque Epiſcopi, niſi falſi, & mentiti ſeu Clementini, & Arcudiani Sacerdotes, ac Epiſcopi. Quicquid gratis, & falsò atque erroneè in fide Catholica contendat adulterinus Franciſcus Turrianus Ieſuita, & Bouius, quidam Epiſcopus.

Arcudiani Sacerdotes falſi ſunt ſacerdotes leuitici, & deprecatiui nō vero euangelici, & enunciatiui.

Quarta hæreſis circa Sacerdotium Leuiticum, & deprecatiuum.

CAP. 27.

Sed redeo ad enumerandas Clementinas hæreſes in Sacramento Ordinis. Eſt ergo quarta hæreſis Pſeudapoſtolorum, & Clementis apocryphi lib. 8. cap. vltimo, & Arcudiani Euchologij Cryptæ Ferratæ, quia reuocant Sacramentum Ordinis Euangelici ad vmbratile Sacramentum Ordinis Leuitici, ac ſi Sacramenta nouæ legis nihil differant à Sacramentis veteris legis, niſi quia ſunt aliæ cerimoniæ, & alij ritus externi. quod hæreticaliter damnatur in Concil. Trid. ſeſſ. 7. de Sacram. can. 2. *Si quis dixerit Sacramenta noua legis non differre à Sacramentis antiqua legis, niſi quia ſunt alia cerimonia, & alij Ritus externi, anathema ſit.* Et ideo Clemens apocryphus nihil aliud fere admittit, neque præſcribit in Sacramento Ordinis Euangelici, niſi nudas preces, & manus impoſitionem communem, ſicut in veteri Teſtamento, reijciendo prorſus omnem materiam, & formam Sanctæ Matris Eccleſiæ Catholicæ Romanæ eiuſque Pontificalis, ac Decreti Armenorum apud Concilium Florentinum. Ad quod ſuadendum ſic ait Clemens cit. lib. 8. cap. vlt. § *Dicimus itaque Moyſen diuinarum legum rationem præſcripſiſſe circa functiones ſacerdotales, & Epiſcopales, ac Diaconales, &c.* & §. *Noſtras res fortaſſe non ignoratis. Scitis enim à nobis Epiſcopos, Presbyteros, & Diaconos vocari oratione, & manus impoſitione: differentia nominum, rerum differentiam indicantes, non enim apud nos, ut vnuſquiſque vult, ſic implet manum, ſed qui à Deo vocatur, &c.* & §. *A Moyſe Pontifices inſtituti ſunt, & ſacerdotes, ac Leuitæ: a Saluatore noſtro nos treſdecim Apoſtolij ab Apoſtolis ego Iacobus, & ego Clemens, &c.* Ecce mendacium non enim treſdecim ſunt Apoſtoli. neque omnes treſdecim a Chriſto ordinati nam Matthias, & Paulus, non ordinati fuerunt à Chriſto. niſi dicamus cum ipſo Clemente apocrypho omnes Apoſtolos ſiue præſentes, ſiue abſentes ordinatos fuiſſe in die Pentecoſtes ex poteſtate excellentiæ. quod dixi in Prologomeno Primi Tractatus cap. 19. Sed in die Pentecoſtes, non fuiſſent ordinati à Chriſto, ſed à Spiritu ſancto totaque Trinitate ſimul. nam opera ad extra ſunt indiuiſa. Sic ſentit expreſsè Cenſura Orientalis Eccleſiæ in Sacramento Ordinis, & Nicolaus Cabaſila de Miſſæ ſacrificio cap. 28. & Fråciſcus Turrianus in commentarijs libri octaui B. Clemētis adulterati quem iure impugnat Vaſchez de Sacramento Ordinis. quia id hæreticaliter damnatur in Trident. ſeſſ. 22. can. 2. *Si quis dixerit illis verbis Luc. 22. Hoc facite in mei commemorationem, Chriſtum non inſtituiſſe Apoſtolos Sacerdotes, &c. anathema ſit.* Idem etiam ſentit Clemens apocryphus hoc lib. 8. cap. vltimo §. *Poſt aſſumptionem eius nos oblato ſacrificio puro, & incruento conſtituimus Epiſcopos, & Presbyteros, ac Diaconos ſeptem, &c.* Non ſacrificarunt autem ante Pentecoſten, neque alios ordinarunt, quia antea non erāt conſtituti Epiſcopi ſecundum doctrinam Clementis apocryphi, vt exponit Cenſura Orientalis Eccleſiæ, ſub Patriarcha Hieremia in Sacramento Ordinis.

Ordinatio Apoſtolorum facta in die Pentecoſtes ſine vlla materia, & forma Sancta Matris Eccleſiæ, niſi per ſolas deprecationes deſcenſus Spiritus ſancti.

CAP. 28.

Quinta hæreſis Pſeudapoſtolorum, & Clementis apocryphi in Sacramento Ordinis, & Arcudiani Euchologij Ritualis Cryptæ Ferratæ eſt quia ſacerdotes, & Epi-

K ſcopos

Digitized by Google

ſcopos eodem modo ordinandos eſſe blaſphemant, ſicut ordinatus eſt Chriſtus, qui non ab hominibus, ſed à Patre conſtitutus eſt ſacerdos in æternum. Et ideo in ſacra ordinatione non niſi ad Deum recurrendum eſſe præſcribit, vt Deus ipſe ordinet, & Deus ipſe eligat ordinatos, ſeu ordinandos, quia ipſe ſolus ſcit eos, qui digni ſunt, quæ eſt hæreſis Vſſitarum, ad ſolum Deum recurrendum eſſe blaſphemantium in ſacra ordinatione, ex Becano de ſacramento ordinis. Vnde Clemens apocryphus ſic blaſphemat lib. 8. cap. vlt. §. *Primus igitur natura Pontifex eſt vnigenitus Chriſtus; qui non ſibi honorem arripuit, ſed conſtitutus eſt à Patre, qui propter nos factus homo, & ſpiritale ſacrificium offerens Deo Patri ſuo, nobis præcepit, hæc facere, &c.* Vt ſcilicet non nobis arripiamus honorem, ſed à Patre conſtituamur ſacerdotes. Vt fuſius contendit Nicolaus Cabaſila, de Miſſæ ſacrificio cap. 28. ex illis verbis Chriſti *ſedete hic in Hieruſalem, donec repleamini Spiritu ſancto, &c.* quando ſcilicet conſtituemini à Patre ſacerdotes, vt exponit Cabaſila cit. Vnde Clemens apocryphus ſic concludit vltimum caput libri octaui §. *Dicimus ergo neminem ſibi arripere ſacerdotalem honorem; ſed vel à Deo eſſe accipiendum, quod fecerunt Melchiſedech, & Iob: Vel à Pontifice, vt Aaron accepit à Moyſe, &c.* Ecce quomodo reuocat ordinem euangelicum, ad Leuiticum ſacerdotium, acceptũ à Moyſe, & Aaron, orantibus à Deo ſaultam electionem ſauſtamque exequutionem functionum ſacerdotalium, ſicut fiebat in veteri lege. Quod apertius patet in praxi ipſius conſecrationis Epiſcopalis, ac ſacerdotalis, & Diaconalis, quam præſcribit à Deo deprecandam, & obtinendam eſſe Arcudianum Euchologium Cryptę Ferratę. Quod ſi petas, Cur Clemens apocryphus eiuſmodi Euchitanam, nudèque deprecatiuam ordinationem electiuam præſcribat in toto libro octauo? Reſpondeo id factũ eſſe primo vt tacite & conſequenter è medio tolleret oppoſitum ex diametro ſacramentum ordinis Sanctæ Matris Eccleſiæ Romanæ, iuxta regulas Contrariorum, in quibus, *Incluſio vnius, eſt excluſio, & deſtructio alterius.* Secundo id factum eſt, vt reijceret eſſentialem materiam omnem, & formam ſacramenti Ordinis Eccleſiæ Romanæ. Tertio vt irrideret & damnaret ſuperbiam illam (vt aiunt) Eccleſiæ Romanæ, qua Epiſcopus ait, *Accipe Spiritum ſanctum; Accipe poteſtatem tranſubſtantiandi; Accipe poteſtatem manus imponendi ſuper energumenos, ſiue baptizatos, ſiue Cathecumenos; Accipe poteſtatem abſoluendi à peccatis, ac ligandi, &c.* Negant enim ex Clemente hoc apocrypho, ac Pſeudapoſtolis hiſce, Chriſtum inſtituiſſe hanc poteſtatem; & ideo negant conſequenter dari hanc poteſtatem apud Eccleſiam Catholicam ad tranſubſtantiãdum; vel diſoluendum peccata; vel tradendum Spiritum ſanctum, quod tamen hæreticaliter damnatur in Tridentino ſeſſ. 23 can. primo & ſequentibus, & in cap. *Ad abolendam de hæreticis.* tanquam contrarium doctrinæ, & praxi Sanctæ Matris Eccleſiæ Catholicæ Romanæ.

CAP. 29. *De falſa ordinatione Epiſcopi à Pſeudapoſtolis præſcripta ſine ulla eſſentiali materia, & forma.*

Sexta hæreſis Pſeudapoſtolorum, & Clementis apocryphi lib 8. cap 4. alias 5. & 9 Arcudiani Euchologij Ritualis Cryptæ Ferratæ, eſt circa falſam ordinationem Epiſcopi, rejecta omni eſſentialia materia, & forma, quam ordinationem his electiuis verbis, nudèque Euchitanis ſeu deprecatiuis, & Leuiticis præſcribunt hæreticaliter, Ordinem euangelicum reuocando ad Ordinem Leuiticum §. *Domine Deus omnipotens, qui ſolus es ingenitus, qui à principio ad gubernationem populi tui ſacerdotes deſignaſti, Abel in primis Seth. Enos, Enoch, Noe, Melchiſedech, Iob: qui que inſtituiſti Abraham, & reliquos Patriarchas, cum fidelibus ſeruis tuis Moyſe, Aaron, Eleazaro, Phinees qui ex ipſis principes, & ſacerdotes in Arca Teſtamenti conſtituiſti: qui Samuelem illi ſacerdotum, & Prophetam elegiſti qui ſanctuarium tuum ſine miniſterio non reliquiſti: qui in ijs, quos elegiſti, glorificari voluiſti. idem quoque nunc interceſſione Chriſti tui, infunde virtutem Spiritus ſancti principalis. Da in nomine tuo ſcrutator cordium Deus, huic ſeruo tuo, quem elegiſti per Chriſtũ, paſcere ſanctum gregem tuum, & fungi pontificatu, tibi ſine reprehenſione miniſtrantem, congregare numerum ſaluandorum, offerre tibi dona Eccleſiæ tuæ, Da ei Domine per Chriſtum participationem Sancti Spiritus, vt habeat poteſtatem dimittendi peccata ſecundum mandatum tuum;*

dandi:

Digitized by Google

dandi ſortes ſecundum præceptum tuum: ſoluendi omne vinculum ſecundum poteſtatem tuã, quam dediſti Apoſtolis, vt placeat tibi in manſuetudine, & mundo corde, offerendo tibi mundam hoſtiam per Chriſtum, per quem tibi gloria & adoratio Amen. Vbi falſum & hæreticalem hanc ordinationem, nudè Euchitanam, ſeu deprecatiuam, nudèque electiuam præſcribunt Pſeudapoſtoli, reijciendo ex diametro oppoſitam ordinationem Sanctę Matris Eccleſiæ Romanæ. Ac ſi Ordo nihil aliud ſit, niſi nudus Ritus electiuus miniſtrorum Verbi Dei, & ſacramentorum adminiſtrandorum. Quod hæreticaliter damnatur in Trid. ſeſſ. 23. can. 3. *Si quis dixerit Ordinem nihil aliud eſſe niſi Ritum tantum quendam eligendi miniſtros Verbi Dei, & ſacramentorum; anathema ſit.* Quod etiam hæreticaliter damnatur in cap. *Ad abolendum de hæreticis.* tanquam contrarium doctrinæ, & praxi Sanctæ Matris Eccleſiæ Romanæ.

Septima hæreſis Pſeudapoſtolorum ac Clementis apocryphi circa eandem ordinationem Epiſcopi, & Arcudiani Euchologij Cryptæ Ferratæ eſt blaſphemia illa, quod Epiſcopi ordinatio conſiſtat in deprecatione poteſtatis ſortilegij, ſeu mittendi ſortes iuxta præceptum Dei; Cum tamen mandatum ſortilegij ſit hæreticale in ſacramento Ordinis ac ſacris Canonibus interdictum ex can. *Non ſtatim. & c. n. Non exemplo Matthiæ 26. q. 2.* Blaſphemant enim Pſeudapoſtoli, quod exemplo Matthiæ, ſuper quem ſors per electionem ad Apoſtolatum cecidit; ita etiam Epiſcopo detur hæc poteſtas mittendi ſortes in ſacra ordinatione, & manus imponendi in locum electionis, eo quod ſolus Deus, qui eſt ſcrutator cordium, poteſtatem habet eligendi miniſtros, quia ſolus Deus cognoſcit, eos qui ſunt digni ſacerdotio ſeu Diaconatu, ſeu Epiſcopatu, quæ eſt hæreſis Huſſitarum in ſacra ordinatione ad ſolum Deum recurrẽdum eſſe blaſphemantium, pro electione cuiuſcunque miniſterij, ac ſortis mittendę ad miniſterium, comprobandęque per manus impoſitionem, tanquam per electionem, à Deo factam, ac à Deo faciendam, iuxta præceptum eiuſdem Dei: ac ſi Chriſtus Deus eodem modo per ſortes iuſſerit eligendos eſſe miniſtros Eccleſiæ, ſicut Matthias electus eſt per ſortem, id eſt per aliquod ſignum, quod apparuit ſupra caput Matthiæ; cui ſucceſſit manus impoſitio atteſtatiua, quod talis electio eſt per ſortem Domini eligentis illum; vt dicitur in forma Arcudiani Euchologij Cryptæ Ferratæ, Ἡ θεῖα χάρισ προχειρίζεται τοῦτον, τὸν δοῦλον τοῦ θεοῦ εἰσ πρεσβύτερον, ἢ εἰσ διάκονον, ἢ εἰσ ἐπίσκοπον, & cætera. *Diuina gratia elegit nunc in Presbyterum ſeu in Diaconum ſeu in Epiſcopum. Oremus ergo pro eo, vt deſcendat ſuper eum gratia Spiritus Sancti.*

CAP. 30.

Hæreſis electiua Huſſitarũ.

Pſeudapoſtolorum ſors electiua, eſt manus impoſitio laica ſeu non ſacrata nude Euchitana, ſeu deprecatiua.

Octaua hæreſis Pſeudapoſtolorum ac Clementis apocryphi lib. 8. cap. 4. alias 5. & Arcudiani Euchologij Cryptæ Ferratæ, hoc eſt circa ordinationem Epiſcopi, eſt cõtemptus eſſentialis illius practicæ triplicis formæ, Spiritus ſancti abundãtiæ per tres Epiſcopos collatiuæ ter dicendo, *Accipe Spiritum ſanctum* (de qua fuſius diximus in Prolegomeno Tractatus Primi) ac ſi per ſacram Ordinationem non detur Spiritus ſanctus, & fruſtra Epiſcopus dicat, *Accipe Spiritum ſanctum*; quod hæreticaliter damnatur in Trident. ſeſſ. 23. can. 4. *Si quis dixerit per ſacram ordinationem non dari Spiritum ſanctum, & fruſtra Epiſcopum dicere Accipe Spiritum ſanctum, anathema ſit.* CAP. 31.

Nona hæreſis Pſeudapoſtolorum & Clementis apocryphi, & Arcudiani Euchologij eſt contemptus eſſentialis chriſmationis Epiſcopalis in Capite; & manibus, contra decretalem Innocentij Tertij cap. vnic. de ſac. vnc. de qua fuſius diximus in Prolegomeno Tractatus Primi, idque hæreticaliter damnatur in Trid. ſeſſ. 23. can. 5. *Si quis dixerit ſacram Vnctionem contemnendam, ſimiliter, & alias Ordinis cerimonias, anathema ſit.* & ſeſſ. 7. de ſacram. can. vltimo. *Si quis dixerit receptos, & approbatos Eccleſiæ Catholicæ ritus, in ſolemni ſacramentorum adminiſtratione adhiberi conſuetos, aut contemni, aut ſine peccato pro libito a miniſtris omitti, aut in nouas alios per quemcunque eccleſiarum Paſtorem mutari poſſe; anathema ſit.* CAP. 32.

Decima hæreſis Pſeudapoſtolorum, & Clementis apocryphi ac Arcudiani Euchologij Cryptæ Ferratæ in ordinatione Epiſcopali, eſt contemptus ſacratæ manus CAP. 33.

impoſitionis trium Epiſcoporum, ac hæreticalis introductio laicæ manus impoſitionis hoc eſt non ſacratæ in forma Sanctæ Matris Eccleſiæ. In quo hæreticali errore nō video cur Franciſcus Turrianus adeo tenaciter Pſeudapoſtolos defendat in ſuis Cōmentarijs libri octaui Clementis apocryphi, quod manus, & caput conſecrari poſſunt, Euchariſtiæ perceptione; non autem ſola chriſmatis vnctione.

Ex Turriano Cōſecratio manus & capitis fit per contactū Euchariſtiæ ac connectionem eius.

CAP. 34.

Vndecima hæreſis Pſeudapoſtolorum, & Clementis apocryphi eſt, quod negat cum Arcudiano Euchologio Cryptæ Ferratæ poteſtatem benedicendi, & conſecrādi Epiſcopaliter, dari per ipſam chriſmationem manuum Epiſcopalium, & formam illam Sanctæ Matris Eccleſiæ. *Quicquid benedixeris benedicatur, &c.* & ideo negat chriſmatis vnctionem non ſolum in benedictione epiſcopali: ſed etiam in conſecratione altaris, Calicis, patenæ, Eccleſiæ, ſeu Campanæ contra aereas tempeſtates, & turbines malignorum ſpirituum, &c. quod etiam hæreticaliter damnatur in cap. *Ad abolendam de hæreticis*. tanquam contrarium doctrinæ, & praxi Sanctæ Matris Eccleſiæ Romanæ, & Conc. Trid. cit. ſeſſ. 7. de ſacram can. vlt. & ſeſſ. 23. can. 4.

CAP. 35.

Duodecima hæreſis Pſeudapoſtolorum, & Clementis apocryphi in Sacramento Ordinis Sacerdotalis eſt, quod è medio ſuſtulerunt cum Arcudiano Euchologio Rituali Cryptæ Ferratæ Catholicam & Euangelicam conſecrationem ſacerdotalem, & imperatiuam formam à Chriſto Domino inſtitutam, ac pro ea introduxerunt hæreticaliter Euchitanam, ac deprecatiuam formam Leuiticam & electiuam, ex lib. 8. Clementis apocryphi, cap. 24. alias 16. § *Cum ordinas Presbyterum Epiſcope, manum ſuper caput presbyteri impone, aſſiſtentibus tibi Diaconis, & orando dic. Domine omnipotens Deus noſter reſpice ſuper ſanctam Eccleſiam tuam, & auge eam, & multiplica prapoſitos eius, & da illis virtutem vt laborent verbo & opere. Reſpice quoque ſuper hunc famulum tuum ſuffragio, & iudicio omnis cleri in presbyterum electum, & reple eum ſpiritu gratia tua, & conſilij ad adiuuandum, & gubernandum populum tuum, quemadmodum reſpexiſti ſuper populum electionis tua, & pracepiſti Moyſi, vt eligeret presbyteros, quos repleuiſti Spiritu tuo (Num. 11.) Et nunc Domine hoc praſta hac, & conſerua in nobis integrum ſpiritum gratia tua, vt repletus operibus curationum, & ſermone doctrina inſeruiat tibi ſyncere, & ſacrificia immaculata perficiat per Chriſtum tuum, cum quo tibi gloria & honor, & Sācto ſpiritui in ſacula. Amen.* hoc autem hæreticaliter damnatur in Trid. ſeſſ. 7. de ſacram. can. 2. quia reddit ſacramenta nouæ legis deprecatiua & Leuitica; ac ſi nil differrent à ſacramentis veteris legis, contra doctrinam Trid. cit. can. 2. *Si quis dixerit Sacramenta noua legis non differre à Sacramentis antiqua legis, niſi quia ſunt alia cerimonia, & alij Ritus, anathema ſit.*

Alluſio ad electiuam, & Leuiticam formā Moyſis.

CAP. 36.

Decimatertia hæreſis Pſeudapoſtolorum, & Clementis apocryphi, & Arcudiani Euchologij Ritualis Cryptæ Ferratæ, eſt quod hæreticaliter negant omnem materiam, & formam ſacerdotis ſacrifici, quam eſſentialem eſſe probauimus ſecundum doctrinam Euangelicam in Prolegomeno Tractatus Primi; hoc eſt collationem ſymbolorum panis, & vini in Calice, & patena, ac poteſtatis ſacrificæ traductionem per illam imperatiuam formam Chriſti Luc. 22. *Hoc quod trado vobis ſymbolum panis, & vini, facitote corpus, & ſanguinem Chriſti, ſeu Accipite poteſtatem offerendi verum corpus & ſanguinem Chriſti, &c.* Ac ſi non eſſet in Eccleſia Sancta Dei poteſtas tranſubſtantiandi, ſed fruſtra dicat Epiſcopus, *Accipite poteſtatem offerendi, &c.* quod hæreticaliter damnatur in Trident. ſeſſ. 23. can. 1. & in cap. *Ad abolendam* de hæreticis. tanquam contrarium doctrinæ, & praxi Sanctæ Matris Eccleſiæ Romanæ.

CAP. 37.

Decimaquarta hæreſis Pſeudapoſtolorum, ac Clementis apocryphi, & Arcudiani Euchologij Cryptæ Ferratæ eſt, circa denegationem hæreticalem ſecundariæ poteſtatis ſacerdotalis, ad ſoluendum, & ligandum, ac ſi non ſit talis poteſtas in ſacerdotio Euangelico, & fruſtra Epiſcopus traducat hanc poteſtatem dicendo, *Quorum remiſeris peccata, &c.* ac ſi in Eccleſia ſola ſit Leuitica poteſtas deprecandi, pro ſolutione peccatorum iuxta præſcriptum Leuitici cap. 1. 4. & 8 *Orabit ſacerdos pro peccatis populorum, &c.* quod hæreticaliter damnatur in Trident. ſeſſ. 23. can. 1. *Si quis dixerit non eſſe in Eccleſia poteſtatem peccata remittendi & retinendi, &c. anathema ſit.* Quod etiam

hæreti-

Digitized by Google

hæreticaliter damnatur in cap. *Ad abolendam.* tanquam contrarium doctrinæ & praxi Sanctæ Matris Eccleſiæ Romanæ.

Decimaquinta hæreſis Pſeudapoſtolorum, & Clementis apocryphi cit. & Arcudiani Euchologij Cryptæ Ferratæ circa ordinationem ſacerdotalem, eſt contemptus collationis Spiritus ſancti ſeu omiſſio & reiectio illius euangelicæ formæ Io. 20. *Accipite Spiritum ſanctum quorum remiſeritis, &c.* ac ſi non eſſet in Eccleſia Catholica hæc poteſtas traducendi Spiritum ſanctum, & fruſtra Epiſcopus dicat Accipe Spiritum ſanctum, quod hæreticaliter damnatur in Trident. ſeſſ. 23. can. 4. *Si quis dixerit per ſacram ordinationem non dari Spiritum ſanctum, ac proinde fruſtra Epiſcopum dicere, Accipe Spiritum ſanctum. anathema ſit.* CAP. 38.

Decimaſexta hæreſis Pſeudapoſtolorum, & Clementis apocryphi cit. lib. 8. cap. 16. & Arcudiani Euchologij Ritualis Cryptæ Ferratæ, eſt circa contemptum ſacræ Vnctionis Sacerdotalis, ac denegationem ſeu contemptum poteſtatis benedicendi ſacerdotaliter, quod damnatur in Trid. ſeſſ. 7. de ſacr. can. vlt. *Si quis dixerit approbatos & receptos Eccleſiæ Catholicæ ritus in ſolemni Sacramentorum adminiſtratione adhiberi ſolitos & conſuetos omitti, contemni, aut mutari poſſe pro libito, per quemlibet Eccleſiæ Paſtorem: anathema ſit.* & ſeſſ. 23. can. 5. *Si quis dixerit Sacram Ordinis Vnctionem omittendam eſſe, anathema ſit.* quod etiam damnatur in cap. *Ad abolendam. de hæreticis*, tanquam contrarium ſenſui, & doctrinæ Sanctæ Matris Eccleſiæ Romanæ. CAP. 39.

Decimaſeptima hæreſis Pſeudapoſtolorum, & Clementis apocryphi, & Arcudiani Euchologij Cryptæ Ferratæ in Sacramento Ordinis, eſt circa paritatem ordinationis ſacerdotalis & epiſcopalis, per ſolam formam electiuam, ac æquè deprecatiuam, & per eandem laicalem manus impoſitionem, non ſacratam in forma Sanctæ Matris Eccleſiæ, cum ſola accidentali differentia ſolius nominis, & adſiſtentia Diaconorum in ordinatione ſacerdotis, ac adſiſtentia epiſcoporum in ordinatione epiſcoporum, & quidem nomine tenus epiſcoporum, hoc eſt electorum duntaxat de more Lutherico, per pias preces; ſed non conſecratorum in forma Sanctę Matris Eccleſiæ Catholicæ Romanæ. quæ fuit hæreſis Aerij, vnum idemque eſſe blaſphemantis ſacerdotem & Epiſcopum, & ideo vnam eandemque eſſe vtriuſque conſecrationem nudè deprecatiuam eſſe docentis, ſola nominis differentia intercedente, contra praxim, ſenſum & doctrinam Sanctæ Matris Eccleſiæ Romanæ, quod hæreticaliter damnatur in cap. *Ad abolendam. de hæreticis.* CAP. 40.

Decimaoctaua hæreſis Pſeudapoſtolorum ac Clementis apocryphi, & Arcudiani Ritualis Euchologij Cryptæ Ferratæ, eſt circa ordinationem Diaconi quam eodem prorſus modo eſſe volunt, ſicut eſt ordinatio Diaconiſſæ apud eundem Clementem apocryphum lib. 8. cap. 25. alias 17. ſolo mutato nomine Diaconi in Diaconiſſam, & è contra ac ſi nihil aliud ſit ordinatio Diaconi, niſi ordinatio Diaconiſſæ, & è contra reijciendo omnem eſſentialem materiam & formam ordinationis Diaconi, hoc eſt traditionem libri euangeliorum, ac poteſtatis euangelizandi. contra praxim & doctrinam Sanctæ Matris Eccleſiæ. quod hæreticaliter damnatur in cap. *Ad abolendam. de hæreticis.* CAP. 41.

Decimanona hæreſis Pſeudapoſtolorum, & Clementis apocryphi, ac Arcudiani Euchologij Ritualis Cryptæ Ferratæ circa ordinationem Diaconi, eſt contemptus traductionis Spiritus ſancti dicendo ei *Accipe Spiritum ſanctum.* ad functiones Diaconales ſolemniter baptizandi in abſentia vel de licentia Parochi, ſeu Epiſcopi de quo fuſius in Prolegomeno. qui contemptus ſolemnis ordinationis Diaconalis hæreticaliter damnatur in Triden. ſeſſ. 7. de ſacram. can. vlt. & ſeſs. 23. can. 4. *Si quis dixerit per ſacram ordinationem non dari Spiritum ſanctum.* ac proinde fruſtra Epiſcopum dicere: Accipe Spiritum ſanctum anathema ſit. damnatur etiam hæreticaliter in cap. *Ad abolendam. de hæreticis.* tanquam contrarium doctrinæ & praxi Sanctæ Matris Eccleſiæ Catholicæ Romanæ. CAP. 42.

Duplex

Digitized by Google

Duplex eſt Diaconiſſa alia Catholica ſeu Abbatiſſa, atque alia hæretica pro publicis Sacramentis ſeu ſacramentalibus exhibendis ſexui mulíebri.

CAP. 43.

Vigeſima hæreſis Pſeudapoſtolorum, & Clementis apocryphi lib. 8 cap. 26 alias 19 ex falſo fictoque præſcripto Bartholomæi Apoſtoli, eſt circa hæreticalem introductionem Diaconiſſæ, introducendamque neceſſitatem Diaconiſſæ ad Sacramentū Baptiſmi pro baptizandis nudis mulieribus, eiſque bis vngendis per totum corpus, ſemel oleo Cathecumenorum ante Baptiſmum, atque iterum oleo ſacri Chriſmatis poſt Baptiſmum vt fuſius dicam in Sacramento Baptiſmi, quod hæreticaliter damnatur in cap. *Ad abolendam de hæreticis*; tanquam contrarium praxi, & doctrinæ Sanctæ Matris Eccleſiæ Catholicæ Romanæ. Aliud eſt enim Diaconiſſa idest Abbatiſſa monialium, eiuſque benedictio ſeu conſecratio ſancta pro regimine duntaxat mulierum Deo ſacratarum ex can. *Diaconiſſam* 27 q. 1. & Conc. Chalcedonen. can. 14. quæ latine & vulgariter dicitur Miniſtra, apud moniales Bizoccas Regni Neapolis & Siciliæ: cuiuſmodi eſt mea ſoror Caterina Catumſytica Diaconiſſa græce dicta, ſed Latine, & vulgariter dicta Miniſtra monialium Bizocarum Sancti Dominici ſeu ſanctiſſimi Roſarij Rhegynī. Atque aliud eſt profana ordinatio Diaconiſſæ pro publica adminiſtratione Sacramentorum.

Soror mea Caterina Catumſytira, Diaconiſſa grecè, ſed Miniſtra latine monialium Bizocarum Rheginarum. Pſeudapoſtolica Ordinatio Diaconiſſæ.

Ordinatio Diaconiſſæ apud Pſeudapoſtolos Clementis apocryphi, lib. 8 cap. 26. alias 19. eſt huiuſmodi §. *De Diaconiſſa ego Bartholomæus ſic diſpono. O Epiſcope impone ei manus præſentibus presbyteris, Diaconis, & Diaconiſſis, ac dices; Deus æterne, Pater Domini noſtri Ieſu Chriſti, opifex viri, & mulieris, qui Spiritu repleuiſti Mariam, Delboram, Annam, Oldam, quique Tabernaculo Teſtimonij, & in templo conſtituiſti mulieres cuſtodes ſuarum ſanctarum portarum, ipſe quoque reſpice ſuper hanc famulam tuam, quæ ad Diaconatum promouetur, & da ei Spiritum ſanctum, & munda eam ab omni inquinatione carnis & ſpiritus, vt digne exequatur commiſſum ſibi officium in gloriam tuam, & laudem Chriſti tui, cum quo eſt tibi gloria & adoratio, & Sancto ſpiritu tuo in ſecula. Amen.* Ecce nugas & mendacia Pſeudapoſtolorum quod Deus inſtituerit Diaconiſſas ordinandas in Oſtiarias portarum Tabernaculi, ac templi, &c. quæ ſunt næniæ ac nugæ hæreticales.

CAP. 44.

Vigeſimaprima hæreſis Pſeudapoſtolorum, & Clementis apocryphi, ac Arcudiani Euchologij Ritualis Cryptæ Ferratæ, in Sacramento Ordinis, eſt circa introductā falſam ordinationem ſubdiaconi, ac reiectam canonicam materiam & formam ſubdiaconatus, tam in poteſtate diaconizandi, & euangelizandi Actus Apoſtolorum, quam tangendi ſacra vaſa. vt fuſius diximus in Prolegomeno. qui contemptus eſſentialis ordinationis ſubdiaconatus ſeu reiectio eſſentialis materiæ & formæ, hæreticaliter damnatur in Trid. ſeſſ. 7. de ſacram can. vlt. & in cap. *Ad abolendam, de hæreticis*. tanquam contradicens ſenſui doctrinæ, ac praxi Sanctæ Matri Eccleſiæ Romanæ. Hæc eſt autem ordinatio Subdiaconi apud Pſeudapoſtolos & Clemente apocryphum lib. 8. cap. 21. § *De Hypodiaconis ego Thomas Apoſtolus diſpono vobis Epiſcopis: Hypodiaconum cum ordinas ò Epiſcope, impone ei manus & dices, Domine Deus opifex cæli, & terræ, qui in Tabernaculo Teſtimonij æditruos, ſeu Oſtiarios conſtituiſti ſanctorum vaſorum cuſtodes: ipſe quoque nunc reſpice ſuper hunc ſeruum tuum electum Hypodiaconum, & da ei Spiritum ſanctum, vt digne tractet miniſtratoria vaſa tua, & faciat voluntatem tuam in omnibus per Chriſtum tuum, cum quo tibi gloria & honor, & cultus ac Sancto ſpiritui in ſecula. Amen.* Ecce maiorem apparatum ſtatuunt hi Pſeudapoſtoli pro ordinanda Diaconiſſa, quā pro ordinando Hypodiacono. Requirunt enim ſpecialiter præſentiam & adſiſtentiam presbyterorum, ac Diaconorum, & Diaconiſſarum pro eſſentiali ordinatione Diaconiſſæ. quos tamen omnes reijciunt in ordinatione Hypodiaconi: ac ſi Diaconiſſa ſit Maior & ſuperior Ordo quàm ſit Hypodiaconus. quæ ſunt hæreticales adiunctiones, & blaſphemiæ contra ſenſum, praxim, & doctrinam Sanctæ Matris Eccleſiæ Romanæ. & hæreticaliter damnantur in cap. *Ad abolendam. de hæreticis*.

Falſa Pſeudapoſtolorum Ordinatio Subdiaconi.

CAP. 45.

Vigeſimaſecunda hæreſis Pſeudapoſtolorum & Clementis apocryphi, & Arcudiani Euchologij circa contemptum eſſentialis ordinationis Lectoris, reiecta materia, &

Digitized by Google

ria, & forma eſſentiali, quam præſcribit Sancta Mater Eccleſia in ſuo Pontificali. quod hæreticaliter damnatur in Conc. Trid. ſeſſ. 7. de ſacram. can. vlt. cap. *Ad abolendam. de hæret.* tanquã contrarium praxi & doctrinæ Sanctæ Matris Eccleſiæ Romanæ.

Vigeſimatertia hæreſis Pſeudapoſtolorum, & Clementis apocryphi, & Arcudiani Euchologij Cryptæ Ferratæ, eſt circa blaſphemum præceptum de non ordinando exorciſta vt dicitur lib. 8. cap. 32. alias 26. § *Ego Lebbaus cognomento Taddaus hæc diſpono; Vidua non ordinatur &c. Idem de exorciſta ſic diſpono, exorciſta non ordinatur, eſt enim charifma, & donum Dei, ac gratia curationum à ſpiritibus malignis, &c.* CAP. 46.

Vigeſimaquarta hæreſis Pſeudapoſtolorum, ac Clementis apocryphi, & Arcudiani Euchologij Cryptæ Ferratæ, eſt circa hæreticalem contemptum aliorum Minorum Ordinum Acolythi, & Oſtiarij. Quod ſi prætendant Subdiaconum eſſe Oſtiarium officio, ac re ipſa, licet ſolo & nudo nomine ſit Subdiaconus, id eſt error peior priore, quia peruertunt Ordinem Eccleſiaſticum contra Sanctæ Matris Eccleſiæ Romanæ ſenſum, doctrinam, & praxim Vnde hæreticaliter damnantur in c. *Ad abolendam. de hæreticis.* CAP. 47.

Vigeſimaquinta hæreſis Pſeudapoſtolorum, ac Clementis apocryphi eſt circa ordinationem Epiſcopi, quod fieri poſſit ab vno Epiſcopo in caſu neceſſitatis ex commiſſione tamen & nomine aliorum Epiſcoporum, ita vt ſit accidentalis non verò eſſentialis & practica illa trium Epiſcopum trina forma collatiua omnis Epiſcopalis plenitudinis Spiritus ſancti. *Accipe Spiritum ſanctum.* quod blaſphemant Pſeudapoſtoli lib. 8. cap. 33. alias 27. § *Ego quoque Simon Cananites diſpono à quot Epiſcopis debeat ordinari Epiſcopus. Epiſcopus à tribus, vel duobus Epiſcopis ordinetur. Quod ſi neceſſitas poſtulet ab vno ordinari, eo quod non poſſint plures accedere propter perſequutionem, vel aliquam huiuſmodi cauſam, afferatur decretum commiſſionis plurium Epiſcoporum.* In quo contradicunt ſibi ipſis Pſeudapoſtoli nam lib. 3. cap. vlt. totum oppoſitum docent, nimirum nullo modo Epiſcopum ordinari poſſe ab vno Epiſcopo. § *Epiſcopum mand[a]mus ordinari à tribus Epiſcopis, vel ad minus à duobus, non licere autem ab vno conſtitui. Nam duorum, vel trium teſtimonium, firmius extitit. &c.* Vbi Epiſcopos gratis, & falſo inſinuat inſeruire loco teſtimonij, non vero loco eſſentialis conſecrationis. CAP. 48. *Contradictio Pſeudapoſtolorum.*

Vigeſimaſexta hæreſis Pſeudapoſtolorum, & Clementis apocryphi, eſt lib. 8. cap. 34. alias 28. quod Diaconus non poſſit baptizare, ſicut neque offerre § *Diaconus non baptizat, neque offert. Excommunicat vero Diaconus Subdiaconum Lectorem, Cantorem, Diaconiſſam, abſente tamen Presbytero, &c.* Vult ergò Clemens apocryphus, quod abſente Presbytero Diaconus poſſit excommunicandi iuriſdictionem habere, non verò habere ius ad Baptizandum. Et tamen Suarius de miniſtro Baptiſmi totum oppoſitum, ſecundum fidem Catholicam docet. Nam ex Pontificali Romano dicitur. *Oportet Diaconum euangelizare, ac baptizare;* non quidem priuate, ſicut quilibet laicus, & laica; ſed ſolemniter, de licentia tamen Sacerdotis, ſeu Epiſcopi, ſeu in abſentia Parochi. Vnde Philippus Diaconus in Actis Apoſtolorum ſolemniter baptizabat, & ex officio, nõ verò more Laicorum, ſeu fœminarum. Et oppoſitum eſt hæreticum contra doctrinam Sanctæ Matris Eccleſiæ Romanæ in ſuo Pontificali, & contra praxim eiuſdem Eccleſiæ Romanæ. Vnde hæreticaliter damnatur in cap. *Ad abolendum.* Quod ſi roges cur Pſeudapoſtoli prohibeant Diaconos de licentia vel abſentia Parochi, ſeu Epiſcopi baptizare poſſe ſolemniter; nam ad hoc eis traditur ab Epiſcopo Spiritus sãctus per illa verba practica, *Accipe Spiritum ſanctum,* quia eſt neceſſarius in digna adminiſtratione ſolemnis Sacramenti Baptiſmi ad impetratoriè orandum pro baptizandis Catechumenis, ſeu pro baptizatis fidelibus. Reſpondeo id ideo prohibuiſſe Pſeudapoſtolos ad damnandum Baptiſma Sanctæ Matris Eccleſiæ Romanæ admittentis baptiſma laicorum, ac fœminarum, ne dum Diaconorum, ſeu Clericorum; vt fuſius dicam in Sacramento Baptiſmi. Dum enim Pſeudapoſtoli reijciunt Baptiſmum Diaconorum, multo magis reijciunt Baptiſmum Laicorum, & fœminarum, in caſu neceſſitatis, ſeu de facto admiſſum ab Eccleſia Romana.

Vigeſi-

CAP. 50. Vigeſimaſeptima hæreſis Pſeudapoſtolorum, & Clementis apocryphi, & Arcudiani Euchologij Ritualis Cryptæ Ferratæ, eſt circa ſacerdotalem poteſtatem benedicendi infirmorum oleum & aquam abſente Epiſcopo, in lib. 8. cap. 35. alias 29. ac ſi nulla ſit differentia inter benedictionem aquæ, & olei infirmorum. quod eſt hæreticum contra ſenſum, doctrinam, & praxim Sanctæ Matris Eccleſiæ Romanæ, & hæreticaliter damnatur in cap. *Ad abolendam. de hæreticis.* Sic autem aiunt Pſeudapoſtoli lib. 8 cap. 35. § *Benedicat Epiſcopus aquam, & oleum. Si vero abſit Epiſcopus benedicat preſbyter exiſtente Diacono, dicat autem hoc modo. Domine Sabaoth, Deus virtutum, creator aquarum, & dator olei, qui dediſti aquam ad potum & munditiem. Oleum verò ad exhilarandam faciem in exultationem lætitiæ: ipſe quoque nunc per Chriſtum ſacrifica hanc aquam. & hoc oleum in nomine eorum, qui attulerunt. Et da virtutem, ſanitatis effectricem, ægritudinum expultricem, Dæmonum fugatricem, omnibusque inſidijs aduerſariam per Chriſtum, qui es ſpes noſtra cum quo eſt tibi gloria, honor, & cultus, cum Sancto ſpiritu in ſæcula. Amen.* Vbi multæ ſimul blaſphemiæ hæreticales continentur. Et primo, quod conſecratio non ſit facienda in nomine Ieſu Chriſti, iuxta eius præſcriptum Io. 16. *Quæcunque petieritis in nomine meo, fient vobis, &c.* ſed fieri debeat hæreticaliter in nomine afferentium ſeu offerentium aquam, & oleum illud. Secunda blaſphemia hæreticalis eſt, quod æque benedicere poſſit Epiſcopus oleum infirmorum, ſicut & ſimplex Sacerdos. quod ex diametro pugnat cum dogmatica doctrina, & definitione Concilij Trident. ſeſs. 14. de extrema Vnctione cap. 1. § *Intellexit & didicit Eccleſia ex Apoſtolorum traditione materiam Vnctionis infirmorum eſſe oleum, ab Epiſcopo benedictum, &c.* Hæreſis eſt autem Aeriana quod inter Epiſcopum, & ſimplicem ſacerdotem nulla ſit differentia poteſtatis de iure diuino, niſi de iure poſitiuo, ex inuidia Epiſcoporum, omnia meliora, & pinguiora officia, auaritiæ gratiæ ſibi adſcribentium, vt contendebat Arius.

Hæreticalis doctrina, & poteſtas benedicendi oleum infirmorum indifferēter ſiue per Epiſcopum, ſiue per Sacerdotem.

Vigeſimaoctaua hæreſis Pſeudapoſtolorum, eſt lib. 8. cap 39. alias 33. Vbi Apoſtoli ſuperbe canonizauerunt ſe ipſos indicendo diem feſtum in diebus Apoſtolorum § *In diebus Apoſtolorum quieſcite, magiſtri enim veſtri in Chriſto fuerunt, & ſpiritus vos participes fecerunt, &c.* Si enim Papa ſucceſsor Sancti Petri non poteſt canonizare ſe ipſum, ſine maxima ſuperbia, ac iactantia, neque B. Virgo potuiſset canonizare ſe ipſam, ſine vana gloria, & ſtultiloquio, indigno perſonis humilibus: multo minus id facere potuerunt Apoſtoli, ſine ſpiritu ſuperbiæ, & vanagloriç, ac ſtultitiç, quod eſt apertiſſimum argumentum adulterationis hæreticalis.

CAP. 51. Vigeſimanona hęreſis Pſeudapoſtolorum, ac Clementis apocryphi, eſt lib. 8 cap. 8. alias 7. § *Domine qui deieciſti Luciferum ſicut fulgur à cœlo in terram, non lapſu locali; ſed ab honore in ignominiam, &c.* Cum tamen de fide ſit, non perſtitiſse Luciferum in eodem cœlo, aut cœleſti loco definitiuè; ſed inde deiectum fuiſse lapſu locale definitino. ita vt Lucifer ſit extra cœlum, ſeu eiectus à cœlo in terram, definitiuo lapſu locali. Vnde illud, *Quomodo Lucifer cecidiſti, qui mane oriebaris, &c.*

CAP. 52. Trigeſima hęreſis Pſeudapoſtolorum, & Clementis apocryphi, eſt circa finalem intentionem, deſtruendi omnia enunciatiua Sacramenta, & verum, atque authoritatiuum Sacerdotium Euangelicum Sanctę Matris Eccleſiæ Romanæ. In quà Euangelicus Epiſcopus, ſeu Sacerdos verè poteſt, & debet dicere in nomine Chriſti Dei, *Ego te baptizo; Ego te conſigno; Ego te confirmo; Ego te abſoluo; Accipe Spiritum ſanctum. Accipe poteſtatem tranſubſtantiādi ſymbola hac in corpus, & ſanguinem Chriſti, &c.* Ex oppoſito autem Pſeudapoſtoli, & Clemens apocryphus ideo introducunt Euchitanum ac nude deprecatiuum, & Leuiticum Sacerdotium ſeu Epiſcopatum ad hoc, vt in omnibus Sacramentis non niſi nude deprecari poſſit, cum nuda poteſtate deprecandi, vt Deus abſoluat; Deus tranſubſtantiet; Deus immittat Spiritum ſanctum; Deus conſignet, & vngat, ac confirmet; ac ſi Deus baptizet exterius, &c. negantes conſequenter Claues Eccleſiæ verè ligantes ac ſoluentes, & non niſi deprecatiuas, leuiticaſque claues Euchitanas concedendo ad ligandum, & ſoluendum.

CAP. 53. Trigeſimaprima hæreſis Pſeudapoſtolorum, & Clementis apocryphi, & Arcudiani

Digitized by Google

diani Euchologij Cryptæ Ferratæ, eſt lib. 2. cap. 11. § *Quoniam vobis Epiſcopis dictum eſt, quodcunque ligaueritis ſuper terram erit ligatum & in cœlis; & quodcunque ſolueritis ſuper terram erit ſolutum, & in cœlo, &c.* & cap. 21. alias 18. § *Recognoſce igitur ò Epiſcope dignitatem tuam, quod ſicut ligandi poteſtatem accepiſti, ſic & ſoluendi. Obtinens igitur ſoluendi poteſtatem, recognoſce te ipſum, &c.* Et quia non audent aperte blaſphemare; ideo hinc deducunt tacite & conſequenter, presbyteros non habere poteſtatem abſoluendi, & ligandi. Et hac de cauſa in eorum ordinatione denegant eis hanc per actualem collationem poteſtatis abſoluendi, & ligandi, ac irrident conſequenter, & cenſurant Sanctam Matrem Eccleſiam Romanam tradentem ipſis presbyteris poteſtatem ſoluendi, & ligandi, contra ſenſum, praxim, & doctrinam hanc Pſeudapoſtolorum, & Clementis apocryphi.

Circa denegatam poteſtatem Sacerdotalem ſoluendi, & ligandi.

CAP. 54.

Trigeſimaſecunda hæreſis Pſeudapoſtolorum, & Clementis apocryphi eſt lib. 2. cap. 30. alias 26. vbi ad explicandam, diſſeminandamque Arianam impietatem, contra conſubſtantialem Trinitatem perſonarum, in eadem vna eſſentia, introduxit Trinitatem terreſtrem, & Eccleſiaſticam, conſtantem ex Epiſcopo, Diacono, & Diaconiſſa. Vbi multæ inſinuantur hæreſes. Prima eſt, quod quantum diſtat inter poteſtatem, & virtutem, ac authoritatem Epiſcopi, Diaconi, & Diaconiſſæ; tãtundem diſtet in Trinitate cœleſti, inter Patrem, Filium, & Spiritum ſanctum eum æqua diſparitate virtutis minoris in Diacono, ac multo minoris in Diaconiſſa. Secunda hæreſis eſt, quod Diaconi, & Diaconiſſæ comparati cum Filio, & Spiritu ſancto, ſint maiores & ſuperioris dignitatis, & virtutis ſeu poteſtatis, quam ſint presbyteri, qui non ingrediuntur Trinitatem Eccleſiaſticam, neque comparari poſsũt cum Filio, & Spiritu ſancto, ſed ſolum ſunt loco Apoſtolorum. Tertia hæreſis eſt quod Epiſcopus ſit miniſter Patris. Quarta hæreſis eſt quod cum Epiſcopus ſit loco Dei poteſtatem excellentiæ habentis, Presbyteri ſunt loco Apoſtolorum, ac conſequenter poſſunt quicquid Apoſtoli (qui etiam erant Epiſcopi) poterant. Sic autem de more ſubobſuro hæc inſinuat Clemens apocryphus (qui nunquam audet apertè blaſphemare) lib. 2. cap. 30. alias 26. § *Epiſcopus verbi miniſter eſt, mediator inter Deum, & vos, is poſt Deum Pater veſter eſt, is Princeps & dux, is Rex veſter, & Dynaſta. Denique is Deus terrenus eſt poſt Deum. nam de Epiſcopis dixit, Ego dixi Dij eſtis, & Dijs non maledices. Epiſcopus ergo ſupra vos ſedeat, vt qui Dei dignitate ornatus eſt. Diaconus huic adſiſtat vt Chriſtus Patri, & miniſter ei in omnibus, quemadmodum Chriſtus à ſe ipſo nihil faciens, quæ grata ſunt Patri facit omnino, Diaconiſſa in figuram Spiritus ſancti honoretur à vobis nihil ſine Diacono agens, vel loquens, quemadmodum nec Paracletus à ſe ipſo aliquid loquitur, vel facit, ſed glorificans Chriſtum expectat eius voluntatem. Et vt nemo in Chriſtum credere poteſt, ſine doctrina Spiritus ſancti: ſic ſine Diaconiſſa nulla mulier accedat ad Diaconum, vel Chriſtum. Presbyteri in formam Apoſtolorum à vobis cenſeãtur, &c.* & cap. 32. alias 28. § *Presbyteri Apoſtolorum locum obtinent, &c.* Eandem hæreſim confirmant Pſeudapoſtoli. & Clemens apocryphus cit. lib. 2. cap. 33. alias 29. § *Quæ ſit dignitas Epiſcoporum, & Diaconorum. Nam ſi Aaron poſtquam nunciauit Pharaoni ſermones nomine Moyſis, Propheta dictus eſt: Moſes vero dictus eſt Deus Pharaonis, ait ad eum Deus, (Deum te poſui Pharaonis: & Aaron frater tuus, erit tuus propheta) cur non vos quoque internuncios verbi Dei Prophetas eſſe exiſtimetis, eoſque vt Deus reuereamini? & ſequenti cap. 34. alias 30 § Nunc enim vobis loco Aaron Diaconus eſt: loco Moyſis, Epiſcopus eſto. Quod ſi Moſes à Domino appellatus eſt Deus, à vobis quoque Epiſcopus Dei loco in honore habeatur. & Diaconus ſit tanquam eius Propheta. Nam quemadmodum Chriſtus ſine Patre nihil agit; ita Diaconus nihil agit ſine ſcientia Epiſcopi. Et quemadmodum Filius ſine Patre non eſt; ita neque Diaconus ſine Epiſcopo. Et quemadmodum Filius eſt obediens Patri, ita Diaconus omnis Epiſcopo obedit. Et quemadmodum Filius nuncius eſt, & propheta Patris: ita Diaconus nuncius eſt, & propheta Epiſcopi, &c.* & cap. 48. alias 44. § *Omnia ergo Diaconus ad Epiſcopum referat, quemadmodum Chriſtus ad Patrem refert. ſed quæ poteſt ipſe gubernet, accepta ab Epiſcopo poteſtate, & Dominus à patre creandi, & prouidendi poteſtatem accepit, &c.* Quod ſi petas, cur adeo Pſeudapoſtoli, & Clemens apocryphus extollant

Diaconum ſupra Sacerdotes? Reſpondeo id ideo hæreticaliter factum fuiſſe, vt conſequenter Diaconiſſæ ſimilem excellentiam, & præſtantiam extollerent, & inter Ordines ſacros enumerarent, vt fuſius conſtabit in Sacramento Baptiſmi. Nec non preſbyteros loco Apoſtolorum eſſe blaſphemant, vt conſequenter Sacramentum Confirmationis conferre poſſe, ſacraque olea infirmorum benedicere valere contendant. Mitto hic ſtultam iactantiam, & mendacia eiuſmodi Pſeudapoſtolorum cit. lib. 2. c. 59 alias 55. § *Nos ergo qui digni facti ſumus, vt eſſemus teſtes aduentus ipſius cum Iacobo fratre Domini, & alijs ſeptuaginta duobus, & ſeptem Diaconis eius, ex ore Domini noſtri Ieſu Chriſti audiuimus, & perfectè ſcientes dicimus, quæ ſit voluntas Dei beneplacens, & perfecta per Ieſum Chriſtum, &c.* Ecce mendacium Pſeudapoſtolorum, non enim ſeptem Diaconi erant conſtituti ab Apoſtolis viuente Chriſto, ſed poſt Aſcenſionem Chriſti. Præterea hæreticum eſt ſentire, & docere, quod hæc fuerit voluntas Dei inſtruere, & conſtituere Eccleſiam Dei, ſine veris Sacramentis, ſed cum falſis, & Euchitanis Sacramentis, Leuiticis, hæreticalibus.

CAP. 55. Trigeſimatertia hæreſis Pſeudapoſtolorum, ac Clementis apocryphi, & Euchologij Arcudiani circa Sacramentum Baptimi lib. 2. cap. 36. alias 33. § *Per Epiſcopum Dominus in ſingulis veſtrum baptizandis, ſuam ſacram vocem illam emiſit, (Filius meus es tu, ego hodie genui te.) Per Epiſcopum ergo adoptat te Deus in filium, &c.* hic Clemens apocryphus non audet apertè blaſphemare, ſed ſubobſcure, tanquam odio habens lucē apertæ loquutionis, intendit docere quod illud dictum de Filio Dei, *Filius meus es tu, ego hodie genui te*, intelligendum eſt de filiatione adoptionis eo, quod Chriſtus fuerit filius adoptiuus Dei, non autem Filius naturalis; & ideo illa eadem verba applicanda eſſe volunt vnicuique filio adoptiuo per regenerationem, ſicut & Chriſto per generationem applicata fuerunt.

CAP. 56. Trigeſimaquarta hæreſis Pſeudapoſtolorū, & Clementis apocryphi eſt, quod ad ſimpliciter baptizandum non fuerint miſſi omnes vtriuſque ſexus, ſiue fideles, ſiue infideles, dummodo intentionem haberent faciendi, quod facit Eccleſia. Vnde reprobat Baptiſmum à fœminis, vel laicis de facto adminiſtratum, quod probant quia Chriſtus à Ioanne baptizari voluit, non autem à propria matre. vt dicitur lib. 3. cap. 9. § *De mulieribus autem, an hæ baptizare debeant, ſignificamus vobis id non ſolum eſſe periculoſum, ſed iniquum, & impium: Nam mulieris caput eſt vir. & Chriſtus noluit baptizare à propria matre, ſed à Ioanne. Et cum nos Dominus ad baptizandum miſit, vna nobiſcum ad id mulieres miſiſſet. Nunc autem id nuſquam ordinauit, neque ſcriptum reliquit, &c.* Hæreticum eſt ergo ſentire quod Chriſtus Dominus non miſerit omnes vtriuſque ſexus etiam infideles ad baptizandum ſimpliciter non autem ſolemniter: ſed in caſu neceſſitatis, & de facto. Vnde in tali caſu hæreticalis eſt illa prohibitio Pſeudapoſtolorum eodem lib. 3. cap. 10. § *Sed neque laicos concedimus baptizare poſſe* & cap. 11. § *ſed neque reliquos Clericos baptizare permittimus, veluti Lectores, Cantores, Oſtiarios, Diaconos ſeu Miniſtros, &c.* quod ſicut verum eſt de Baptiſmo ſolemni; ſic hæreticum eſt ſentire, & docere de Baptiſmo priuato. Vnde indifferenter vtrumque intendere ac contendere hæreticum eſt.

CAP. 57. *De Baptiſmo.* Trigeſimaquinta hæreſis Pſeudapoſtolorum, & Clementis apocryphi ac Arcudiani Euchologij eſt circa neceſſitatem eligendi Diaconos, & Diaconiſſas ad baptizandum. Volunt enim Diaconum, & Diaconiſſam non poſſe baptizare, quod minus eſt: & tamen hæreticaliter volunt poſſe ſolemniter chriſmare frontem, & faciem, omneſque ſenſus ac corporis, tam oleo Cathecumenorū ante Baptiſmum ſolemnem, quam ſacro chriſmate poſt Baptiſmum, quod eſt multo plus ſeu maius, quam ſit baptizare. Sic autem blaſphemant Pſeudapoſtoli adud Clementem apocryphum lib. 3. cap. § *Diaconos Deo acceptos, grateſque elige. Elige quoque Diaconiſſam fidelem, & ſanctam ad mulierum miniſteria. Nam ad multos vſus, muliere Diaconiſſa indigemus: ac primum cum baptizantur mulieres, Diaconus vngit fontem ipſarum oleo ſancto; deinde Diaconiſſa eas abſtergit. Non enim neceſſe mulieres aſpici à viris. Sed ſolum in manus impoſitione caput illius*

Ordinatio per electionem.

vnget

vnget Epiſcopus, quemadmodum Sacerdotes, & Reges antiquo tempore vngebantur. Non quod qui nunc baptizantur ſacerdotes ordinentur; ſed quia à Chriſto Chriſtiani dicuntur, regale Sacerdotium, gens ſancta, &c. Ecce hic Pſeudapoſtolos, & Clementem apocryphum, mutos, & elingues, quando eos blaſphemare contingit, ac varias hæreſes blandâ arte ſubobſcura diſſeminare, ne capiantur in ſermone. alibi enim in tot eorum iactantijs, & in leuioribus, ac nullius momenti prohibendis, ſeu admonendis; ſunt adeo loquaces, vt nihil ſupra. in ſerijs vero ac eſſentialibus Sacramentorum aſſignandis, præſcribendiſque ſunt muti. In hæreſibus item inueniendis introducendiſque ſunt verſipelles, & obſcuri tanquam odio habentes lucem, & claritatem ſermonis. Vnde hic tot quaſi ſunt hæreſes, quod ſunt verba. Præſcribunt enim primo electionem Diaconi, quia Ordinem blaſphemant nihil aliud eſſe niſi Ritum quendam eligendi miniſtros Verbi, & Sacramentorum. quod hæreticaliter damnatur in Tridentino ſeſſ. 23. can. 3. Præſcribunt ſecundo electionem Diaconiſſæ ob neceſſitatem baptizandi mulieres. Quod eſt contra ſenſum doctrinam, & praxim Sanctæ Matris Eccleſiæ Romanæ. & hæreticaliter damnatur in cap. *Ad abolendam. de hæreticis.* Inſinuant tertio hæreticalē neceſſitatem baptizandi nudas mulieres (præſertim adultas) quæ eſt hæreſis Adamianorum, qui nude reliqua ſacramenta accipiebant, ſicut & Baptiſmum ex can. *Quidam autem Hæretici* § *Adamiani nudi orant, &c.* 24. q. 3. Inſinuant quarto neceſſitatem vngendi nudas mulieres toto nudo corpore. Inſinuat quinto nefas eſſe mulieres videri nudas, & nudas vngi ac nudas baptizari toto corpore ab Epiſcopo, ſeu Sacerdote, ſeu Diacono: ſed id fas eſſe fieri à ſolis Diaconiſſis. Inſinuant ſexto neceſſitatem Diaconiſſæ ad vngēdas nudas mulieres tam ante Baptiſmum, quam poſt Baptiſmum, quam in reconciliatione mulierum hæreticarum, lauandarum toto nudo corpore, ac iterum vngendarum toto nudo corpore ſicut factum fuit in Baptiſmo vt expreſſe præcipitur in Arcudiano Euchologio Cryptæ Ferratæ ex præcepto Patriarchæ Methodij. Inſinuat ſeptimo hæreticalem Diaconi præſumptionem chriſmandi in fronte ante Baptiſmum ex oleo Catechumenorum, & poſt Baptiſmum, chriſmandi ex ſacro chriſmate in eadem fronte. Inſinuant octauo neceſſitatem vngendi totum nudum corpus tam ante Baptiſmum ex oleo Cathecumenorum, quam poſt Baptiſmum ex ſacro chriſmate. Inſinuant nono maiorem eſſe dignitatem, & poteſtatem Diaconalem, quàm Epiſcopalem quia in Baptiſmo Epiſcopus vngit ſolum caput: Diaconus vero vngere poteſt frontem Epiſcopalem locum, & partem digniorem, ac principaliorem. Inſinuat decimo, quod Epiſcopus per talem vnctionem capitis conſtituit eos in Sacerdotium regale. Palliant vltimo hæreſim illam, quam deinde ſequutus eſt Lutherus quod omnes vtriuſque ſexus efficimur Sacerdotes in Baptiſmo. Aiunt enim hi Pſeudapoſtoli, quod baptizati non fiunt Sacerdotes, & Reges in Baptiſmo, ſed fiunt regale ſacerdotium. quod idem eſt licèt palliate dicatur. Immò plus eſt fieri ipſum regale ſacerdotium ſubſtantiuè, quàm fieri Reges & Sacerdotes adiectiuè. ſicut plus eſt fieri ſapientiam ipſam ſubſtantiuè, quam fieri ſapientem adiectiuè.

Trigeſimaſexta hæreſis Pſeudapoſtolorum, & Clementis apocryphi, eſt circa duplex Baptiſma aliud ex oleo atque aliud ex aqua Illud ex oleo eſt primum ac ſpirituale, & à ſolo Epiſcopo eſt adminiſtrabile. hoc vero ex aqua, etiā à ſimplici Sacerdote eſt conferibile. Per primum enim Baptiſma ſuſcipiens fit ſacerdos ſeu gens Sancta, & regale Sacerdotium, vt ait Clemens lib. 3. cap. 16. § *Tu ergo Epiſcope, illa figura vnges caput illorum, qui baptizantur, ſiue ij viri ſint, ſiue mulieres, oleo ſancto in figuram ſpiritualis Baptiſmi. Deinde tu Epiſcopus, vel tibi ſubiectus presbyter, ſacram ſuper ipſos dicens, vel nominans inuocationem Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, baptizabis eos in aqua. poſtea Epiſcopus liniat baptizatos vnguento.* Et idem repetitur lib. 7. cap. 23. alias 21. § *De Baptiſmo ò Epiſcope, & presbyter iam antea præcepimus, & nunc quoque dicimus: Vnges autem prius oleo ſancto, deinde baptizabis aqua. Poſtremo conſignabis Vnguento chriſmatis: vt vnctio ſit participatio Spiritus ſancti, aqua ſit ſymbolum mortis, vnguentum ſit ſigillum pactionum, &c.* Duplex CAP. 58.

L 2 ergo

ergo inſtituitur Baptiſma Pſeudapoſtolorum, alterum ſacerdotale, & ſpirituale, per quod omnes vtriuſque ſexus euadimus gens ſancta, & regale ſacerdotium; & ideo omnes vngi debemus in capite, totaque facie, & manibus ex Arcudiano Euchologio Cryptæ Ferratæ, ad accipiendam poteſtatem, & vnctionem ſacerdotalem ex oleo Catechumenorum ante Baptiſmum. mox vero poſt Baptiſmum iterum vngi debemus in capite, ſeu fronte, totaque facie, & manibus ex vnguento chriſmatis, ad conſequendam poteſtatem, & vnctionem Epiſcopalem; licet in actu primo ſuſpenſam, & impeditam, ne exeat in actum ſecundum, abſque ſubſequenti electione Epiſcopi nomine Totius Eccleſiæ in ætate adulta. de qua Vnctione ſacerdotali, & Epiſcopali diximus in Prolegomeno Tractatus Primi.

CAP. 59. Trigeſimaſeptima hæreſis Pſeudapoſtolorum, ac Clementis apocryphi, & Arcudiani Euchologij Cryptæ Ferratæ, eſt ipſa hæreticalis trāſpoſitio vnctionis Sacerdotalis, & Epiſcopalis à Sacramēto Ordinis, vbi aliquibus duntaxat dignioribus, & doctioribus exhiberi debet; ac translatio in Sacramentum Baptiſmi. vbi omnibus vtriuſque ſexus vngendum ſit Sacerdotale caput, & manus, ex oleo Catechumenorum ante Baptiſmum; mox vero vngendum ſit Epiſcopale caput, & manus poſt Baptiſmum ex vnguento chriſmatis, vt fuſius oſtendimus in Prolegomeno contra ſenſum, praxim, & doctrinam Sanctæ Matris Eccleſiæ Romanæ, cum incremento hæreſis Luthericæ, quod in Baptiſmo efficiamur omnes vtriuſque ſexus Regale Sacerdotium externum, ita vt deinde non ſit opus noua collatione poteſtatis Sacerdotalis, ſeu Epiſcopalis, niſi ſola, & nuda electione aliquorum, ad euitandam tantam confuſionem tot miniſtrorum, & ad exercendam poteſtatem Sacerdotalem in Baptiſmo receptam. quod hæreticaliter damnatur in Tridentino *ſeſſione 23.* can. 3. & in cap. *Ad abolendam.* de hæreticis.

CAP. 60. *De treſdecim Apoſtolis.* Trigeſima octaua hæreſis Pſeudapoſtolorum, & Clementis apocryphi, quod paſſim treſdecim enumerat Apoſtolos vltra Paulum decimum quartum, nempe enumerat tres Iacobus, quod eſt expreſsè contra illud Matthæi capitulo decimo. *Et conuocauit duodecim Diſcipulos ſuos, Duodecim autem Apoſtolorum nomina ſunt hæc: Primus Simon, qui dicitur Petrus, & Andreas frater eius: Iacobus Zebedæi, & Ioannes frater eius; Philippus, & Bartholomæus; Thomas, & Matthæus publicanus; Iacobus Alphæi, & Taddæus; Simon Cananæus, & Iudas Iſcariotes; qui tradidit eum. Nos duodecim miſit Ieſus, &c.* E contra Pſeudapoſtoli, & Clemens apocryphus, vrgendo falſitatis ipſum Euangelium Euangeliſtæ Matthæi capitulo decimo, blaſphemant Apoſtolos fuiſſe treſdecim, enumerando tres Iacobos, nimirum vnum Zebedæi, alterum Alphæi, & tertium Iacobum fratrem Domini, qui fuit primus Epiſcopus Hieruſalem, ad hoc vt totam Sacram Scripturam falſitatis conuincant. Si enim Sacra Scriptura in vno eſſet mendax, in omnibus pariter eſſet mendax, quod enim eſt tale, defectibile, & mendax, ſemper eſt tale. Vnde Clemens apocryphus libro octauo, capitulo duodecimo, § *Nos duodecim cum veniſſemus Hieroſolymam cum Iacobo fratre Domini, deliberabamus, quid faciendum eſſet, &c.* in fine § *Tunc viſum eſt nobis Apoſtolis, & Epiſcopo, Iacobo atque Presbyteris cum vniuerſa Eccleſia, &c.* & libro octauo, capitulo vltimo, § *A Saluatore noſtro nos treſdecim Apoſtolis Ordinati fuimus; ab Apoſtolis vero ego Iacobus, & ego Clemens, & alij nobiſcum ordinati ſunt, &c.* Vbi multa ſimul mendacia hæreticaliter inculcantur. primo quod Matthias, vnus ex Apoſtolis, qui poſt mortem Chriſti ſucceſſit in locum Iudæ, ordinatus fuerit à Chriſto iam viuente. Secundo, quod Iacobus frater Domini non fuerit ex numero duodecim Apoſtolorum, neque à Chriſto cum alijs Apoſtolis in Cœna ordinatus fuerit Sacerdos Sacrificus; ſed ab Apoſtolis ordinatus fuerit poſt Aſcenſionem Chriſti. Et eadem libro ſexto, capitulo decimoquarto, enumerando nomina treſdecim Apoſtolorum ſic blaſphemat Clemens apocryphus, § *Igitur horum cauſa, nunc in vnum conuenientes, Petrus, & Andreas; Iacobus, & Ioannes, Filij Zebedæi; Philippus, & Bartholomæus, & Thomas, & Matthæus; Iacobus Alphæi, & Lebæus, cognomento Thadæus;*

& Simon

Digitized by Google

& Simon Cananites, & Matthias, Iuda ſuffectus; & Iacobus frater Domini, Hieroſolymitarum Epiſcopus, & Paulus Doctor gentium, vas electionis, &c. Vbi enumerantur quattuordecim Apoſtoli: & tres Iacobi nempe Iacobus Zebedæi; Iacobus Alphæi; & Iacobus frater Domini, Epiſcopus Hieruſalem.

Circa Sacramentum Baptiſmi.

Trigeſimanona hæreſis Pſeudapoſtolorum, & Clementis apocryphi, eſt circa nullitatem Baptiſmi, rectè collati ab infidelibus, ſeu hæreticis, alijſque extra Eccleſiam Dei exiſtentibus, licèt ſeruauerint omnia eſſentialia Sacramenti Baptiſmi, ex libro ſexto, capitulo decimoquinto, § *Eodem modo contenti ſint vno ſolo Baptiſmo, qui in Domini mortem traditur, non miniſterio abominandorum hæreticorum; ſed probatorum Sacerdotum in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, neque impiorum Baptiſmus recipitur; neque Baptiſmus per ſanctos adminiſtratus altero Baptiſmo debet irritus effici. Qui vero ab impijs piaculum accipiunt, eorum ſententia ſocij fiunt. Non enim illi ſunt Sacerdotes. dicit enim ijs Deus (1. Reg. 5.) Quoniam tu abiecisti ſcientiam, abijciam, & ego te vt non ſis Sacerdos mihi. Neque vero baptizati ab ijs, initiati cenſentur; ſed potius coinquinati; cum non peccatorum remiſſionem accipiant, ſed impietatis vinculum induant, &c.* Vbi multa hæreticaliter inculcantur. Primo quod ad morem Sacerdotij Leuitici Deus abominetur ſacrificia Sacerdotum Euangelicorum; & quod æquè vtrobique Deus reſpiciat ad opus operantis, non vero ad opus operatum. Secundo quod Sacerdos in peccato mortali exiſtens non conficiat, neque conferat Sacramenta. quod hæreticaliter damnatur in Tridentino ſeſſione ſeptima, de Sacrament. canone duodecima. Tertio, quod Ordo non imprimat characterem, ſed conſiſtat in amiſſibili gratia Spiritus ſancti, ac proinde non detur Sacerdotium extra Eccleſiam Catholicam. Ex hoc autem Capitulo deceptus Sanctus Cyprianus in ſua Synodo Carthaginenſi de rebaptizatione, ſtatuit baptizatos ab hæreticis etiam omnia eſſentialia Eccleſiæ Romanæ ſeruantibus, rebaptizandos eſſe. quod damnatum fuit à Papa Stephano Secundo. Ex hac doctrina etiam decepti Græci rebaptizabant Latinos omnes, quos hæreticos eſſe blaſphemabant ex Concilio Lateranen. capitulo quarto, & capitulo. *Licet Græcos. de Baptiſmo, & eius effectu.* Ex hoc capitulo deſumptus fuit Apoſtolorum Canon. ſeſſageſimoſeptimo vbi damnantur Baptiſma, & Ordo, ſeu Confirmatio recepta ab Hæreticis, etiam ſeruantibus eſſentialia Eccleſiæ Romanæ vt in ſequenti probabo.

CAP. 61. *Baptizare ſolemniter eſt munus ſacerdotale vel Diaconale ſed baptizare priuate ſpectare poteſt ad quoslibet præſentes in ea ſu neceſſitatis in quo quilibet Sacerdos Baptiſmi eſſe poteſt id eſt ſacra docens, ſacra dicens, & ſacra dans.*

Quadrageſima hæreſis Pſeudapoſtolorum Clementis apocryphi, eſt circa Baptiſmum, quod ſit munus ſacerdotale: & ideo non valeat Baptiſma collatum à fœminis, ſeu Laicis, & Clericis, neque à Diacono. vt dicitur libro tertio, capitulo nono, § *De mulieribus autem an baptizare debeant, ſignificamus vobis, quod periculoſum eſt, immo iniquum, & impium, &c.* & capitulo decimo, § *Sed neque Laicos concedimus aliquod Sacerdotale munus exercere, veluti ſacrificium, Baptiſmum, &c.* & capitulo vndecimo, § *Sed neque reliquos Clericos baptizare permittimus, niſi ſolos Epiſcopos, & presbyteros, aſſiſtentibus Diaconis,* & libro octauo, capitulo trigeſimoquarto, alias vigeſimooctauo, § *Diaconus non offert, non baptizat, &c.* nimirum, quia baptizare eſt opus Sacerdotale. Ex hoc capite deſumptus fuit Apoſtolorum Canon ſeſſageſimusſeptimus, vbi damnatur Baptiſma Ordo, & Confirmatio accepta ab Epiſcopis, ſeu Sacerdotibus Hæreticis. Sub ſacerdotibus autem comprehendit Diaconos. Cum tamen ex Actibus Apoſtolorum conſtet Diaconum Philippum ſolemniter baptizare (nam priuate quilibet Laicus ſeu Laica baptizare poteſt) hinc eſt quod eſt propria functio Diaconi ſolemniter baptizare, de licentia vel in abſentia ſacerdotis vt teſtatur Pontificale Romanum in ordinationem Diaconi, § *Oportet Diaconum baptizare, &c.* quàm veritatem Apoſtolicam impudenter negant Pſeudapoſtoli. Quod ſi quæras Cur Pſeudapoſtoli reijciant Sacramenta omnia ab

Hæreticis

Digitized by Google

Hæreticis accepta? Reſpondeo,quia primo ſupponunt omnia Sacramenta eſse functiones ſimpliciter,& eſſentialiter ſacerdotales. Secundo ſupponunt Sacerdotium conſiſtere in ſola Spiritus ſancti gratia iuſtificante amiſſibili,& reparabili,non autem in aliquo indelebili charactere, ſeu poteſtate. Tertio ſupponunt ſacerdotium eſse amiſſibile ac reparabile,ſicut & gratiam; & ideo ſacerdotem in peccato mortali exiſtentem non conficere,neque conferre aliqua ſacramenta. Quarto ſupponunt cum Armenis Baptiſma non valere ſine Sacramento Confirmationis, & ideo Baptiſma à ſolo Epiſcopo vel Sacerdote conferri debere ſimul cum Confirmatione. Sicut ergo Laicus ſeruans debitam materiam, & formam in Sacramento Ordinis, ſeu Confirmationis,vel Euchariſtiæ,ſeu Pœnitentię,&c.nihil conficit,quia non eſt Epiſcopus, ſeu ſacerdos:ſic etiam Epiſcopus hæreticus baptizans, adhibenſque debitam materiam, & formam, atque intentionem conformem intentioni Eccleſiæ non conficit, ex hæreticali ſuppoſitione.primo quod baptizare eſt munus ſimpliciter ſacerdotale: ſecundo quod ille Epiſcopus amiſit ſacerdotium ex amiſſione gratiæ Spiritus ſancti qui non eſt,ſeu datur extra Eccleſiam Catholicam. 1.q.1.*ex can. Qui perfectionem. can. Sicut Eunuchus. can. Multa autem. can. Remiſſionem peccatorum. can. Etiam corde. can. Non ſanat Baptiſmus can. Corporalia. can. Hi qui Baptiſma. can. Paulianiſtæ. can. Hanc regulam. can. Non oportet. can ſi quis inquit. can. Extra Eccleſiam. can. Arianos. can. Manuſimpoſitio.* 1. q.1. Vnde vanæ ſunt nugæ, & defenſiones, ac palliationes ſatis ſuſpectæ adulterati Franciſci Turriani Ieſuitæ in ſuis Commentarijs Clementis apocryphi, nec non quędam aliæ inſulſæ reſponſiones cuiuſdam Epiſcopi Bouij in defenſionem eiuſmodi Pſeudapoſtolorum ac adulterini Clementis apocryphi,fuit enim error Armenorum quod Baptiſma non valeat ſine Sacramento Confirmationis. ex quo ſequitur nullo modo valere Baptiſma Laicorum,neque Clericorum, neque Diaconorum, qui non poſsunt duo hæc ſacramenta ſimul adminiſtrare. Immo eſt error hodiernus multorum Græcorum,quod Baptiſma Latinorum non valeat,quia confertur à Laicis, ſine Sacramento Confirmationis, & ideo græci rebaptizant Latinos ex Manuele Caleca, & Conc. Lateran.cap.4.& cap. *Licet græcos.* de Baptiſmo,& eius effectu.

CAP. 62.

Quadrageſimaprima hæreſis Pſeudapoſtolorum, & Clementis apocryphi, & Arcudiani Euchologij Cryptæ Ferratæ,eſt quod non valeat Baptiſma, ſine Sacramēto Confirmationis,vel ſine chriſmatione frontis,ac totius nudi corporis; quod vocant Sacramentum Confirmationis. & ideo Laici ſeu Clerici, & Diaconus non poſsunt baptizare,quia ſimul non poſsunt conferre Sacramentum Confirmationis.

Baptiſma non valet ſine Confirmatione per pſeudapoſtolos.

Sic autem aiunt, ſeu potius blaſphemant Pſeudapoſtoli apud Clementem apocryphum lib 7.cap.44.alias 45.§ *Et poſt hoc baptizatum in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti vngat vnguento dicens, Domine Deus, qui es ingenitus, qui odorem cognitionis euangelij in omnibus gentibus ſuauem feciſti: da nunc etiam hoc vnguentum operari virtutem in baptizato,vt firma, & ſancta in eo maneat fragantia odoris Chriſti tui, & commortuus ipſe reſurgat, & viuat vna cum Chriſto. Hæc atque huiuſmodi dicat Epiſcopus, ſeu ſacerdos baptizans. Vniuſcuiuſque enim manuſimpoſitionis virtus hæc eſt. Nam niſi in quolibet horum à pio Sacerdote aliqua huiuſmodi inuocatio fiat, in aquam ſolam deſcendit,qui baptizat, ac more Iudæorum tantum abijcit ſordes corporis non animæ, &c.* Nota Euchitanam,ac deprecatiuam formam hanc Chriſmationis confirmatiuæ per Pſeudapoſtolos vnicam tantum poſt Baptiſmum admittentes chriſmationem frontis vt in Prolegomeno. Si autem roges, Cur blaſphement Pſeudapoſtoli non valere Baptiſmum ſine Conſignatione chriſmatiua? Reſpondeo id introduxiſse primo vt damnarēt Baptiſma Eccleſiæ Romanę, collatum ſimpliciter à quacunque fœmina, ſeu priuato laico, ipſumque eſse Baptiſmum Iudaicum,in quo ſolum ſordes corporis non animæ abijciuntur. Secundo voluerunt Baptiſmum ſolemne, & ſolemniter tantum valere ad hoc,vt æquè functionem eſse ſacerdotalem eſsentialiter docerent: ſicut & Euchariſtiæ oblationem. Tertio vt damnarent Baptiſmum ſolemne Eccleſiæ Romanæ, ſine Sacramento Confirmationis collatum. Quarto vt reijcerent enunciatiuum ſacramentum Baptiſmi, ipſum-

Confirmationis forma deprecatiua per pſeudapoſtolos

Digitized by Google

ipſumque quo ad validitatem coniungerent cum deprecatiuo ſacramento Confirmationis. Quinto vt formam Sacramenti Confirmationis deprecatiuam eſſe introducerent. Sexto vt docerent non valere ſolam enunciatiuam formam Baptiſmi Latinorum niſi ad abluendas ſolas ſordes corporis, ſine deprecatiua forma Confirmationis. Septimo vt in Baptiſmo docerent omnes vtriuſque ſexus fieri epiſcopos, atque Epiſcopas, ne dum presbyteros ac presbytas: & ideo non ſufficere neque valere ſacerdotales vnctiones capitis, & manuum. ex oleo Catechumenorum ante Baptiſmũ niſi compleantur, & perficiantur per Epiſcopales chriſmationes capitis, & manuum Epiſcopalium poſt Baptiſmum. Vltimo vt cum Aerio blaſphement idem eſſe de iure Diuino Sacerdotium, & epiſcopatum, & non niſi de iure poſitiuo prohiberi poſſe Sacerdotibus collationem Sacramenti Confirmationis. quæ omnia tanquam contraria ſenſui, doctrinæ, & praxi Sanctæ Matris Eccleſiæ Romanæ hęreticaliter damnantur in cap. *Ad abolendam: de hæreticis.* & in Trid. ſeſſ. 7. de ſacr. can. vlt & ſeſſ. 23. can. 7. Scio Clementem apocryphum extra caſum neceſſitatis loqui dum hic ait non valere Baptiſma ſine Confirmationis ſacramento, nempe collatum extra caſum neceſſitatis. Nam lib. 7. cap 23. alias 21. in caſu neceſſitatis ſeu in periculo mortis docet valere Baptiſmum ex nuda aqua quando Epiſcopus, vel ſacerdos neque oleum, neque chriſma habet, vt ait ibi § *De Baptiſmo ò Epiſcope, & presbyter iam præcep mus, & nunc quoque diximus, quod baptizare debes, ſicut præcepit Dominus. Vnges ergo prius oleo Sancto mox baptizabis aqua; poſtremo conſignabis vnguento. Vt vnctio olei ſit participatio Spiritus ſancti: aqua ſit ſymbolum mortis: Vnguentum ſit ſigilli m pactionum. Si deſit tibi oleum vel vnguentum, ſufficit aqua, & ad vnctionem. & ad promiſſionem morientis pueri, ſeu potius commorientis, &c.* quia hæ vnctiones poſſunt deinde ſuppleri tanquam diſtincta ſacramenta, & in caſu neceſſitatis diſpenſanda vt in tali caſu ſeparabilia. Sed etiam in hoc eſt mendax ipſe Clemens, quia Baptiſma nullam neceſsariam connexionem eſsentialem habet cum Confirmatione:

Quadrageſimaſecunda hæreſis Pſeudapoſtolorum, & Clemẽtis apocryphi, eſt denegare enunciatiuam formam Confirmationis ſub explicita fidei profeſſione, & deprecatiuam formam introducere, ſine vlla fidei confeſſione explicita ac diſtincta trium diuinarum perſonarum, vt patet hoc lib 7. cap. 44. alias 45. Cum tamen lib. 3. cap. 17. expreſse mentionem faciat vnguenti Confirmationis cum explicita expreſſione diuinarum perſonarum § *Datur igitur Baptiſmus in mortem Ieſu, aqua eſt pro ſepultura; oleum pro Spiritu ſancto, ſigillum pro Cruce, vnguentum eſt Confirmatio profeſſionis mentio ſit Patris, vti Cauſæ & mittentis. mentio ſit Spiritus ſancti, vt i teſtis. Pater qui eſt ſuper omnia Deus. Chriſtus vnigenitus Deus, Spiritus ſanctus Paraclitus qui à Chriſto mittitur, &c.* Et lib. 5 cap. 7. alias 6 fidei profeſſionem explicitam ad tria neceſsariam eſse fatetur idem Clemens apocryphus § *Profitentes ergo pulchram illam confeſſionem fidei, non ſolum ipſe ſaluamur: ſed etiam nuper baptizatos cõfirmamus; & Catechumenos reddimus fideles, &c.* ergo turpiter ſibi contradicunt ipſi Pſeudapoſtoli, dum lib. 7. cap. 44. alias 45. introducunt deprecatiuam formam ſacramenti Confirmationis, abſque eſsentiali profeſſione fidei explicitæ, circa diſtinctas tres perſonas diuinas.

CAP. 63. *Circa ſacramẽti Confirmationis formam.*

Quadrageſimatertia hæreſis Pſeudapoſtolorum ac Clementis apocryphi, & Arcudiani Euchologij circa ſacramenta, eſt contemptus & excluſio omnis alterius doctrinæ contrariæ his Conſtitutionibus Apoſtolicis ſeu potius Pſeudapoſtolicis, vt blaſphemant lib. 7. cap. 28. alias 29. § *De vnguento gratias agite hoc modo, Gratias agimus tibi cunctorum opifex Deus, etiam pro fragrantia vnguenti, & pro immortali ſæculo, quod manifeſtaſti nobis per Ieſum filium tuum, quoniam tua eſt gloria, & poteſtas in ſæcula. Amen. Si quis veniat, & hoc modo gratias agat, recipite eum, vti Dei diſcipulum. Si vero aliam doctrinam prædicauerit, præter quam vobis tradidit Chriſtus per nos, eum non permittatis gratias agere. is enim contumelia potius afficit Deum, quam honorat, &c.* Ecce quomodo obſcurat ſe ipſum Clemens apocryphus quando blaſphemare, ac diſseminare hæreſes intendit, ac contendit. Ait enim nullam aliam doctrinam admittendam eſse circa vſum chriſmatis.

matis,eiuſque benedictionem ſeu conſecrationem,ac gratiarum actionem pro chriſmate. Per quod reijcit omnes canones,rubricas & eſſentialia requiſita, & formam conſecrationis vnguenti chriſmatis apud Pontificale Romanum.de qua Suarius in Sacramento Confirmationis, & eſſentia materialis conſecrationis faciendæ a veris Epiſcopis in forma ſolius Sanctæ Matris Eccleſiæ conſecratis, exorcizantibus prius materiam, eamque benedicentibus in forma, ac miſcentibus cum oleo, & balſamo ſub eſſentiali illa forma (*Haec commiſtio liquorum fiat omnibus ex ea perunctis propitiatio æterna,&c.*) vt fuſius dicetur infra.

CAP. 64. *Circa Sacramentum Euchariſtiæ.*

Quadrageſimaquarta hæreſis Pſeudapoſtolorum, ac Clementis apocryphi, & Arcudiani Euchologij Cryptæ Ferratæ,eſthiſtorica recitatio verborum Chriſti pro Euchariſtia cum introductione formæ illius Euchitanæ,Leuiticè, & nudè deprecatiuæ.*Emitte Domine Spiritum ſanctum tuum ſuper nos, & ſuper hac dona tua: Et panem hunc effice corpus Filij tui:quod autem eſt in hoc calice vinum effice ſanguinem filij tui.* Quod ex diametro pugnat cum ſenſu, doctrina, Canonibus, ac praxi Sanctæ Matris Eccleſiæ Romanæ;& conſequenter damnatur hæreticaliter,& generaliter in cap. *Ad abolendam.de hæreticis.* Quod autem verba Chriſti non poſſint à Pſeudapoſtolis dici enunciatiuè, & practicè, niſi tantum hiſtoricè,& recitatiuè, ſicut dicerentur à quolibet Laico: patet euidenter primo, quia eiuſmodi Arcudiani Sacerdotes Clementini ad præſcriptum Pſeudapoſtolorum,& Clementis apocryphi, & Turriani Ieſuitæ, ſunt nudo nomine Sacerdotes Lutherici, ſolum electi ad exequendam ordinationem acceptam in Baptiſmo non autem ſunt veri Sacerdotes in forma Sanctæ Matris Eccleſiæ Romanæ conſecrati. Vnde tanquam merè laici,& falſi Sacerdotes, non poſſunt niſi recitatiuè,& hiſtoricè proferre verba Chriſti.Secundo patet quia tanquam Euchitæ,ſeu Euchitani,& Leuitici,ſeu Deprecatiui Sacerdotes,ex defectu Sacramenti Ordinis, non poſſunt niſi tantum deprecari pro conſecratione facienda. Sicut Laici & mulieres in Miſſa non poſſent enunciatiuè tranſubſtantiare, ſeu practicè dicere in perſona Chriſti, *Hoc eſt corpus meum*, niſi tantum deprecari poſſent,vt illud ſymbolum panis, ſeu vini,fieret corpus,& ſanguis Chriſti.

Tertio patet quia ijdem Pſeudapoſtoli, & Clemens apocryphus verè poſt prolata verba Chriſti, illa ſymbola panis, & vini vocant ἀντίτυπα Antitypa hoc eſt figuralia ſigna ſeu corpus,& ſanguis Chriſti in figura tantū:non verò realia ſigna in rei veritate continentia corpus, & ſanguinem Chriſti. Qua Catholica veritate nihil verius dici poteſt. Ex defectu enim Sacramenti Ordinis apud Arcudianos Sacerdotes illa ſymbola panis, & vini;non niſi Antitypa eſſe poſſunt Corporis, & ſanguinis Chriſti: non verò realia ſigna actualis realitatis corporis, & ſanguinis Chriſti. Quicquid Franciſcus Turrianus Ieſuita, & Bouius quidam Epiſcopus Tutores & Curatores Pſeudapoſtolorum, ac Clementis apocryphi, gratis & falſo contradicant ad illudendos Chriſti fideles,& Eccleſiam Catholicam.

CAP. 65. *Circa Sacramentum Pœnitentiæ.*

Quadrageſimaquinta hæreſis Pſeudapoſtolorum, & Clementis apocryphi, eſt circa Sacramentum Pœnitentiæ, quod è medio ſuſtulerunt ex lib. 7. cap. 15. alias 14. § *De Confeſſione.Odio habeto hypocriſim; mandata Dei ne contemnito; quæ a Deo per nos accepiſti ſeruato,nec addens aliquid,nec detrahens. Non addes enim ſermonibus eius, ne redarguat te,& mendax fias. Confitere Domino Deo tuo peccata tua. Et non ampllus addas ad ea, vt bene ſit tibi à Domino Deo tuo, qui non vult mortem peccatoris; ſed pœnitentiam, &c.* Ecce quomodo circa peccata ad ſolam confeſſionem Iudaicam, & Leuiticam Veteris Teſtamenti obligat fideles, vt confiteantur ea ſoli Deo, & nihil aliud addant ad ea. Ex qua doctrina,ſeu Conſtitutione Apoſtolica, immo Pſeudapoſtolica Septemtryonales omnes hæretici, negant neceſſitatem Confeſſionis auricularis,niſi ad ſolam conſolationem pœnitentium, ac conſultationem,& remedia præſcribenda, de euitandis occaſionibus peccatorum, &c. quæ dicitur manuſimpoſitio conſolatoria ex cap.*Filij uel heredes.de hæreticis in ſexto.*

Et hinc eſt quod Canones Apoſtolorum, ſeu Pſeudapoſtolorum, nullam primo

mentionem

Digitized by Google

mentionem faciunt Sacramenti Pœnitentiæ,ſeu Confeſſionis auricularis. Secundo reijciunt omne aliud Pontificale, ſeu omnes alios Canones Apoſtolorum, omneſque alias Conſtitutiones Apoſtolicas, præter hos Canones Pſeudapoſtolorum, ac præter has Conſtitutiones Pſeudapoſtolicas. Hinc eſt etiam quod Græci in Concil. Florentino reprehenſi ſunt ab Eugenio quarto, interrogati cur miſſas celebraturi nunquam peccata ſua confiteantur, &c.

CAP. 66.

Circa Sacramentum extremæ Vnctionis.

Quadrageſimaſexta hæreſis Pſeudapoſtolorum, & Clementis apocryphi, eſt circa Sacramentum Extremæ Vnctionis, quod nullo modo admittunt ex lib. 2 c. 16. alias 14. § *Oportet autem vos opem ferre infirmis periclitantibus, & quo ad fieri poteſt ſermonis exhortatione ſanare eos, & liberare à morte. Non enim opus eſt medico bene valentibus, niſi ijs, qui ægrotant. quoniam non eſt voluntas coram Deo, vt pereat vnus ex paruulis, &c.* Ecce quomodo nil aliud præſtandum eſſe concedit infirmis, niſi exhortatorias conſolationes, & curationes ab infirmitate corporali. Et hinc eſt etiam, quod Apoſtolorum Canones (qui ſunt compendium eiuſmodi Conſtitutionum Clementis apocryphi) nullo modo admittunt pro infirmis Sacramentum extremæ Vnctionis.

CAP. 67.

Circa Sacramentum Matrimonij.

Quadrageſimaſeptima hæreſis Pſeudapoſtolorum, ac Clementis apocryphi eſt circa Sacramentum Matrimonij in Monialibus profeſſis, quod Bigamia ſit iniqua poſt profeſſionem. Sed Trigamia ſit argumentum incontinentiæ. Tetragamia vero, et pentegamia &c. ſint manifeſta fornicatio in monialibus poſt profeſſionem, & rationem ibi reddunt dicendo § *quia Deus vnam mulierem vni viro tradidit in creatione. Erunt enim duo in carne vna. Adoleſcentioribus vero poſt primi viri obitum concedatur ſecundus, ne incidant in iudicium Diaboli, & in laqueos multos, atq; in libidines inſanas, &c.* Vbi vel ſtultitia eſt maxima, vel eſt peſſima nequitia eiuſmodi Pſeudapoſtolorum non audentium aperte loqui, quando blaſphemare, hæreſeſq; diſſeminare contingit. Loquentur enim in primo & ſecundo canone de Monialibus viduis, & in eis aiunt bigamiam eſſe iniquam, non propter matrimonium, ſed propter profeſſionem, & fidei ſeu promiſſionis præuaricationem. Trigamiam autem non cenſurant neq; dicunt eſſe iniquam, ſed ſolum eſſe argumentum incontinentiæ. cum tamen multo iniquior ſit in monialibus profeſſis, quam ſit Bigamia & ſit Matrimonium nullum, quia ſolemnis profeſſio monialium eſt impedimentum impediens contrahendum ac dirimens contractum. Trigamiam vero, & omnes vlteriores nuptias aiunt eſſe manifeſtam fornicationem, ac ſi bigamia fuiſſet obſcura fornicatio. Cum tamen fornicatio ſit inter ſolutum & ſolutam. Inter moniales vero Deo ſacratas ſit ſacrilegium, & oppoſitum ſit contra ſenſum, & doctrinam Sanctæ Matris Eccleſiæ, ac conſequenter hæreticum, ac hæreticaliter damnatum in *cap. Ad abolendam. de hæreticis*. Item hæreticum eſt monialibus adoleſcentioribus concedere ſecundas nuptias poſt profeſſionem. Quod ſi Pſeudapoſtoli loquetur de Viduis laicis, & non profeſſis hæreticum eſt eis denegare ſecundas & vltiores nuptias contra conſilium Apoſtoli. *Si vrit nubat. &, Mulier mortuo viro ſoluta eſt à lege. cui voluerit in Domino nubere, nubat, &c.*

Vnde ſtulta & hæretica eſt illa ratio Pſeudapoſtolorum, quod Deus vnam tantum mulierem Euam conceſſit Adæ in creatione, Ergo cenſuenda eſt Bigamia, ſeu Trigamia, ſeu Quadrigamia, &c.

CAP. 68.

Quadrageſimaoctaua hæreſis Pſeudapoſtolorum & Clementis apocryphi, eſt. ob introductam Quadrageſimam ſex dierum lib. 5. cap. 16. § *Præcepit igitur nobis vt ieiunaremus ſex his diebus propter Iudæorum impietatem, atq; iniquitatem. Admonens nos vt eos ob interitum lugeamus, atq; deploremus. Etenim ille quoq; illacrymatus eſt In quarta feria, & Paraſceue nobis ieiunium indixit, In illa ob proditionem. In hac ob paſſionem. deſinere autem ieiunium, in ſeptima die in galli cantu. Iuſſit in Sabbato ieiunare, non quod oporteat in Sabbato ieiunare, cum in eo ceſſatio conditi operis ſit. Sed in illo tantum Sabbato ieiunare oportet, in quo opifex ipſe ſubtus terram manſit, & in eodem lib. 5 c. 19* alias 18.

§ *In diebus Paſcha ieiunate, incipientes à ſecunda Sabbati, vſq; ad Paraſceuen & Sabbatum dies ſex, ſolo pane vtentes, ſale atq; oleribus, & aqua in potum. A vino & carnibus vos abſtinete ijs diebus: ſunt enim dies Luctuoſi, non feſti. Paraſceue attamen, & Sabbatum integrum ieiunent qui quidem poſſunt, nihil guſtantes vſq; ad galli cantum noctis. Quod ſi quis non poteſt duorum dierum ieiunium continuare: ſeruet tamen Sabbatum. ait enim Dominus Matth. 9. quando diſcedet ab eis ſponſus ieiunabunt in ijs diebus, ijs ergo diebus ſublatus eſt à falſis Iudæis, & crucifixus eſt, & cum impijs reputatus*. & eodem lib. 5. cap. 19. alias 20. § *quare monemus vos, vt ieiunetis per hos dies quemadmodum cum nobis ipſe ereptus eſt vſq; ad veſperam. Idq; ſit vobis ieiunium legitimum ſolemneq; in perpetuum, vſq; ad conſummationem ſeculi, quo ad venerit Dominus. & § Poſt feſtum Pentecoſtes celebrate vnam hebdomadam, poſt quam ieiunate alteram hebdomadam. æquum eſt enim & lætari Dei dono, & ieiunare poſt hilaritatem, &c. & § Per hebdomadam reliquis in omni quarta feria, & Paraſceue præcipimus vobis vt ieiunetis in omni Sabbato (excepto vno) atq; in omni die dominico conuentus celebrãtes exhilaramini. obnoxius eſt enim peccato, qui die dominico ieiunat, cum ſit dies reſurrectioni dicatus; quique in Pentecoſte atq; omnino in die Feſto Domini, mœſtitiam præfert. Per hos enim dies exhilarari oportet, non lugere, &c.* & lib 7. cap. 36. alias 37. § *Domine omnipotens mundum per Chriſtum condidiſti, & Sabbatum propter id inſtituiſti, quoniam in eo quieuiſti ab operibus, in meditatione tuarum legum, feſtaq; præcepiſti in lætitiam animarum noſtrarum, vt memoriam recoleremus* (in ijs feſtis ſabatinis nimirum) *creata à te ſapientia quemadmodum propter nos naſci velut ex muliere, apparuit in vita, demonſtrans ſe in Baptiſmo quod Deus & homo erat, &c.* Vbi multæ blaſphemiæ hæreticaliter inſinuantur. Primo quod ſit præceptum Chriſti vt vno tantum Sabbato ieiunandum ſit. ad condemnandum eos qui Eccleſiam Romanam in quolibet Sabbato ieiunant, contra Chriſti expreſſam prohibitionem hanc. Secunda hæreticalis blaſphemia eſt. quod Chriſtus indixerit ieiunium feriæ quartæ, & ſextæ in qualibet hebdommada, ad condemnandam Eccleſiam Romanam id nullo modo admittentem ex præcepto Chriſti. Tertia blaſphemia hæreticalis eſt, ad feſtum diem inſtituendum in quolibet Sabbato; hoc eſt ad iudaizandum, & exhilarandum: ac carnibus veſcendum in Sabbato cum Iudæis, ſicut & in feſto die dominico. Quarta blaſphemia hæreticalis eſt, quod inde deducitur, in ſolo nimirum die Sabbati & dominicæ in Quadrageſima celebrandam eſſe Miſſam conſecratoriam Euchariſtiæ, in reliquis vero diebus abſtinendum eſſe, & non niſi Miſſam Præſanctificatorum admittendam: quia Miſſam celebrare idem eſt, ac diem Feſtum agere. dies vere ſolemnis & feſtus non eſt niſi dies dominicus & dies Sabbatinus in Quadrageſima aut dies Annũciationis, ſeu alicuius Apoſtoli, & hoc ad condemnandam conſequenter Eccleſiam Romanam, totum contrarium ſentientem, ac ſeruantem. quinta hæreſis eſt vt ex præcepto Chriſto in Quadrageſima Maiori, ad abſtinentiam tantum teneamur, non vero ad ieiunium, toto Quadrageſimali tempore, niſi feria quarta, & ſexta. Sed vltima hebdomada omnibus ſex diebus continuis teneamur ad continuum ieiunium. Idq; ex ſpeciali præſcripto Chriſti, nedum ex hac Conſtitutione Apoſtolica, ſeu potius Pſeudapoſtolica. quod omne tanquam contrarium ſenſui & doctrinæ ac praxi Sanctæ Matris Eccleſiæ hæreticaliter damnatur in cap. *Ad abolendam de hæreticis*. Vltima hæreſis eſt quod feſtum Sabbati celebrandum ſit in memoriam creatæ a Deo ſapientiæ, quemadmodum pro nobis natus, & mortuus eſt. quæ eſt Ariana hæreſis circa Filium per excellentiam dictum Deum ſimul & hominem ſupra omnes alios homines ſanctum & diuinum.

CAP. 67. *Circa Paſcha.*

Quadrageſima nona hæreſis Pſeudapoſtolorum & Clementis apocryphi; eſt l. 5. cap. 17. alias 18. circa rationem ſeruandi Paſcha. quod patet ex ipſomet Commentatore, & Defenſore Bouio eodem lib. 5. cap. 17. ſeu 18. §. *In capite 18. quinti libri, in quo traditur ſeruandi Paſcha ratio, nihil iam annotandum eſt. Sed id totum potius delendum, & nothum ac nouum (hæreticaliter adiectum) quod luce clarius perſpici poteſt ex Epi-*

phanij

phanij diſputatione qua vtitur aduerſus Audianos imitantes in Paſcha obſeruatione Iudæorũ conſuetudinem. Narrat enim Epiphanius Audianos ſententiam ſuam defendiſſe auctoritate huius Conſtitutionis Apoſtolorum, in qua cauebatur ne alium calculum paſcha facerent ipſi ſed agerent paſcha, quãdo fratres ſui de Circumciſione agerent, atq; id vna cum eis celebrarent. Quare tantum abeſt vt ea, quæ in hoc capite legimus, Apoſtoli ſtatuerint, vt etiam contraria horum ab ipſis præcepta videantur. Sed quid opus eſt aliunde argumenta petere? ipſa conſtitutio ſe prodit. & tantum non vocem emittens, clamat ſe nouam eſſe. Ait enim æquinoctium fieri vigeſima ſecunda menſis Dyſtri ſeu Martij. Perſpicuũ eſt autẽ Chriſti tempore æquinoctiũ fuiſſe 25. Martij, &c. Hæc Bouius ipſemet Cõmentator, & defenſor Pſeudapoſtolicarũ eiuſmodi Conſtitutionũ hæreticaliter adiecta teſtatur, quid clarius?

Quinquageſima hæreſis Pſeudapoſtolorum, eſt in eorum Canone vltimo ſeu 85. vbi canonizant has omnes hæreticales Conſtitutiones Clementis apocryphi cum ipſis quattuor Euangelijs comparandas eaſque tanquam Catholica doctrinam ab omnibus ſuſcipiẽdas eſſe mandant, ſeu potius blaſphemant; ſi. § *Noſtra vero noui Teſtamenti euangelia quattuor, & Cõſtitutiones, quæ vobis Epiſcopis per me Clementem, in libris octo nuncupata ſunt, quas publicare non oportet ob quædam myſteria, & arcana, quæ in ſe continent, & Actus noſtros Apoſtolorum, &c.* Cũ tamen nulla arcana aut myſteria Diuina contineant, niſi hæreticalia ſacramenta, & diabolicas inuentiones Euchitanas ad funditus euertendam Eccleſiam Catholicam Romanam, eiuſq; enunciatiua Sacramenta è medio tollendum, per introductionem Sacramentorum Euchitanorum ſeu deprecatiuorum, ſeu nõ enunciatiuorum, iuxta regulas contrariorum, in quibus *Incluſio vnius eſt excluſio, & deſtructio alterius.* atque hæc breuiter tetigiſſe ſatis ſit modo. alias enim fuſius ea perſequemur. CAP. 70.

Concluſiones Theologicæ Sereniſs. Principi Veneto Franciſco Erizzo, ac Illuſt. & Reu. Domino Legato Apoſtolico Franciſco Vitellio, Archiepiſcopo Theſſalonicenſi dicatæ.

Contra hæreticaliter adulteratum Doctorem Petrum *Arcudium, eiuſque defenſores quoſcunque.*

Quoniam in primo Tractatu meo, Veræ vtriuſq; Eccleſiæ Concordiæ, Sereniſſimæ Celſitudini Tuæ dicato; ac Illuſtr. Dominationi Tuæ Legate Ampliſſime præſentato, Italogræcus ego Rhegynus. ſolus & Primus Euchitanam doctrinam ſeu formã nudè, & præciſè deprecatiuam, in fide Sacramentorum Sanctæ Matris Eccleſiæ Romanæ falſam & erroneã, ſeu hæreticam eſſe demonſtraui ex principijs Latinorum, contra adulteratos fortaſſe libros ferè omnes Ieſuitarum, præſertim Cardinalis Toleti, ac Cardinalis Bellarmini: ideo eoſdem Ieſuitas excuſo ac defendo, tanquam præter eorum catholicam mentem & ſententiam, hæreticaliter in typographia adulteratos. Ex duplici enim capite tãtus Euchitanus ſeu deprecatiuus error hæreticalis, in Eccleſiam per Ieſuitas irrepere potuit: Vel ex ignorantia librorum Perihermenias; Vel ex malitia fauendi, & introducendi, ac defendendi hæreſim Euchitanam, nudèq; deprecatiuam formam ſacramentorum, ad deſtruendam tacitè & conſequẽter in ſingulis ſacramentis oppoſitam eſſentialiter enunciatiuam formam Sanctæ Matris Eccleſiæ Romanæ, iuxta regulas Contrariorum, in quibus, *Incluſio vnius, eſt excluſio & deſtructio alterius.* Cum enim ex primo Perih. c. 4. idẽmet Gentilis Ariſtoteles cognouerit inſufficientiam, inualiditatemque, ac falſitatem orationis deprecatiuæ, ideo illam excluſit ab ipſa Tota philoſophia iubens illam valere, eo quod, Ἡ μὲν, εὐχὴ λόγος οὔτε ἀληθής, οὔτε ψευδής ἐστι. hoc eſt. Oratio deprecatio (ideſt deprecatiua) *neque vera neque falſa eſt.* Cuius rei ibi S. Thomas, & Boetius rationem aſſignant. Quia cum duplex in homine vigeat potẽtia, Intellectus ſcilicet, & Voluntas, ac diſtinctum ſit eorum obiectum, ac diſtinctus ſit modus tendendi in proprium obiectum; diſtincta quoque oratio inſtituta fuerit ad explicandam hanc diſtinctam tendentiam potentiarũ, & obiectorum. Tendit enim intellectus in ens, & quatenus verum, ſeu falſum eſt; cognoſcit ipſum, ad quod exprimendum inſtituta fuit oratio enunciatiua veri, ſeu falſi. Econtra verò voluntas quia cæca, non tendit in obiectum quatenus verũ, ſed quatenus bonum eſt, ſeu apparet ſibi bonum. ad quod ſignificandum inſtituta fuit oratio deprecatiua, ſeu optatiua, quæ conſequenter eſt ſignum ſolius affectus noſtri, ſeu voti, & deſiderij reſpectu futuritionis rerum; non vero eſt ſignum effectus actualis rerum. nemo enim prudens deſiderat, quod actu tenet. Vnde ſtultum eſt confundere has duas ſpecie differentes eſſentialiterque diſcrepantes orationes; ſicut ſtultum eſt tollere diſcrimen præſentialitatis, ac futuritionis eiuſdem rei, ac confundere has duas potentias intellectus, & volũtatis, eorumque diſtinctam tendentiam, in diſtinctum formaliter obiectum negare. Quod

Digitized by Google

omne eſt maximum argumentum ignorantiæ librorum Perihermenias, quę nullo modo adſcribenda eſt Doctiſſimis Ieſuitis Et ideo iure credendum eſt piè eorum libros potius adulteratos in hoc fuiſſe hæreticaliter, vbi confundunt in ſacramentis has duas eſſentialiter pugnantes, & diſcrepantes ſpecies orationis enunciatiuæ, & non enunciatiuæ, ſed deprecatiuæ: ſi alicubi æquipollere ſentiunt, & docent in Baptiſmo, ſeu Confirmatione formam illã deprecatiuam Græcorum, *Baptizetur ſeruus Dei* enunciatiuæ formæ Latinorũ, *Ego te baptizo*. quod non ſolum eſt falſum, & erroneum in fide ſacramentorum; ſed etiam eſt ſtultiſſimũ, ac maxima ignorantia librorum Perihermenias, ac proteruia, & deceptio fidelium. Et ideo nullo modo tribuẽdum Ieſuitis, niſi eorum hæreticaliter in hoc deprauatis libris omnibus. Aliud caput ex quo tantus error in Eccleſiam Sanctam Dei irrepſiſſe potuit, eſt hæreticalis aſtutia fauendi hæreticis Euchitis, ſeu Nouatianis, qui ad deſtruenda omnia enunciatiua ſigna practica ſacramentorum Eccleſiæ Romanæ, & ad remouendum ſacramẽta à ratione eſſentiali ſigni demonſtratiui actu, hic, & nunc, ac præſentialitatis effectus externi, cauſantis præſentialitatem effectus interni, introduxerunt ſacramentorum omnium formas dũtaxat deprecatiuas futuritionis effectus, expectandi à Deo; non admittentes ſacramentum eſſe ſignum practicum, præſentialitatis effectus à miniſtro actu, hic, & nunc cauſandi inſtrumentaliter; & conſequenter negantes Claues miniſteriales Eccleſiæ in baptizando, confirmando, ſeu abſoluendo, & ligando; ac ad ſolum Deum recurrentes, vt Deus ipſe baptizet, ſeu conſignet, ſeu abſoluat &c. quæ fuit Euchitarum ratio finalis, introducendi formas vndè & præcisè deprecatiuas, ad deſtruendum contrarias formas enunciatiuas miniſterialium Clauium Eccleſiæ, quibus vere dicatur, *Ego te abſoluo, Ego te conſigno, Ego te baptizo, &c.* iuxta regulas Contrariorum in quibus, *Incluſio vnius eſt excluſio, & deſtructio alterius Contrarij.* Enũciatiua vero oratio & non enunciatiua, ſunt Contrariæ orationes ad contradictionem accedentes. Vnde incluſio, ſeu veritas formæ deprecatiuæ Græcorum, ſeu Euchitarum in Baptiſmo, ſeu Conſignatione, ſeu Abſolutione, *Baptiza Domine, ſeu Conſigna Deus, &c.* defert ſecum ipſiſſimam falſitatem Baptiſmalis formæ Latinorum, *Ego te Baptizo*, & ſimiliter in reliquis Sacramentis. Neque ex hoc capite Ieſuitis tanquam religioſiſſimis, & ſanctiſſimis adſcribẽda eſt approbatio formæ deprecatiuæ in Baptiſmo, ſeu Confirmatione, niſi eorum catholicorum librorum hæreticalibus adulteratoribus. His ergo de cauſis Sereniſs. Princeps, ac Illuſtr. Legate Apoſtolice Archiepiſcope Vitelli, defendo & excuſo Doctiſſimos, & Religioſiſſimos Ieſuitas tanquam hæreticaliter adulteratos, non vero tanquã loquutos ex propria ſententia in admittenda indifferenter tam forma ſacramentorum deprecatiua, quàm forma enunciatiua, ſeu non deprecatiua, quod dicit contradictionem, neque de potentia abſoluta Dei fieri poteſt, vt ex vi ſacramenti, vnum idemque ſacramentum, ſit ſimul ſignum enunciatiuum, ac non enunciatiuum, ſeu ſit ſignum practicum & non practicum; ſeu ſit ſignum expreſſiuum praxeos, & non expreſſiuum praxeos actualis, hic, & nunc; vel ſit ſignum præſentialitatis, & non præſentialitatis; ſed futuritionis rerum. Confirmatur euidenter, & de fide nam cum in ſingulis ſacramentis Sancta Mater Eccleſia præmittat formam deprecatiuam, mox ſubiungat formam non deprecatiuam; ſed enunciatiuam, firmum eſt de fide quod talis præcedens forma nudè deprecatiua, nullo modo eſt ſufficiens forma ſacramenti, ſecus erraret Sancta Mater Eccleſia (quod abſit vel cogitare) ſr um ſacrilegio iteraret ſuper eadem materia proxima plures ſufficientes formas vnius eiuſdemq; ſacramenti. Vnde Conc. Trid. ſeſſ. 14. de Pœnit. c. 3. dogmaticè docet, quod forma deprecatiua nullatenus æquipollet formæ non deprecatiuæ, ſeu enunciatiuæ his verbis § *Docet præterea Sãcta Synodus formam ſacramenti Pœnitentiæ in illis verbis ſitam eſſe (Ego te abſoluo, & cætera) quamquam de more Eccleſiæ, prę mittuntur preces aliquæ, in quibus nullo pacto conſiſtit vis huius ſacramenti; neque ad huius ſacramenti eſſentiam ſpectant, &c.* Quid clarius de fide, concilium docere potuit dogmaticè de forma nudè deprecatiua, ſeu Euchitana? eò quòd nullo modo, neque in Pœnitentia, neque ex paritate rationis in alijs ſacramentis, ſit ſufficiens, aut valida aut æquipollens formæ enunciatiuæ? Et tamen poſt Conc. Trid. inuenimus omnium fere Ieſuitarum libros, totum oppoſitum ſentientes, & docentes contra Concilium ipſum Tridentinum. nempe quod forma deprecatiua ſit ſufficiens, ac valida forma, & æquipollens formæ non deprecatiuæ, ſeu enunciatiuæ; non ſolum in Baptiſmo, & Confirmatioue; ſed etiam ex paritate rationis, in vnoquoque alio ſacramento. Vnde Cardinalis Toletus in Inſtit. Sacerd. in forma ſacram. Baptiſmi docet differen-

Digitized by Google

differentiam inter formam Græcam,& Latinam eſſe,quia forma Latinorum ſignificat pre-
ſentialitatem effectus,èeontra vero forma Græcorum dicit futuritionem effectus,expectā-
di à Deo. & tamen concludit Græcos vere baptizare, ſub illa eorum deprecatiua futuritio-
nis forma,*Baptizetur ſeruus Chriſti*, Hanc eandem Euchitanam, ſeu Nouatianam doctrinam
veritatis,ac validitatis,& ſufficientiæ formæ deprecatiuæ,adulterati hæreticaliter libri Ca-
tholici Cardinalis Toleti,ſequutus fuit etiam adulterator libri catholici Cardinalis Bellar-
mini,in forma ſacramenti Confirmationis,c. 10. vbi ſentit & docet valere,ac æquipollere in
Sacramentis vtramque formam,tam deprecatiuam,quam non deprecatiuā,quia Græci ve-
re baptizant ſub eorum forma deprecatiua,*Baptizetur ſeruus Chriſti*,& quia olim Eccleſia Ro
mana confirmabat ſub forma illa deprecatiua,*Signa hunc Domine ſigno Crucis,&c.* quod eſt cō
tradictorium.neq; de potentia Dei abſoluta fieri poteſt,quia eſſentia ſacramenti conſiſtit in
indiuiſibili ratione ſigni vel deprecatiui,vel non deprecatiui. Vnde ſi vera eſt forma depre-
catiua Baptiſmi Græcorum,falſa erit conſequenter forma nō deprecatiua Baptiſmi Latino
rum. ſicut in extrema Vnctione docet Suarius quod ſi vera eſt ibi forma deprecatiua *Parcat
tibi Deus,ſi quid deliquiſti*,tunc falſa erit forma illa non deprecatiua,ſed enunciatiua,*Parcit ti
bi Deus,ſi quid deliquiſti.* quia duæ formæ eſſentialiter in ratione ſigni practici diſcrepantes,
non poſſunt eſſe conſtitutiuæ vnius,eiuſdemq; Sacramenti. Et tamen apud adulteratū hæ-
reticaliter librum Catholici Cardinalis Bellarmini totum oppoſitum legitur de Confirm.
c. 10. § *Olim Eccleſia Romana ex Alcuino in officio Sabbati Sancti & ex Amalario in Sacramento Con
firmationis ſignabat,ſub forma illa deprecatiua (Signa hunc Domine ſigno Crucis,Confirmo te in nomi
ne Patris,& Filij,& Spiritus ſancti) modo autem eadem Eccleſia conſignat enunciatiuè dicens (Ego cō-
ſigno te ſigno Crucis,&c.) quod non refert quia ſemper ſignificamus Deum eſſe principaliter,qui ſignat,
& hominē eſſe qui ſignat miniſterialiter ſic non refert ſi de more græco dicatur,(Baptizetur ſeruus Chri-
ſti) vel de more Latino,(Ego te baptizo,) quia nimirum æquipollent forma deprecatiua, ac forma nō de-
precatiua,ſeu enunciatiua,&c.* Hoc autem omne adulterinum eſſe conſtat, neque Sanctiſſimo
Bellarmino adſcribendum,quia multos ſimul continet errores in fide ſacramentorum. Pri-
mo quod olim Eccleſia Romana conſignauerit ſub deprecatiua illa forma, *Signa hunc Deus
ſigno Crucis*,modo autem conſignet ſub non deprecatiua forma,ſed tantum ſub enunciatiua,
Ego conſigno te ſigno Crucis.quod eſt hæreticum tribuere Eccleſiæ Romanæ,quia nō fuiſſet ve-
rum illud Sacramentum Confirmationis,ſub forma deprecatiua. Vnde rectè Suarius con-
tradicit doctrinæ Bellarmini, docens in Sacramento Confirmationis,quòd Alcuinus, & A-
malarius non integre retulerint formam conſignationis,niſi ſub compendio, ſicut in edicto
Conſtantini inſinuata tantum fuit, non vero integre relata eſt eadem forma Conſignatio-
nis quicquid gratis diſſentiat Bellarminus adulteratus. Secundus error eſt in fide,quod for-
ma deprecatiua æquipolleat formæ non deprecatiuæ,quod eſt ſtultiſſimum ne dum falſiſſi-
mum. Si enim æquipollerent, tunc idem eſſent inter ſe forma deprecatiua & forma non de-
precatiua, quia eſſent idem per te vni tertio ſacramento conſummando. Et ſic nihil aliud ſi-
gnificaret,neque aliud preſtaret forma enunciatiua quam forma deprecatiua: quod eſt pluſ-
quam hæreticum,ne dum ſtultiſſimum ſentire & docere ac maxima eſt ignorantia librorum
Perihermenias. Tertius error hæreticalis eſt, quod ſacramentum non eſt eſſentialiter ſignū
praxeos actualis externæ,& internæ ſeu præſentialitatis effectus: ſed quod ſit,vel eſſe poſſit
contrarium ſignum futuritionis. quod implicat contradictionem; Vel quod ſimul ſit ſignū
deprecatiuum & non deprecatiuum; ac ſignum enunciatiuum,& non enunciatiuum; ac ſi-
gnum practicum & non practicum,ſeu ſignum actualis praxeos hic & nunc; ac non actualis
praxeos ſed futuritionis,&c. Vltimus hæreticalis error Euchitanus ſeu Nouatianus eſt, qđ
introducta,ſeu verificata validitate formę deprecatiuę,è medio tollitur cōſequēter veritas,
& efficacia contrariæ formæ non deprecatiuæ, ſed enunciatiuę,iuxta regulas Cōtrariorū in
quibus,*Incluſio vnius eſt excluſio ac deſtructio alterius*. Non enim duæ formæ, eſſentialiter in-
ter ſe pugnantes, in ratione ſigni actualis, & practici, conſtitutiuæ eſſe poſſunt vnius, eiuſ-
demque ſacramenti. Vnde qui admittit formam deprecatiuam in vno ſacramento,in eodem
re ipſa & reuera reijcit formam non deprecatiuam, quia veritas formæ deprecatiuæ defert
ſecum falſitatem formæ non deprecatiuæ. Et ſic qui defendit validam eſſe deprecatiuam il-
lam formam Græcorum,*Baptizetur ſeruus Chriſti*,negat & impugnat conſequenter,& reipſa
excludit non deprecatiuam Latinorum illam formam,*Ego te baptizo*,quā non niſi nudis ver-

bis,

Digitized by Google

bis,ad proprium errorem proteruè palliandum admittit,ſibi cõtradicens. Quare omnes Ieſuitæ admittentes veritatem formæ deprecatiuæ in Baptiſmo,& Confirmatione non ſolum reijciunt & impugnant conſequenter falſitatem formæ enunciatiuæ in ipſis Sacramentis Baptiſmi,& Confirmationis,ſed ex paritate rationis in vnoquoque Sacramento eandem falſitatem formæ enunciatiuæ impugnant,& ſolam veritatem formæ deprecatiuæ admittunt re ipſa ac tacitè & conſequenter, quia Vnius rei vna eſt eſſentialis forma,in indiuiſibili ſpecie conſiſtens. Et ſic Græci illi omnes,qui aſſeclæ ſunt Nicolai Cabaſilæ,& Simonis Theſſalonicenſis,quos citat & admittit Bellarminus in libro de Extrema Vnctione c 4. §.ſi conſequenter admittunt ſolam veritatem eorum formæ deprecatiuæ in Sacramento Euchariſtiæ,ac pariter reijciunt & impugnant falſitatem enunciatiuæ formæ Latinorum, quia veritas formæ deprecatiuæ in vno Sacramento defert ſecum falſitatem formæ non deprecatiuæ in eodem Sacramento. Atque his de cauſis in meo Tractatu piè credo, & defendo Ieſuitarum omniũ ferè præſertim vero Cardinal Toleti,& Cardin. Bellarm. libros,hæreticaliter, præter eorũ orthodoxam mentem, adulteratos fuiſſe in hac materia, & ſententia admittendi vtramque diſparatam,ſeu contrariam formam ſacramentorum(quæ in contradictionem reducitur)formã ſ. deprecatiuam,& non deprecatiuã His autem non obſtantibus Sereniſs. Princeps, ac Legate Illuſtr.cum mihi maximæ gratiæ eſſent habendæ,eo quod ita defendam.& excuſem Ieſuitas omnes cum Bellarm.ac Toleto,tanquam in hoc hæreticaliter præter eorum orthodoxam mentem adulteratos: Ecce hodierno die quendam Patrem Abbatẽ publice mihi inſultantem ac inſurgentem contra me,tanquam gratis,& falſo excuſantem Ieſuitas cum Toleto & Bellarm.eo quod Bellarm. & Tolet. ex propria ſententia loquuti fuerint de veritate Euchitanæ ac Nouatianæ formæ deprecatiuæ,contra enunciatiuam formam Sanctæ Matris Eccleſiæ Romanæ in qua propria ſententia nullo modo hęreticaliter adulterati fuerunt,falſa vero fictaque ſit omnis mea excuſatio,ac defenſio. Vnde ad hæreticalem ſenſum Euchitanum ac Nouatianum idem Abbas omnes ferè Ieſuitas etiã reluctantes cõtradicentesq; trahit,omnemq; ab eis excuſationem ac defenſionem meam negat & impugnat. Quoniã vero hoc omne falſum,maximaque eſt ignorantia doctrinæ Perihermenias,ideo nullo modo adſcribendum eſt ipſis Doctiſſimis Sanctiſſimiſq; Ieſuitis. quare neſcio quo ſpiritu ductus idẽ Pater Abbas hæc docere audeat. Et ideo humillimè genuflexus corã Serenitate Tua, Tuaq; Amplitudine Illuſtr.& Reuerend. Legate Vitelli inſtantiſſime ſupplico, vt publice accedat idem Pater Abbas ad conuincendũ me, omneſque & ſingulos errores Tract.mei Primi,vel Secundi in ſubiectis præſertim Concluſ.quas ipſe negat contra catholicam doctrinam meã. Concl.1.Quicquid in 1.& 2.Tract in defenſionem ss.Patrum Græcorum, contra adulteratum Doctorem Petrum Arcudium dixi,ac probaui,Catholicè & ſatis orthoxè dictũ,& probatum eſt;& omnes defendẽtes ipſum Arcudium & alios Arcudianos Græcos Ieſuitas, errant pariter in fide cum ipſo Arcudio ac Ieſuitas hæreticaliter adulteratis,circa Euchitanã, ac Nouatianam formam deprecatiuam, tãquam imperitiſſimi librorum Perihermenias, vel fautores,ac defenſores hæreſeos Euchitanæ damnatæ ex principijs Eccleſiæ Romanę. Cõcl. 2.falſum, & erroneum eſt in fide,ne dum contradictorium, neq; per Dei potentiã poſſibile eſt,vt vnum idemq; ſacramentum, formaliter & ſpecifice,ſimul eſſe poſſit deprecatiuũ, & non deprecatiuum,aut enunciatiuum & nõ enunciatiuum;ſeu practicum,& non practicũ; hoc eſt eſſentialiter ſignificatiuum actualis praxeos,ſeu præſentialitatis effectus externi, & interni;ac nullius actualis praxeos ſignificatiuum,neq; præſentialitatis,ſed futuritionis effectus Et oppoſitum eſt maxima ignorantia librorum Perihermenias,ac definitionis Sacramentorum.Concl.3 Qui includit & admittit,in Baptiſmo ſeu Confirmatione Euchitanam, ac Nouatianam,ſeu deprecatiuam illam formam,gratis & falſo Græcis adſcriptam,*Baptizatur ſeruus Chriſti; Cõſigna Domine hunc famulum tuum.&c.* is velit nolit, re ipſa vere reijcit,& negat(licet tacitè & conſequenter)contrariam illam formam non deprecatiuã Sanctæ Matris Eccleſiæ Romanæ, *Ego te baptizo, Ego te conſigno.&c.* iuxta regulas cõtrariorum in quibus, *Incluſio vnius,eſt excluſio ac deſtructio alterius.* Vnde non niſi nudis verbis externis, ad propriũ errorem, ſeu hæreſim Euchitanam palliandam admittit vtramq; contrariam formam, tam deprecatiuam,quam non deprecatiuam quod eſt contradictorium.Concl.4.Deſtruit eſſentialem rationem vnius, eiuſdemq; Sacramenti enunciatiui, qui vtramq; contrariam formã eius admittit,negatq; ſacramentum eſſe ſignum practicum,ſeu praxeos,& actualis præſentialitatis

tialitatis

Digitized by Google

tialitatis effectus externi, & interni; dum formam non practicam ſed deprecatiuam futuri-
tionis effectus admittit. Concl. 5. Qui formam nudè Euchitanam, ſeu Nouatianam admittit,
ſeu defendit recurrendum eſſe ad ſolum Deum, vt is abſoluat, ſeu cõſignet, ſeu baptizet, hic
reuera negat cauſalitatem cauſarum ſecundarum, ſeu cum hæreticalibus adulteratoribus li-
bri Ieſuitarum negat claues Eccleſiæ, per quas miniſtri, ſibi ipſis tribuere debẽt miniſteria-
lem actum abſoluendi, conſignandi, & baptizandi in nomine principalis agentis. Concl. 6.
falſum & erroneum eſt in fide, ne dum maxima ignorantia librorum Perihermenias eſt, sẽ-
tire & docere cum adulterato Petro Arcudio, ac adulteratis Ieſuitis quod forma nudè de-
precatiua æquipolleat formæ non deprecatiuæ, ſeu formæ enunciatiuæ. quia vt ſic, eſſent v-
num idemq; inter ſe, dum identificatur in vno tertio conſummando ſacramẽto. Et ita ora-
tio illa enunciatiua, *Ego te baptizo*, faceret ſenſum hunc deprecatiuum, *Baptiza Domine hunc
ſeruum tuum*. Vnde nunquam eſſet vera forma Baptiſmi, dum per te facit ſenſum deprecа-
tiuum Euchitanum, & hæreticalem. Concl. 7. falſum, & erroneum eſt in fide ſentire, & do-
cere, quod Confirmationis forma, partim eſſe poſſit deprecatiua, & partim nõ deprecatiua,
& quòd tam pars deprecatiua, quam non deprecatiua æquipolleant inter ſe, & valeat ſi di-
catur ex Bellarm. adulterato, *Conſigna Domine hunc famulum tuum ſigno Crucis, Ego te confirmo
chriſmate ſalutis in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti. Amen.* Si enim vna pars Sacramenti
Confirmationis deprecatiua eſſe poteſt, ex paritate rationis deprecatiua ſimiliter eſſe pote-
rit altera pars, & ſic totum ſacramentum deprecatiuum eſſe poterit. præter quam quod ly
Confirmo te in nomine Patris, & Filij & Spiritus ſancti, nullo modo ſufficiens enunciatiuũ ſacra-
mentũ Confirmationis eſſe poteſt, vt fuſius docet Suarius de Confirmatione. deeſt enim eſ-
ſentialis expreſſio materiæ chriſmatis, ac eſſentialis expreſſio enunciatiuæ conſignationis,
& oppoſitum eſt maxima proteruia vel ignorantia. Concl. 8. falſum & erroneum eſt in fide
ſacramentorum, ſentire, & docere quod idem ſignificet, & efficiat forma deprecatiua, ac
forma non deprecatiua, ſeu ly *Conſigna hunc Domine, ſigno Crucis & Ego te conſigno ſigillo Cru-
cis, ſeu ly Ego te baptizo, & Baptizat te Deus, ſeu Baptizetur ſeruus Chriſti* quod deſumptũ eſt ex ly
Act. 2. *Baptizetur vnus quiſq; veſtrum in nomine Domini*. Concl. 9. Forma nudè & præcisè de-
precatiua, & principijs Eccleſiæ Romanæ, in nullo ſacramento eſt valida, ſeu æquipollens
formæ enunciatiuæ; Vnde neq; ipſum etiam Sacramẽtum Extremæ Vnctionis, nudè depre-
catiuum valet, niſi iungatur cum indicatiua oratione, demonſtratiua præſentialitatis actua-
lis vnctionis externæ, cauſantis actualem præſentialitatem vnctionis internæ, ſaltem dicẽdo
per nomen illud verbale, *Per iſtam ſanctam vnctionem, &c.* nõ valet autem, ſi præcisè dicatur
tantum, nudè deprecatiua illa forma, *Parcat tibi Deus, ſi quid deliquiſti*. Quare multo minus
eadem forma nudè deprecatiua valebit in reliquis ſacramentis ſi non valet in ipſamet ex-
trema Vnctione. Concl. 10. Falſum & erroneum eſt in fide, ſentire, & docere quòd olim Ec-
cleſia Romana ex Alcuino, ſeu Amalario cõſignauerit ſub forma deprecatiua modo autem
mutauerit formam deprecatiuam in formam nõ deprecatiuam, ſed enunciatiuam. Erraſſet
enim olim Eccleſia Sancta Dei (quod abſit vel cogitare) ac non habuiſſet. ſeu non confeciſ-
ſet verum Sacram. Conſignationis per formam deprecatiuam. Vnde Catholica eſt cenſura
Suarij diſſentientis ac contradicentis in hoc ipſi adulterato Bellarm. ac docentis. quod Al-
cuinus & Amalarius non integre; ſed ſub compendio ſolum retulerint formam illam Sacr.
Confirm. ſicut ſub compendio relata fuit in Edicto Conſtantini. Concl. 11. Error eſt Typo-
graphi apud Conc. Florent. tribuere Græcis quod baptizent ſub illa futuritionis forma de-
ſumpta Act. 2. *Baptizetur ſeruus Chriſti*. quod omnino eſt falſum, ac merum mendacium, quia
Græci baptizando dicunt enunciatiuè *Baptizatur ſeruus Dei*, non autem dicunt, *Baptizetur ſer-
uus Dei, &c.* Concl. 12. Immo non baptizarent ſi Græci dicerent *Baptizetur* deprecatiuè, ſeu
imperatiuè de futuro iuxta ſuam futuritionis ſignificationem & impoſitionẽ, ex ſacra ſcri-
ptura Act. 2. *Baptizetur vnuſquiſq; veſtrum in nomine Domini*. vt fuſius in Tract. 1. & 2. ſummit-
to me tamen orthodoxæ cenſuræ Sacrorũ Theologorum Serenitatis Tuæ Tuæq; Domina-
tionis Illuſtr. Legate Ampliſſime ac Illuſtr. & Reuer. Leonardi Mocenighi Digniſſimi ac
Meritiſſimi Archiepiſcopi Cretenſis. Inquiſitor Generalis Venetus.

Epilogatur vltimò falſitas ſpiratoris Dei Becani Ieſuitæ de Trin. c. 6. q. 5. Docet Becanus CAP. 71.
dari in diuinis quattuor relationes reales, duas coniunctas cum actiua generatione, ac acti-
ua ſpiratione, & diuina eſſentia; ac duas alias coniunctas cum paſsiua generatione, ſeu ſpi-
ratione.

Digitized by Google

ratione. Ita vt ſicut ex actiua generatione noſtro intelligendi modo conſtituitur Pater, & ex paſſiua filius: ſic & ex actiua ſpiratione, cōiuncta cū diuina eſſentia Spirator Deus; & cū paſſiua, Spūs ſanctus. Negat aūt 1. Becanus ſpiratorē Deū eſſe quartā perſonā incōicabilē, eò quod cōicetur Patri, & Filio. Negat 2. Spiratorē Deū eſſe perſonalē, ſeu adiectiuum. Negat 3. ēt Spiratorē eſſe Deū eſſentialē, ſeu ſubſtantiuū. Ait 4. Spiratorē Deū identificare ſibi duas perſonas Patris, & Filij. Has vero cōtentiones Becani falſas eſſe, patet ſi ſupponamus primo cū vtraq; ſchola Deū ad extra, ſeu in eſſentialibus operari vt vnus eſt, ſeu vt indiſtinctus eſt in perſonis. Ecōtra vero ad intra ſeu in notionalibus operari, vt diſtinctus eſt in perſonis. Et ſic Pater generat vt Pater eſt non aūt qua Deus eſt eſſentialis, ſubſiſtēs in vna perſona; neq; ſpirat qua eſt eſſentialis Deus, ſubſiſtēs in duabus perſonis. Nā vt ſic perſona producta a Deo eſſentiali, nō eſſet Deus eſſentialiter, quia inter producens, & productū, ſēper eſt diſtinctio realis. Supponitur 2. eſt, quod Theologica illa Maxima, *In Deo oīa ſunt vnū, vbi non obuiat relationis oppoſitio*, intelligitur in Deo ſubſtātiuè, nō aūt in Deo adiectiuè. In quo ad realē diſtinctionē ſufficit diſparata, & incōpoſſibilis oppoſitio ex Scoto. Pater.n. qua Pater genitor eſt, nō opponitur relatiuè Spūi ſācto niſi ſoli Filio: & tñ hæreticū eſt docere qđ Pater idētificetur ipſi Spūi ſācto, ſic neq; Pater neq; filius, qua tales, opponūtur relatiuè ipſi Spūi ſācto, & tñ Sabellianū eſt ſentire, qđ oēs hæ tres entitates identificentur inter ſe. Dices opponūtur quidē mediatè, hoc eſt mediāte Spiratore Deo, non āt immediatè, & hoc ſufficit. Rñdeo id falsū eſse multipliciter, primo q͂a nō pōt dari talis quarta entitas relatiua Dei ſpiratoris, quin ſit quarta perſona vt ſupra viſū eſt. Secūdo quia poſita tali quarta entitate, ac quarta perſonalitate; tūc Pater & Filius qua talis ſunt diſparate opponētur Spūi ſancto non āt relatiuè, & immediatè. nā vt ſic ſolus Spirator Deus relatiuè & immediatè opponeretur ipſi Spūi ſancto, Pater vero, ac filius ſolū mediatè, ideſt non per ſe primo, neq; quatenus ipsū, ſed potius quatenus nō Pater ſeu nō Filius ſpirabunt. 3. Quia ſi Pater & Filius mediāte Spiratore ſpirarēt, tūc vel ſpirarēt à Spiratore Deo, vel per Spiratorē Deū. Vtrumq; eſt erroneū in fide. Si.n. ſpirarent ab illo tunc etiam Pater eſset à ſpiratore, eſsetq; eius filius. Ac filius verbum eſset eius nepos nā à quo habetur operari, ab eodē habetur ēt eſse: ſicut actus ſecundus habetur ab actu primo. Si vero ècontra Pater & Filius producūt per Spiratorē; tunc Spirator Deus non ſpirabit à ſe ſed à Patre, & filio: & ſic habebit ēt eſse à Patre, & à Filio; eritq. eorū filius (Patris nēpè,) & nepos Filij. Quare falsū eſt dari talē ſpiratorē Deū Becani Ieſuitæ. Tertiū ſuppoſitū eſt, quod Spirator Deus notionalis nullo modo idētificare ſibi pōt duas perſonas, neq; in relatiua, & perſonali, neq; in idētitate abſoluta, & eſsentiali, ſub qua non poteſt generare neque ſpirare. Perſonæ .n. inter ſe oppoſitæ nunquā identificari poſsunt neq; ad intra, neque ad extra. quod .n. per ſe eſt tale, ſēper eſt tale. ſed vna perſona reſpectu alterius, ſēper ei opponitur relatiuè, vel ſaltē diſparatè. ergo. Licet itaque perſonæ comparatæ cū Deo eſsentiali tranſeant in Deū ſubſtantiuū: tū inter ſe oppoſitæ, ſp remanent idē Deus relatiuus. Si.n. Deus eſsentialis non poteſt ſibi identificare duas perſonas ſine hæreſi Sabelliana, multo minus eas ſibi identificabit Spirator Deus relatiuus. Tolleretur.n ordo naturæ diuinarū perſonarum tā in eſsendo quàm in operando, ſi inter ſe idētificarētur Perſonæ tā in Deo eſsētiali, quā in Deo relatiuo, neque Pater creator eſset cœli, & terræ, per Ieſum Chriſtū Filiū eius. Neque daretur actio primario, & quatenus ipſum Dei eſsentialis ad extra, quæ non niſi ſecundario competeret perſonis. Neque in oībus deueniendū eſſet ad vnū principiū perſonale, quod ſit Alpha, & Omega aliorū. Sed Filius æquè eſset vnū idēque principiū perſonale Spūs ſācti ſicut & Pater, quod eſt hæreticū. Nam ad intra principiū eſse debet perſonale; ad hoc vt perſonæ productiuum eſse poſſit. Et hinc eſt, quod Deus eſsētialis, non generat Deū eſsentialem quia eſt imperſonalis & cōicabilis, ad producendum .n. vniuocè, ſimpliciter neceſsario requiritur incommunicabilitas perſonæ, quia inter producens & productum, requiritur diſtinctio realis. At Deus eſsentialis non poteſt diſtingui realiter à perſonis. In cauſis ergo præciſis, ſicut ſe habet affirmatio ad affirmationem; ita ſe habet negatio ad negationem. Quare ſi Pater producit perſonam, quia perſona eſt, & poteſtatem productiuam habet. ergo a contrario ſenſu, idem Pater quatenus imperſonalis eſt, ſeu identificatur Spiratori Deo, imperſonali, nullo modo producere poteſt perſonam.

Digitized by Google

In Deo diſtinctio realis, eſt ſola diſtinctio perſonalis. Vnde ſi Spirator Deus, quatenus ipſum, realiter diſtinguitur à Spiritu Sancto conſequenter diſtinguetur perſonaliter ab eodem Spiritu Sancto & quacunque alia perſona, ex paritate rationis perſonalis.

CAP. 72.

QVod autem hæc doctrina Becani, omnino ſit reijcienda, confirmatur adhuc; quia Pater & Filius; vel ſunt vnum, idemq; ſpiratiuum principium eſſentiale cum Spiratore Deo Becani: vel ſunt vnum idemq; ſpiratiuum principium perſonale (In Deo enim nihil aliud eſt niſi eſſentia, & perſona, quæ eſt ipſa ſubſiſtens relatio) Vtrumq; autem eſt erroneum in fide: illud Arianum: hoc Sabellianum. Si enim ſpirabunt vt vnum, idemq; ſpiratiuum principium eſſentiale; tunc etiam ſpirabunt vt vnus, idemq; Deus eſſentialis: & ſic primo Deus eſſentialis realiter diſtinguetur à Spiritu ſancto producto, ac etiam perſonaliter, quia inter producens, & productum, ſemper eſt diſtinctio realis & perſonalis vtrinq; Secundo Deus ille ſpirator eſſentialis, ſicut erit incommunicabilis Spiritui ſancto, ſic pariter incommunicabilis erit alijs perſonis, ob realem diſtinctionem perſonalem. nulla eſt enim alia diſtinctio realis in Deo, niſi perſonalis. Tertio ſpirator ille Deus eſſentialis erit conſequenter quarta perſona Ariana, & incommunicabilis; quia ad intra actiones ſunt ſubſiſtentium ſuppoſitorum. & in Deo, diſtinctio realis, eſt ipſa ſola diſtinctio perſonalis. Quarto ſicut non repugnat Spiritum ſanctum produci à Deo eſſentiali: ſic neq; repugnabit Patrem productum eſſe ab eodem Deo eſſentiali. Quinto ſpirator Deus eſſentialis primario & quatenus ipſum, & à ſe, & per ſe relatiuè ſpirans opponetur Spiritui ſancto, non autem Pater, neq; Filius opponentur relatiue Spiritui ſancto, quia neq; Pater, & Filius ſunt idem formaliter cum relatiua entitate, & formalitate ſpiratoris Dei; neq; primario ſpirabunt à ſe, ſed à Deo ſpiratore, & ſecundario ſpirabunt: à quo erunt conſequenter. (A quo enim habetur operatio, ab eodem habetur & eſſe) Item ſexto neq; Pater & Filius ac ſpirator Deus eſſe poſſunt idem realiter realitate abſoluta, & eſſentiali in ſpirando, quia ſpirare notionaliter eſt actus perſonalis, & ſuppoſiti incommunicabilis: ſicut ſpirare eſſentialiter eſt actus eſſentialis ac communicabiliter per ſe ſubſiſtentis Dei imperſonalis. Septimo ſpirator Deus non erit Homouſios Spiritui ſancto neq; ei conſubſtantialis; ſed ſolum Homoeuſios, ac ſimilis ſubſtantiæ, quia inter producens & productum ſemper eſt diſtinctio realis & perſonalis. In Deo enim omnis diſtinctio realis, eſt etiam diſtinctio perſonalis. Octauo ſpirator Deus vel ſpirabit à ſe; & ſic erit ingenitus, & improductus Pater alter. Vel erit productus ab alio communicabiliter vel incommunicabiliter, quicquid dicas, eſt erroneum in fide, e contra ſi dicas quod. Nono ſi Pater & Filius ac ſpirator Deus erunt vnum idemque perſonale principium Spiritus ſancti: id Sabellianum erit, ac confundentur diuinæ perſonæ. Vel dabuntur plura perſonalia principia & plura quatenus ipſum, ac plura Alpha & Omega perſonalia, realiter diſtincta, ſicut realiter diſtinguuntur ipſæ diuinæ perſonæ. Cum tamen Filius non ſit principium perſonale, ſeu à ſe, quia eſt à Principio. Neq; valet ex vno eodemq; principio eſſentiali, inferre vnum principium perſonale; dicendo Pater & Filius ſunt vnus idemq; ſpirator Deus eſſentialis: ergo pariter ſunt vnus, idéq; ſpirator perſonalis, quod eſt hæreticū.

CAP. 73.

Neq; valet prima fuga Becani de Trin. cap. 6. q. 5. quod ſpirator Deus, neq; ſit Deus eſſentialis, neq; ſit Deus perſonalis, ſed ſit Deus relatiuus. Idem eſt enim Deus relatiue, ac Deus perſonaliter, nam in Deo, nihil aliud eſt, niſi eſſentia & perſona, ſeu relatio ſubſiſtens. Neq; valet ſecunda fuga Becani, quod ſpirator Deus identificet ſibi duas perſonas Patris, & Filij, ita vt non ſpirent quatenus Pater & Filius, ſed quatenus ſunt imperſonalis & eſſentialis vnus ille ſpirator Deus Becani. Cum tamen perſonæ inter ſe comparatæ non poſſint confundi, neq; iden-

Digitized by Google

tificari ſine hæreſi Sabelliana; neq; ad intra, neq; ad extra, licet comparatæ cum Deo eſſentiali tranſeant in ipſum. At Deus eſſentialis non eſt productiuus, ſine hæreſi, ac diæreſi Ariana. præterquam quod vt ſic Spiritus ſanctus procederet à ſe ipſo, ſi procedit à Deo eſſentiali; necnon diſtingueretur realiter & perſonaliter à ſe ipſo; quia inter producens & productum, ſemper eſt diſtinctio realis & perſonalis. Neq; valet tertia fuga Becani quod ſpirator ille Deus non ſit perſona, neq; incommunicabilis, quia communicatur Patri, & Filio. Cum tamen Deus communis, ſeu communicabilis, ſit Deus eſſentialis & indiſtinctus. Et tamen in Deo nulla alia realis diſtinctio datur niſi perſonalis. Vnde neceſſario eſſe debet quarta & incommunicabilis perſona. Neq; valet quarta fuga Becani quod Spiritus ſanctus non procedit à Patre & Filio, qua tales, ac diſtinctæ perſonæ ſunt; ſed qua ſunt vnus, idemq; ſpirator Deus eſſentialis; quod primo eſt falſum, quia ſequeretur Spiritum ſanctum productum non eſſe Deum illum eſſentialem a quo productus eſt. quod expreſſe eſt contra literalem ſenſum ſacræ Scripturæ Io: 16. *Spiritus paraclitus qui à Patre procedit. à Patre* nimirũ, qua *Pater* eſt, non vero, à Patre, qua *Non Pater eſt, & Spiritus paraclitus, quem ego mittam vobis à Patre. Ego* inquam Filius, qua Filius ſum, non vero qua non ſum Filius, ſed ſum ſpirator. Neq; valet quinta fuga Becani quod vna, eademq; ſit ſpiratiua eſsentialis virtus Patris & Filij; non valet inquam, quia ſpirare eſt actus & virtus perſonalis proxime, & immediatè; non autem eſt actus, neq; virtus eſſentialis, quæ neq; eſt productiua vt *quo*, neq; vt *quod*, ſine hæreſi ac diæreſi Ariana, realiter diſtinctiua perſonæ & naturæ Dei. dum Filium, ac Spiritum ſanctum realiter, & perſonaliter diſtinctum, referebat ad Deum eſsentialem generantem, & ſpirantem. Quoties enim Diuina eſsentia, per ſe ſubſiſtens, aliquid producit vt *quo*, tunc Deus eſsentialis illud idem producit vt *quod*, ideſt vt extrinſecum principium productiuum, & Arianum. Nam inter producens & productum, ſemper eſt diſtinctio realis, & perſonalis; ſiue producat vt *quo*, ſiue vt *quod*. Neq; valet ſexta fuga Suarij, quod ſpirare eſt quidem actio perſonalis, ſed communicabilis. Cum tamen perſonalia ſint conſtitutiua & incommunicabilia. Vnde Pater non potuit communicare Filio vt creet, aut ſpiret à ſe, ſeu authenticè, & vt *quod* hoc eſt vt fontale, & totale, principale, & adæquatum principium *quod*, ſimpliciter primum perſonaliter, ſecus darentur duo principia perſonalia, & duo adæquata *quod*. Licet Pater communicare poſſit Filio, vt concomitanter & ſecũdario ordine originis cum Patre creet, ac ſpiret, vt ſub principium mediatum *Per quod* ideſt ſubordinatum Patri (ſine vlla tamen imperfectione) non enim dari poteſt niſi vnum tantum primum, & perſonale principium *quod*, ſicut vnum tantum datur Alpha & Omega perſonale *quod*, creans, & ſpirans tam mediatè, quam immediatè; ideſt à ſe, per ſe, & per alium, quod eſt incõmunicabile.

CAP. 74. Quod ſi roges, vnde tantus error irrepſit in Becanum, alioſq; omnes eius aſseclas. Reſpondeo, ex Ariana confuſione ſpiratoris Dei eſsentialis cum ſpiratore Deo perſonali; ſeu ex Ariana negatione diſtinctionis ex natura rei, ſeu formalis, inter ſpiratorem Deum ſubſtantiuè, & ſpiratorem Deum adiectiuè. Spirator enim Deus eſsentialiter, & imperſonaliter, eſt communis omnibus tribus, & ſpirat vt *quod* amorem imperſonalem & eſsentialem erga diuinam eſsentiam, ac diuinas perſonas, & creaturas; ipſa eius ſpiratiua virtute, ſeu eſsentia diuina, ſpirante vt *quo*, noſtro concipiendi modo. E contra vero ſpirator Deus perſonalis ſpirat vt *quod* amorem perſonalem, ipſa eius perſonalitate proxime ſpirante vt *quo*. Pater enim ſicut paternitate eſt Pater (non autem Deitate) ſic paternitate tanquam principio extrinſeco vt *quo*, generat, ſeu ſpirat (non autem Deitate) nam ſicut paternitas dat actum primum eſsendi, à ſe; ſic dat etiam actum ſecundum, operandi à ſe. Neq; tamen generat, aut ſpirat Patrem ſua paternitate, quia non eſt principium intrinſecum & formale ipſi producto, ſed extrinſecum. Confundebat autem Arius has formalitates & diſtinctiones, ac Deum eſsentialem ſpiratorem, ſubſiſten-

Digitized by Google

ſiſtentem per ſe eſsentialiter, ſentiebat generare, ac ſpirare vt *quod* ſed ſua deitate vt *quo*, & per hoc conſequenter docebat perſonam genitam, ſeu ſpiratam non eſſe Deum illum eſsentialem à quo producta fuit, quia inter producens ac productum ſemper eſt diſtinctio realis & perſonalis. & ſic Deum eſsentialem faciebat eſse primam perſonam realiter ſeu perſonaliter diſtinctam ab alijs perſonis. Ex quo patet falſitas doctrinæ Becani ſentientis, ſpiratorem Deum communem, ſpirare communi diuina virtute ſpiratiua, concurrente vt *quo*, ad hoc vt communis Deus eſsentialis ſpiret, ſeu generet vt *quod*. ſicut autem ſe habet Deus eſsentialis ad ſuam eſsentiam: ita Deus perſonalis ad ſuam perſonalitatem: ſed Deus eſsentialis non ſpirat perſonalitate; ergo neq; Deus perſonalis ſpirat Deitate. Arianum eſt itaq; non diſtinguere, ſed confundere in vnum ſpiratorem Deum eſsentialiter, ac ſpiratorem Deum perſonaliter. Vnde ſi alicubi apud S. Thomam, & Scotum, ac Concilium Florentinum dicitur Deus generare, & ſpirare vt *quod*; ſua diuina eſsentia generante, ſeu ſpirante vt *quo*: duplex ſenſus eſse poteſt, alter Arianus, id intelligendo de actiuo, ſeu productiuo principio extrinſeco, vt *quo*, alter vero eſt catholicus, & formalis ſenſus, id intelligendo de diuina eſsentia concurrente, noſtro intelligendi modo, tanquam principio intrinſeco, tam in ſpirando, quàm in generando vt *quo*, & ſic etiam Pater conſtituitur vt *quod*, ex diuina eſsentia coniuncta cum paternitate, tanquam formali principio intrinſeco vt *quo*, remoto. quod ſi aliqui contendant id intelligendum eſse de principio actiuo, & productiuo extrinſeco, ipſa nimirum diuina eſsentia generante ac ſpirante vt *quo*, nullo modo id concedendum eſt de proximo principio actiuo ſeu productiuo & extrinſeco, ſed gloſsandi ſunt, quod id ſolum intelligi poteſt de principio remoto, quatenus diuina eſsentia dat perſonæ, vt ipſa perſona generet, ſeu ſpiret proximè vt *quod*, ſicut diuinum Verbi ſuppoſitum infinitum, dabat eius humanitati, vt ſatisfaceret, vt *quod*, ſic è contra Diuina eſsentia dat perſonæ vt ſpiret ſeu generet vt *quod*.

Ex hoc autem colligo primo non trahendos eſse ad ſenſum Arianum, in hac materia Scotum neq; S. Thomam neq; Concilij Floren. alteratum, ſeu adulteratum alicubi textum; cuius Decretum eſt pro Sanctis Patribus Græcis, ſi intelligatur in ſenſu Catholico. E contra vero eſt contra Sanctos Patres Græcos, ſi intelligatur in ſenſu Ariano, ac Sabelliano, dum dicitur Spiritus ſanctus procedere à Patre & Filio, tanquam vnico principio. Arianum eſt enim id intelligere de vnico proprio eſsentiali, ſeu vnico ſpiratore ſubſtantiuo, qui neque formaliter ſit Pater, neque formaliter ſit ipſe Filius, & tamen ſecundum quod ipſum ſpiret, vt ſpirator eſt, ac realiter à Spiritu ſancto diſtinguatur, & conſequenter diſtinguatur perſonaliter, tanquam quarta perſona (nulla enim alia diſtinctio realis eſt in Deo, niſi ſit etiam perſonalis) Item Sabellianum eſt id intelligere de vnico principio perſonali in ſpirando. Et ideo ad ſenſum Sanctorum Patrum Græcorum intelligi debet Spiritus ſanctus à Patre & Filio procedere, tanquam vnico principio, per ſubordinationem originis perſonarum. Vbi enim ſunt plura propter vnum, ibi eſt vnum tantum; ſumendo ly *Tanquam* diminutiuè, & ſimilitudinariè; non autem identicè, & realiter, quia in omnibus ſemper deueniendum eſt ad vnum tantum primum principium, quod ſit Alpha, & Omega in eo genere. Legantur noſtræ obſeruationes in Conc. Florentinum ad fauorem SS. Patrū Græcorum, & ad maiorem honorem Eminētiſſimi Domini Cardinalis FRANCISCI BARBARINI, Græcorum Protectoris, maioremq; gloriam eius patrui Sanctiſs. Domini Noſtri VRBANI VIII. græcæ linguæ peritiſſimi, græcæq; Eccleſiæ amantiſſimi, conſcriptæ. Cuius Concilij Flor. alteratio, ſeu adulteratio confirmatur ex eius prologo, vbi dicitur quod plura, & varia exemplaria, inter ſe ſatis diſcrepantia, fuerunt allata; ex quibus nullum aliud viſum fuit magis conforme communi opinioni, niſi illud quod deinde fuit impreſſum, licet oblatum fuerit multis lituris, & lacunis plenum. Augetur etiam ſuſpicio adulterationis, ex falſa aſſignatione græcæ for- CAP. 75.

mæ

Digitized by Google

mæ baptizandi, ſiue deprecatiuè ſiue non deprecatiuè; ſiue dicendo *Baptizetur, ſiue Baptizatur ſeruus Chriſti*, ſiue practicè, ſiue non practice ſed declaratiuè tantum, & inualide exprimendo Pœnitentiam ex Trid. ſeſſ.14. can.9. de Pœnit. vel Baptiſmum, ex paritate rationis. Aliud eſt enim ly *Baptizatur à me hic ſeruus Dei*, quod practicè exprimitur, reſpectu enunciantis: atq; aliud eſt ly *Baptizatur ſeruus Chriſti*. quod declaratiuè tantum ſignificatur, & ideo verificatur in ore cuiuſcunq; etiam non miniſtrantis, ſiue in ore ipſiuſmet ſuſcipientis, per conformitatem ad obiectū. ſicut aliud eſt ly Cœlum mouetur à me *& Petrus abſoluitur à me*. quod ſignificatur practicè reſpectu mei enunciantis: & *Cœlū mouetur, ſeu Petrus abſoluitur*, quod tm̄ declaratiuè exprimitur. Præterea ſi ly miniſteriale *Ego* eſt de eſſentia actiuæ formæ Sacramenti Baptiſmi, ſeu Conſignationis, ſiue exprimatur nominaliter, ſiue verbaliter: cur non erit etiam de eſſentia ly *Ego* in forma paſſiua? de quo fuſius in Tractatu noſtro Tertio, Eminentiſſimo Domino Cardinali Sancti Onufrij dicato. Vbi aſſignabimus diſcrimen inter imperatiuam formam, practicam de præſente; & formam non practicam; ſed imperatiuam de futuro. Tunc enim valet imperatiua forma, quando ſignificat de præſenti, id quod de præſenti efficit. Efficit autem de præſenti, quando imperium eſt efficax, & inimpedibile & effectus dependet à ſola voluntate expreſſa; neq; requirit alium actum phyſicum, niſi ſolam expreſſionem imperij, vt *Fiat lux, Fiat firmamentum. Excommunicetur talis, ſeu Abſoluatur, etiam innitus à tali cenſura, per hoc præſens decretum, &c.* Sic Princeps ſubſcribit in ſupplicationibus dicens *Fiat, vt petitur*. Vbi efficacia non pendet a verbis præciſis, ſeu nutibus illis, ſed à voluntate efficaci, & inimpedibili quomodocunq; expreſſa ſiue per ſe, ſiue per alium; ſiue nutibus, ſiue his, aut alijs verbis. E contra vero, vbi ſola voluntas non eſt ſufficiens, neq; eſt practica, ſed impedibilis; & fruſtrabilis, & ideo requirit alium actum phyſicum; tunc ſolum eſt imperium de futuro, vt *Capiatur, Torqueatur, ſuſpendatur Petrus, &c.* Sic ly Act.2. *Baptizetur vnuſquiſque veſtrum in nomine Domini*, quod formaliter de ſui inſtitutione, & eſſentiali ſignificatione, ſignificat de futuro, ex ipſa ſacra ſcriptura Act.2. mitto quod vlterius requiritur inſtitutio Chriſti, ſub forma imperatiua, vt in Ordine, *Accipe Spiritum ſanctum. Hoc facite in mei memoriam, &c.* Vnde non valet paritas formæ imperatiuæ de præſenti efficacis, & practicæ, non requirentis alium actum phyſicum, niſi ſolam expreſſionem voluntatis in iudicio principiſq; beneplacito, cum forma imperatiua de futuro, impedibili & inefficaci, ac requirente alium actum phyſicum. Sic valet in iudicio ly *Abſoluatur, ſeu Condemnetur, ſeu excommunicetur, &c.* non autem valet ly *Baptizetur, conſignetur, ſeu Hoc eſto corpus meum. Hic eſto calix ſanguinis mei*. de quo fuſius in Tertio Tractatu. Hinc ex minori inferant Lutherici & Caluiniſtæ cum Spalatenſi, quanto magis diſplicent in alijs eorum doctrinæ quas ponderabimus in Tractatu Tertio. Atq; hæc dicta ſint ſub cenſura Sanctiſſimi Domini Noſtri VRBANI VIII. cuius pedes deuotiſſime complexos deoſculor, & Eminentiſſimi Domini Cardinalis de Sancto Marco FEDERICI CORNARII, ac Illuſtriſſimi FRANCISCI VITELLII Archiepiſcopi Theſſalonicenſis & Legati Apoſtolici, & Illuſtriſſimi, ac Reuerendiſſimi ALOYSII Mocenigi Archiepiſcopi Cretenſis.

Italogræcus ego Rhegynus, humillime poſtratus Ioannes Baptiſta Catumſyritus.

Finis Secundi Tractatus omniumq; Quæſtiuncularum, & Obſeruationum Concilij Florentini.

Subſcriptio Reuerendiſſ. Patris Inquiſitoris Generalis poſt reuiſionem totius operis impreſſi.

Pater Magiſter Clemens de Iſeo Inquiſitor Generalis Venetus.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google